

New Haven, Conn.

FAVNA GROENLANDICA,

SYSTEMATICE SISTENS

ANIMALIA GROENLANDIAE OCCIDENTALIS HACTENVS INDAGATA, QVOAD NOMEN SPECIFICVM, TRIVIALE, VERNACVLVMQVE; SYNONYMA AVCTORVM PLVRIVM, DESCRIPTIONEM, LOCVM, VICTVM, GENERATIONEM, MORES, VSVM, CAPTVRAMQVE SINGVLI, PROVT DETEGENDI OCCASIO FVIT, MAXIMAQVE PARTE SECVNDVM PROPRIAS OBSERVATIONES

OTHONIS FABRICII

MINISTRI EVANGELII, QVONDAM GROENLANDIS AD COLONIAM FRIDERICHSHAAB, POSTHAC NORVAGIS DRANGEDALIAE, NVNC VERO DANIS HOPVNTI IVTIAE, MEMBRI SOCIETATIS SCIENTIARVM QVAE EST HAFNIAE.

HAFNIAE ET *LIPSIAE*,

Impensis IOANNIS GOTTLOB ROTHE,

AVLAE ATQVE VNIVERS. REG. BIBLIOPOLAE.

MDCCLXXX.

1780.

FAUNA GRONLANDICA.

1750.

FRIDERICO

PRINCIPI HEREDITARIO

SERENISSIMO, OPTIMO,

CLEMENTISSIME PRINCEPS!

Quis ignorat, TE cordate iugiterque id agere, vt ſubditi FRATRIS TVI, TIBI etiam dediti, omnes felici vita fruamur? Remotiſſimas plagas Regnorum ne quidem obliuiſceris: Res enim Groenlandicae ſub TVO auſpicio etiam declarari coeperunt. Notitiam autem Natura-

lium,

lium, terrae alicuius indigenarum, oeconomiae meliori eius inſtituendae nonnihil ſuppeditare, certum eſt. Vt igitur theſaurus Groenlandiae, minime diues, nec tamen nullus, TIBI melius innoteſcat, ne mireris, neque indigneris, quod, quae vt miſſionarius quondam in deſerto (Groenlandiae) iucundis laboribus ſecundariis collegi, inque ſolitudine non multo magis placida (Drangedaliae) in ordinem redegi, ſacrata

TIBI

CLEMENTISSIME PRINCEPS!

ſubmiſſiſſime offeram

OTHO FABRICIVS.

RATIO OPVSCVLI.

Anno 1768 vt Missionarius ordinatus Groenlandiam petiturus, ab honoratissimo Collegio de cursu Euangelii promouendo, sub praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Comitis *Othonis Thott*, scientiarum Fautoris summi, inter alia mandatum accepi, vt otia mea Historiae naturali terrae huius minus notae impenderem. Promissis parens, licet antea nunquam scientiae illi operam nauarim, et Systemate naturae Linnaeano fere solo suffultus, natura vero ipsa docente, et iucunditate sua alliciente, sensim illi propius accessi; dumque contra opinionem expertus sum, non pauca, praesertim vermium, naturae curiosis adhuc ignota dari, nec vllum excursum sine lucro nouicii vnius alteriusue me facere, denique crebris litteris suasoriis clarissimi Domini a con-

28950

ſiliis ſtatus *Othonis Friderici Müllleri* accedentibus, libido magis magisque accreuit ſupplementa phyſica tradendi, quin imo pro lege habere coepi, ne mea culpa vlla non luſtrata praetermitterentur. Collegi igitur et contemplatus ſum occurrens quodlibet, vt materialia, neſcio cuius operis, haberem. Redux tamen in patriam, poſt ſpatium 6 fere annorum, non ſine dolore multa intacta relinquere coactus fui, vnico illo ſolatio fretus, quo daetas ſuppleret deficientia. In mentem iam venit, collecta publici iuris facere; ſed, vt fieri ſolet, typographo deficiente, qui illud impenſis ſuis ſuſciperet, mentem Superioribus meis, membris honoratiſſimis collegii dicti, indicaui, mihi ſtatim pro beneuolentia ipſorum promittentibus, ſe *Hiſtoriam ſuccinctam Groenlandiae*, a me concinnandam, imprimendam curaturos eſſe.

En ſchema talis operis!

PARS PRIMA PHYSICA, cum figuris variis rariorum.

CAPVT I. De Groenlandia generatim.
- SECTIO 1) De tractu terreſtri.
- 2) De mari adiacente.
- 3) De aere, et quae ad illum pertinent.

CAPVT II. De incolis.
- SECTIO 1) Deſcriptio naturalis,
- 2) Vita,
- 3) Notiones,
- 4) Ortusque illorum.

CAP.

CAPVT III. De Quadrupedibus.
SECTIO 1) Terreſtribus.
2) Marinis.

CAPVT IV. De Auibus.
SECTIO 1) Terreſtribus.
2) Aquatilibus.

CAPVT V. De Piſcibus.
SECTIO 1) De cetis.
2) De amphibiis nantibus.
3) De piſcibus proprie ſic dictis.

CAP. VI. De Inſectis.
SECTIO 1) Terrenis.
2) Marinis.

CAP. VII. De Vermibus.
SECTIO 1) Nudis.
2) Tectis.

CAP. VIII. De plantis.
SECTIO 1) Veris.
2) Obſcuris, ſ. cryptogamiſtis.

CAP. IX. De mineralibus.
SECTIO 1) De terris.
2) De lapidibus.
3) De metallis.

PARS SECVNDA GEOGRAPHICA, cum chartis.

CAPVT X. Delineatio geographica.
SECTIO 1) Geographia generalis.

2) To-

2) Topographia tractuum notiorum.
3) Relata de tractibus minus notis.

PARS TERTIA HISTORICA.

CAPVT XI. Viciſſitudines praecipuae rerum groenlandicarum.

SECTIO 1) Excerpta hiſtoriae Groenlandiae veteris.

2) Excerpta hiſtoriae nouae, quae poſtea e diariis miſſionariorum continuari poſſunt.

Haecce moliens vocationem Drangedaliam Norvegiae accepi, vbi poſthac ſuſcepta expedire quidem ſtudui; ſed procul ab adminiculis neceſſariis, et praeſertim quoad partes duas vltimas plura deſiderans, quae fruſtra quaeſiui, praeterea ſupplendo dictionario groenlandico *) ſimul ex mandato occupatus, fateor me in ea re proſperum non fuiſſe hactenus: nec tamen voluntas mihi deceſſit promiſſum ſeruandi, ſi (quod ſpero,) otium magis verum, quam hic habui, in poſterum mihi concedatur. Videns interim, quod pars phyſica reliquas duas nimis ſuperaret, ſi omnia naturalia accurate deſcriberentur, idque naturae minus curioſis forſitan implacidum foret, metuensque, ne ſchedulae deſcriptionum animalium, alii non facile intelligendae, iniuria temporis perderentur — vt igitur in opere maiore breuitate eo melius vterer, vitiumque illud euitarem, iniuriamque hanc praeuenirem, otia mea interrupta Drangedalenſia

*) Quod opus dudum abſolutum in collegium dictum miſi.

ſia in delineandam Faunam Groenlandicam impendere ſtatui, quam demum, vt Prodromum hiſtoriae maioris, olim Deo volente ſecuturae, publici iuris facio. An labores hi prorſus fruſtranei ſuperfluique ſint, naturae conſultiores iudicent.

Reſtant pauca, de quibus L. B. eſt monendus.

1) Quoad claſſes et genera praecipue *Zoologiae Danicae Prodromum* ſecutus ſum, nec niſi 3 locis illum reliqui, puta in generibus Vriae, Catharactae et Pycnogoni, Cl. Brünnichio me ducente.

2) In ſynonymis determinandis omnem curam ſollicite adhibui, quatenus auctores viſi lucem dederunt; neque tamen omnibus locis omnino certus fui, praeſertim in cetis, inſectis, vermibus teſtaceis, et cellulanis: vbi dubium praevaluit, hoc indicaui ſigno interrogationis (?).

3) Species hactenus ignotas, vel ſaltem a ſcriptoribus claſſicis, quatenus mihi notum, nondum deſcriptas, aſteriſco (*) notaui, quae numero ſunt circiter centum et triginta.

4) A me vel nunquam viſae, vel minus rite luſtratae, ſed ſecundum effatum aliorum allatae ſignum crucis (†) ſibi adiunctum habent.

5) Auctores, qui abbreuiatura citantur, ita explicandi ſunt.

Act. Hafn. Det Kiöbenhavnske Videnskabers Sælskabs Skrifter, 9.10. og 11te Deel. Kiöbenhavn, 1765. 1770. 177 —.

Act.

Act. Nidr. Det Tronhiemske og Norske Videnskabers Sælskabs Skrifter, 5 Deele. Kiöbenhavn 1761 — 1774.

Adel. Geſchichte der Schiffarten und Verſuche zur Entdeckung des Nordoſtlichen Weges nach Japan und China, von Johan Chriſtopher Adelung. Halle 1768.

And. Johan Anderſons Efterretning om Island, Groenland, og Strat Davis. Kiöbenhavn, 1748.

Anſ. A voyage round the world by George Anſon London 1748.

Arngr. Arngrimi Jonæ Groenlandia eller Hiſtorie om Groenland af islandske Haandſkrifter. Kiöbenhavn, 1732.

Art. Petri Artedi Ichthyologia Lugd. Bat. 1738.

Art. Gen. Eius genera piſcium.

Art. Syn. - - - Synonomia Nominum piſcium.

Art. Sp. - - - Deſcriptiones ſpecierum piſcium. Quae ſunt partes eiusdem libri.

Atl. Dan. Danske Atlas ved E. Pontoppidan. 1ſte Tome. Kiöbenhavn, 1763.

Bohadſch. Joan. Bapt. Bohadſch de quibusdam animalibus marinis. Dresdae 1761.

Bom. Bomares Natur-hiſtorie af H. von Aphalen. 8 Tomer. Kiöbenhavn 1767-1770.

Brün. Brünnichii Ornithologia Borealis Hafniae, 1764.

Mart. Büffons Naturgeſchichte der Vogel durch Frid. Heinr. Wilhelm Martini 6 Bände. Berlin 1772-1777.

Mart. Conch. Neues Syſtematiſches Conchylien-Cabinet von F. H. W. Martini 3 Bände, m. 159 Kupfertafeln. Nürnberg 1769-1777.

Müll. prodr. Zoologiae Danicae Prodromus auctore Othone Friderico Müller. Hafniae 1776.

Müll. Verm. Eiusdem Vermium terreſtrium et fluviatilium ſuccincta Hiſtoria, 2 Volumina. Hafniae et Lipſiae 1773 et 1774.

Müll. v. Würm. Von Würmern des ſüsſen und ſalzigen Waſſers von O. F. Müller. Kopenhagen 1771.

Ol. Eggert Olafsſens og Bjarne Povelſens Rejſe igiennem Island Soröe. 1772.

Pall. Peter Simon Pallas Naturgeſchichte merkwürdiger Thiere, 10 Samlungen. Berlin und Stralſund 1769-1778.

Pall. It. Ruſſ. Eiusdem Reiſe durch verſchiedene Provinzen des Ruſſiſchen Reichs, in einem Auszuge 3 Theile. Frankfurt und Leipzig 1776-1778.

Pont. Erik Pontoppidans Förſte Forſög af Norges naturlige Hiſtorie 2 Deele. Kiöbenhavn 1752. og 1754.

Ström.

Ström. Phyſisk og oeconomisk Beſkrivelſe over Fogderiet Söndmör ved H. Ström. 2 Parter. Soröe 1762-1766.

Syſt. nat. Caroli a Linné Syſtema naturae. Editio duodecima 3 Tomi. Holmiae 1766-1768.

Torf. Grönlandia antiqua, auctore Thormodo Torfaeo. Hæfte 1706.

Zool. Dan. Tegninger til Zoologia Danica af O. Fr. Müll. Förſte Haefte. Kiöbenhavn 1777.

Scripſi Drangedaliae
d. 12 Maji 1779.

AVCTOR.

Brün. Entom. Eiusdem Entomologia, Hafniae 1764.

Brün. ichth. Eiusdem Ichthyologia Maſſilienſis. Hafniae et Lipſiae 1768.

Brün. Spol. Adr. Eiusdem ſpolia e mari adriatico reportata (quae libro praecedenti annexa).

Buff. Buffons algemeine Hiſtorie der Natur, 8 Theile. Hamburg und Leipzig 1750-1772.

Cr. David Crantz Hiſtorie von Grönland. Barby und Leipzig 1770.

Cr. Cont. Fortſetzung der Hiſtorie von Grönland von David Crantz, ibidem 1770.

Deb. Lucas Debes Ferröernes Beſkrivelſe, Kiöbenhavn 1673.

Eg. Det gamle Grönlands nye Perluſtration eller naturel Hiſtorie forfattet af Hans Egede. Kiöbenhavn 1741.

Ell. Ellis Reiſe nach Hudſons Meerbuſen (prout habetur in Samlung neuer und merckwürdigen Reiſen zu Waſſer und zu Lande, Göttingen 1750. Iter Theil).

Faun. Frid. Fauna inſectorum Friderichsdalina. Hafniae et Lipſiae 1764.

Faun. Suec. Caroli Linnaei Fauna Suecica Editio altera. Stockholmiae 1761.

Gl. Anmærkninger over de tre förſte Böger af David Crantzes Hiſtorie om Grönland. Kiöbenhavn 1771.

Gmel. Iohan Georg Gmelins Reiſe durch Siberien 4 Theile. Göttingen 1751.

Horr. N. Horrebows zuverlæſſige Nachrichten von Island. Copenhagen und Leipzig 1753.

Högſtr. Peder Högſtröms Beſkrivelſe over de under Sverriges Krone liggende Lapmarker. Kiöbenhavn 1748.

Ionſt. Av. Ioannis Ionſtoni Hiſtoria naturalis de auibus. Francofurti ad Moenum 1650.

Ionſt. exſ. Eiusdem Hiſtoria naturalis de exſanguibus aquaticis, ibidem 1650.

Ionſt. inſ. Eiusdem de inſectis — 1653.

Ionſt. piſc. Eiusdem — de piſcibus et Cetis — 1649.

Ionſt. quadr. Eiusdem de quadrupedibus — —

It. Gothl. Carl Linnaei Gothlandske } Reſa, Stockh.
It. Oel. Eiusdem Olandske } og Vpſal. 1745.

It. Scan. Eiusdem ſkånſka Reſa, Stockh. 1751.

It. wgoth. Eiusdem Wäſtgôtha Reſa, Stockh. 1747.

Kalm. Am. Pehr Kalms Reſa til Norra America. 3 Tomer. Stockh. 1753--1761.

Kalm Bahus. Pehr Kalms Wäſtgôtha och Bahusländske Reſa. Stockh. 1746.

Leem. Knud Leems Beſkrivelſe over Finmarkens Lapper. Kiöbenh. 1767.

Mart.

FAVNA
GROENLANDICA.

I.

MAMMALIA.

1. HOMO GROENLANDVS,

Homo ſapiens, diurnus, ſordide rufus, pilis nigris, rectis, craſſis, mento ſubimberbi.

Homo Americanus, Syſt. nat. I. 29.
Skraelling, Arngrimo, Torfaeo, et aliis Groenlandiae antiquae ſcriptoribus.
Groenlaender, Eg. 66. c. fig. Cr. 17⁻. tab. III.
Eskimaux, ſ. Incola tractus borealis Americae ad fretum Hudſonis Ell. pag. 139, 186, 255. tab. 6 et 9. Cr. cont. 310.

SEMETIPSOS VOCANT *Innuit*, (ſing. *Innuk*,) quod nomen illis commune cum aliis hominibus, et *Kalalik*, (ſing. *Kalalek*,) quod illis proprium.

DESCRIPTIO. Eſt naribus patulis, oculis minutis, labiis et buccis magnis, fronte valida, humeris latis, pedibus breuibus, cholerico-phlegmaticus, debilis, agilis, pertinax, liber, contentus, timidus, ſuperſtitioſus, minus fertilis. Mares interdum polygami, barbam euellunt, crinesque tondunt. Foeminae comatae faſcia crinali comam in tutulum duplicatum colligant, reliquis corporis partibus pilos non tolerantes; ſe pingunt figuris atris conſtantibus acu filum nigrefactum ſub cutem trahentes.

VARIANT quidam cute candidiore et ſtatura grandiori, quaſi commixta progenies Islandorum huius terrae quondam coloniſtarum.

HABITAT in tractibus maritimis tantum, interioribus ob plagam glacialem continuam inhabitabilibus.

EDVNT omnis generis viua, pura et impura, cocta, ſiccata, ſubputrida, raro fumigata, pauca cruda, etiam plantas quasdam. Cibus praecipuus tamen: Phoca, Tarandus, Ceti, Alcae, Anas ſpectabilis et molliſſima, Lari, Columbi, Pelecanus Carbo, Lumpus, Annarhichas, Gadi, Hippogloſſus, Scorpius, Perca Noruegica, Salmo alpinus et arcticus, Mytilus edulis, baccae Empetri nigri, Archangelica, Rhodiola roſea, Vlua longiſſima et delicatula.

IN STATV SVO: ſine Deo, Domino, reguntur conſuetudine. Amuletis regulisque praemultis vtuntur ſuperſtitionis gratia. Magi, dicti *Angekkut*, (ſing. *Angekok*,) maxime valent vt Conſulti, Doctores, Medici. Horum ſpiritus familiaris *Tornak*, et Oraculum ſ. ſpiritus primarius regens *Tornarſuk*, cui cultum externum tribui tamen non conſtat.

Cetera dabunt fontes citati.

OBSERV. Fabulantur Groenlandi etiam de aliis inter montes habitantibus, raro ab illis, nunquam ab Europaeo viſis, quos nominant *Torngit*, (ſing. *Tunnek*,) v. *Tunnerſoit*, (ſing. *Tunnerſoak*,) iisque tribuunt faciem, ſtaturam, veſtesque Europaeorum. Si vere dantur, quod prorſus negare non audeo, forſitan reliquiae ſunt Islandorum priſtinorum in montes fugientium.

2. TRICHECHVS ROSMARVS.

Trichechus dentibus laniariis ſuperioribus exſertis.

Trichechus Rosmarus, Syſtem. nat. I, 49. Müll. prodr. I.

Walros, Eg. 45. Cr. 165. And. 221. Adel. 374. tab. XV. f. 5. Pont. II, 225. c. fig. Ionſt. piſc. 227. tab. XLIV.

Roſtung,

Roſtung, Arngr. 10. Torf. §2—84. Ol. 355.
Rosmul, Bom. VI, 556. Ström. I, 157.
Sea-horſe, Ell. 260. tab. 7.
Morſe, Leem, 216. Gmel. III, 164—169. Buffon VII, I, pag. 197. 230. tab. LIV, LV. optime omnium.

GROENL. *Auvek.*

DESCRIPTIO. *Dentes* molares vtrinque 4 tantum vidi ſuperiores, totidemque inferiores, latos, planos, intus tendentes; laniarii ſaepe brachii longitudine, compreſſi-vſculi, profunde radicati, ad radicem parum caui. *Naſus* vtrinque protuberans natibus hominis non diſſimilis. *Vibriſſae* longae, craſſae, albae. *Color* variat aetate: pullus niger, dein fuſcus, magis magisque palleſcens, donec ſumma aetate albus euadit. *Cutis* pilis raris, rugoſa, craſſa. *Caro* rubra; dum coquitur, albeſcit.

DE VARIETATE huius, dentibus exſertis breuioribus, loquuntur incolae, quam minus recte (vt videtur,) ad Phocas referunt; ſi non pullus Rosmari, anne Animal *Dugon* Buff. l. c. 205. 245. tab. LVI?

HABITAT ad oras Groenlandiae paſſim, praeſertim autem in loco dicto *Irſortok*, e regione auſtrali freti Diſco, fundo argilloſo, eſcaque eius diuite. Iamdum rarior euaſit.

VESCITVR Myis, quas de argilla, vel fiſſuris rupium aut fundi, dentibus ſuis exſertis protrahit.

Eſt monogamus. Coit circiter menſe Iulio; parit primo vere pullum ſolitarium.

Terram rarius, glaciem frequentius aſcendit, ſedens pedibus anticis ſuffultus, vel latere procumbens; incautus ſatis. Improuiſe vulneratus, infeſtat; venatore autem praeuiſo fugit.

VSVS. Caro, pellis, lardum editur. De pelle ſecant lora venatoria; et lardum in lampadibus comburitur. Tendines pro filis, dentes exſerti varie ad cymbas et iacula, adhibentur.

Merces venales, ab exteris petitae, ſunt dentes et lardum.

CAPITVR a Groenlandis, harpaginibus et lanceis e propinquo iectaneis, a ſolitario non facile, ſed iunctis viribus, ſuper glaciem petendus.

3. TRICHECHVS MANATVS.

Trichechus dentibus laniariis incluſis.

Trichechus manatus, Syſt. nat. I, 49. Müll. prodr. 2. Ionſt. piſc. 223.
Trichechus, Art. gen. 79.
Havſtrambe, Torf. 97. Eg. 47 (i)?
Söekoe, Bom. VII, 487.
Lamantin, Buff. VII, I, pag. 207. 236. tab. LVII.
Meerkuh, Adel. 653.

Rariſſimum animal in mari groenlandico, cuius ſolum cranium ex parte conſumtum, communi cum ſequenti ſpecie ab incolis dictum nomine *Auvekæjak*, vidi, inque hoc dentes ſpurios tales confertim congeſtos, quales Steller. (Vid. l. c. apud Adel. §. 189.)

4. PHOCA VRSINA †.

Phoca capite auriculato.

Phoca vrſina, Syſt. nat. I, 55.
Der kleine Phoke, Buff. VII, I, pag. 83. 228. tab. LIII.
Seebær, Adel. 667. tab. XIX.
Söebiörn, Bom. VII, 370.
GROENL. *Auvekæjak*.

Illam eſſe animal, quod ſub nomine hoc memorant incolae, non eſt dubitandum. Dicunt illud in auſtraliori Groenlandia, licet raro, dari, quadrupes, piloſum, ferociter omne occurrens dilacerare, et, ſi viuum, conſume-

re,

re, vrſi maritimi more terra marique degere, impetuoſiſſime natare, venatores valide infeſtare.

vsvs carnis et tendinum vt Sp. 3. Dentes vt amuleta contra vlcera, nec non quodammodo ad inſtrumenta venatoria adhibentur.

5. PHOCA LEONINA.

Phoca capite antice criſtato.

Phoca leonina, Syſt. nat. I, 55. Müll. prodr. pag. VIII.
Neitſerſoak, Cr. 164.
Klapmyds, Perl. 46. c. fig.
Blaudru Selur, Torf. 88. Ol. 532.
Oaaido, Leem, 214.
Söelöve, Bom. VII, 493.
Meerlöve, Buff. VII, I, pag. 193.
Seehund mit einer Haube, Ell. tab. 7.
Sea-Lion, Anſ. 122. tab. 19. figura bona ſatis.

GROENL. *Neitſerſoak*; mas *Neſaurſalik*; pullus ſecundi anni *Kakortak*.

DESCRIPTIO. Magnitudo interdum 8 pedes aequat, igitur inter maximas numeranda. Exemplar meum, nondum perfectum, long. $7\frac{1}{2}$ ped. lat. $19\frac{1}{2}$ vnc. inter pedes anter. ſed 8 tantum inter pedes poſteriores. Dentes 32, ſc. primores 4 ſupra infraque, exterioribus maioribus, lan. 1, et molares 5 vtrinque ſuperiores totidemque inferiores *). Caput antice tuberculo in veſicam inflabili frontem tegente, medietate carinata; foeminae tamen pullique tuberculum non habent, licet carinam, vt rudimentum illius. Praeter nares veras mares etiam habent ſpurias in tuberculo, iam 1, iam 2, pro aetate; vibriſſae magnae ſubteretes, pallidae, annulatae, apice compreſ-

 ſae,

*) In exemplari vnico vidi 6 inferiores molares; nunquam autem 6 primores ſuperiores videre contigit.

ſae, obtuſae. Oculi magni nigri iride fuſca. Lingua bifida. Auris orificium paruum ſine auricula. Corpus longum, robuſtum, ſubconicum, tectum pilis longiuſculis, ſuberectis, confertis mollibus, fundo lanato pilis contortuplicatis. Pedes antici plantam humani pedis referunt pollice longiore; poſtici caudae breui parelleli, cute laxa palmati, digitis extimis longioribus. Color variat aetate: veterum obſcurior, capite, cauda, pedibusque nigris, reliquo nigro maculis griſeis, dorſo tamen obſcuriore; iuniorum candidior: primi anni albus, dorſo ſummo liuido-griſeus; ſecundi anni magis niueus, dorſi tractu anguſtiore ſubfuſco. Lardum bonum, interdum 3 vnc. craſſitie. Caro eius nigerrima omnium.

HABITAT in alto mari Groenlandiae praeſertim auſtralioris. Menſibus Aprili, Maio, Iunio terram propius accedit.

VICTVS: Piſces omnes maiores; ſpeciatim: Pleuronectes Hippogloſſus, Cynogloſſus, Gadus Morrhua, Callarias, Perca Noruegica.

Eſt polygama. Congreditur corpore erecto. Parit ſuper glaciem, pullum ſolitarium, circiter menſe Aprili.

Glaciei fragmenta delectans frequentiſſime aſcendit, ibique dormit incauta; mordax; velut canis latrat, eiulat. Ferox vulnerata infeſtat; venatorem autem appropinquantem improuiſe videns lacrymatur, non raro lippa. Inter ſe inuicem pugnant vnguibus dentibusque, hinc pellis ſaepe lacerata.

VSVM carnis, lardi, tendinum, vid. Sp. 2. Pellis iuniorum in veſtimenta foeminarum eleganter habetur, veterum pro ſtrato lecti, depilata ad obducendas cymbas maiores, de cymbis detracta in tegumenta tentoriorum extima, inde ad tecta domuum ſuprema, denique antiquata in ſaccos adhibetur, nec non a famelicis comeditur. Dentes in iacula venatoria. Faux et inteſtina in feneſtras et vela tentoriorum, nec non veſtes marinas virorum conſuuntur. Ventriculus interdum pro veſica venatoria.

Mercer

Merces venales ſunt lardum et (raro) pellis.

Capitur harpaginibus, lanceis, iaculis, a pluribus aſſociatis, Phyſetrem micropem, eius hoſtem crudeliſſimum, remigando aemulantibus; quo viſu perterrefacta ſuper glaciem exſpectans quieſcit.

6. PHOCA VITVLINA.

Phoca capite laeui, ceruice retuſiuſcula, naſo mediocri, corpore ſubcylindrico, vibriſſis vndulatis medulla concolori.

Phoca vitulina, Syſt. nat. I, 56. Faun. Suec. 4. Müll. prodr. 3.
Spragled Sæl, Eg. 46. c. fig.
Kaſſigiak, Cr. 163. 169.
Latrſelr, Torf. 88.
Kobbe, Pont. II, 203. c. fig. (mala.)
Sæl, Bom. VII, 13.
Meerkalb, Adel. tab. XIX.
Landſelur, v. *Vorſelur*, Ol. 529. tab. XXXII. (figura bona.)
Landſele, Hor. 269.
Steenkobbe, Deb. 151.
Nuorroſh, Leem, 213.
Phoke, Buff. VII, I, pag. 184. 217. Tab. XLV. (fig. optima.)

GROENL. *Kaſſigiak*. Hinc reſpectu aetatis *Kaſſigiectſiak*, *Kaſſiginak*, *Kaſſigiarſoak*. Alii etiam certa aetate nominant *Ermik*, *Ermitſiak*, *Akutheenak*, *Akunnektok*; ſed minus vſitatum eſt.

DESCRIPTIO. Magnitudine Spec. 5tae longe cedit, dum perfecta aetate non niſi 5 ped. 2 vnc. long. et 3 ped. 3 vnc. in circumferentia maxima. Dentes 34, ſc. prim. ſup. 6, inf. 4, reliqui vt Sp. 5tae. Caput inauriculatum, depreſſiusculum, proportianatum, naſo plene tertiam

partem capitis exhibente. Vibriſſae albidae, (minimae tamen nigricantes,) compreſſae, margine vndulatae. Oculi minuti, ſuini, approximati, pupilla lineari nigra, iride pallida vndulato-cruciata. Collum anguſtius ſimilibus. Ceruix capite humilior (quod in ceteris non facile obſeruandum). Corpus oblongum fere cylindricum, interſtitio pedum anticorum poſticorumque non multum differente, humeris protuberantibus. Pili conferti, ſubdecliues, molles, breues, nitidiſſimi, tenues, fundo vix lanato. Lingua, aures, pedes et cauda praecedentis. Color variat aetate: dum pulli, dorſum fere nigrum abdomine albo, pulcherrime; deinde griſeo-liuidus euadit maculis albis numeroſis (hac aetate pili breuiſſimi, hiſpidi, decidui); et denique matura aetate variegatus ex albo nigroque, fere tigridis more, abdomine candidiore. Lardum bonum, non tamen, ac ſequentis, oleoſum. Caro rubra, optima omnium.

HABITAT vbique ad littora, ſinus et inſulas maxime frequentans, nunquam altum mare petens.

VICTVS: piſces omnes mediocris et paruae magnitudinis, nec non Cancri macrouri varii, ſed imprimis Salmo carpio, quem vſque ad oſtia fluuiorum perſequitur.

COIT circiter menſe Septembri. Parit pullum ſolitarium ſuper littus, menſe Iunio. Cetera vt Sp. 5.

Terram, ſcopulos et glaciem fixam (vix fractam) aſcendit. In glacie foramen habet, per quod aſcendit, ibique dormit vel ſole delectatur; loca deſerta amans, ab hominibus remotiora petit. Eſt omnium cautiſſima, natat igitur capite erecto continuo circumſpiciens, tali ſtatura canem natantem omnino referens. Foemina tamen, pullum ſuum defendere volens, magis incauta. Vix gregatim occurrit. Non pugnax, ſemper fugit, vix infeſtans vulnerata licet.

VSVS. Caro cocta eſt Groenlandis delicatiſſima. Pelles veterum ſaepe eduntur cum lardo; alias ex his conficiuntur tegumenta interiora tentoriorum: iuniorum mediae

diae aetatis dant ocrearum genus; sed pullorum vestimenta exhibent elegantiora. Tota pellis pulli detracta, et certo modo praeparata, etiam pro vesica venatoria vsurpatur. De lardo, tendinibus et intestinis conf. Sp. 5.

Merces venales lardum et pellis.

CAPITVR iaculis a pluribus persequendo fatigantibus. Raro harpaginibus, iam iam etiam sclopis disiicitur.

7. PHOCA GROENLANDICA.

Phoca capite laeui, naso longo, corpore depresso-conico; vibrissis vndulatis, medulla rubra, apice subcuruis.

Phoca Groenlandica, Müll. prodr. p. VIII.
Svartside, Eg. 46. c. fig. Ell. tab. 7.
Attarsoak, Cr. 163. 169.
Hafselr, *Vadlusælr*, *Flekusælr*, et *Oppnusælr*, Torf. 87.
Vadesæl, *Harsæl*, Ol. 531.
Groenland-Sele, Horr. 269.
Dælja, Leem, 214.
Dævok et *Aine*, ibid. 212?
Robbe, Adel. 372. tab. XV. f. 4.
Der große Phoke, Buff. VII, I, p. 184.

GROENLAND. *Atak*; et pro gradibus aetatis: *Atectsiak*, *Utokaitsiak*, *Aglektok*, *Aglektorsoak*, *Atarsoak*.

DESCRIPTIO. Est mira confusio huius cum praecedente apud autores, et tamen diuersissima. Est haec 6 ped. longa, et 4 ped. in circumfer. maxima. Dentes 38, sc. primores sup. 6, inf. 4, lan. 5, mol. 6 vtrinque supra infraque. Caput longum depressum, naso dimidiam partem capitis exhibente, occipite magis prominente. Vibrissae griseae compressiusculae, margine medio vndulatae, apice acutiusculo. Oculi, aures, lingua et pedes vt praecedentis.

tis. Corpus depreſſiuſculum poſtice attenuatum. Pili rariores, breuiores, decliues, nitidi, craſſi, hiſpidi, fundo rariſſime lanato. Color veterum albidus fronte, et macula magna laterali lunata, nigris (in aliis caneſcente) pedibusque ſubfuſcis; iuniorum albidus maculis quam plurimis virgatis nigris; pulli ſubfuſci ventre albido maculis nigricantibus; innati albi toti lana molli. Lardum huius optimum, craſſum et oleo diues. Caro nigra.

VARIANT: A) quaedam habentes iuniorum maculas ſimul cum fronte nigra, quas dicunt *Kenalit*; B) aliae, licet matura aetate, totae atrae, dictae *Kernektæt*.

HABITAT vbique copioſiſſime ad oras et in ſinubus profundis. Emigrat bis anno: 1) menſe Martio, recedens Maio; 2) menſe Iulio, et reuertitur Septembri.

VICTVS: in genere piſces omnes, praeſertim autem Cottus ſcorpius, Salmo arcticus. Non raro etiam Clupea encraſicolus, ſquillae et alii cancri in aluo eius reperiuntur.

CONGREDITVR menſe Iulio, et parit fine Martii, vel initio Aprilis, pullum ſolitarium, raro gemellos, ſuper glaciei fragmenta longinquo terrae.

Nunquam glaciem fixam, terramue, ſcopulosue aſcendere videtur, niſi coacta; fragmenta vero glaciei nondum terram appropinquantia lubentiſſime, ibique gregatim dormit, ſicque iis delectatur, vt ſaepe emacreſcat ob defectum eſcae, nec ea relinquere volens. Saepiſſime gregatim natant, vna duce circumſpiciente, ceterisque ſecuris. Anhelare volens, caput tantum ex aqua emergit iterumque demergit, locum non mutans. Raro ſolitaria in ſuperficie aquae, ſed ſubter natat et piſcatur; ſupra capite erecto praedam maiorem conſumit. Varios habet modos natandi, ſupina et prona, latere procumbendo, ſeque girando, quaſi delectandi gratia; interdum etiam in aqua dormit. Praecedenti incautior, praeſertim ſuper glaciem incautiſſima.

VSVM carnis, lardi, tendinum et inteſtinorum vid. Sp. 5. Pellis pullorum in veſtimenta, maiorum in indumenta cymbarum, tegumenta tentoriorum tam exteriora quam interiora, et ſtrata lectorum, interdum etiam minorum tota detracta in veſicam harpaginariam adhibetur. Ex fauce fit etiam veſica iaculo minori inſita.

Merces venales lardum et pellis.

Eſt haec ſpecies Groenlandis quaſi vnum et omne, qua non carentes feliciter viuunt; eſtque etiam tam Groenlandiam quam Spitzbergam frequentantium lucrum magnum.

CAPTVRA fit harpaginibus et lanceis a ſolitario, rarius iaculis a pluribus coniunctim. Dum Phyſeterem micropem fugit ad littus vſque feſtinans, ab hominibus etiam cingitur, terram aſcendere cogentibus, ibique perfoditur. In migrationibus ſuis freta anguſta penetrans iam iam etiam ſclopis occiditur.

8. PHOCA FOETIDA *.

Phoca capite laeui, naſo breui, corpore fere elliptico, vibriſſis vndulatis, medulla lucida.

Phoca foetida, Müll. prodr. p. VIII.
Neitſek, Cr. 164. gl. 154.
Neitſitlek, id. p. 158.
Skemming, v. *Selakong*, Torf. 88. et Leem, Not. 66. 2. pullus?
Vtſelur, v. *Vetraſelur*, Ol. 529 et *Oe Sæl*, Horr. 269. vetus?

GROENL. *Neitſek:* vetus, praeſertim mas, *Neitſidlek;* iunior *Millaktorſoak*, *Millaktok*, *Neitſitſiak*, *Neitſingoak;* et pullus *Neitſiak.*

DESCR. Eſt haec minima omnium, non facile $4\frac{1}{2}$ ped. longitudinem ſuperans, et quidem ſumma aetate, (dum dicitur

dicitur *Neitſidlek*, (ſed plerumque tantum 4 pedes long. et 10 vnc. lat. Dentium numerus vt Sp. 6. Caput inauriculatum, breue, rotundum, naſo vix tertiam partem capitis exhibente. Vibriſſae pallidae, (minimae nigrae,) acutae, compreſſae margine vndulatae totum. Oculi minuti, pupilla albida, iride brunnea, ceterum vt Sp. 6. nec non aures, lingua, pedes, cauda. Corpus fere elliptica figura, lardo corporis talos pedum poſticorum fere tegente, dorſo magis gibbo, abdomine magis plano, praeſertim ad pedes anticos. Pili confertiſſimi, ſuberecti, molles, longiuſculi, tenues, fundo lanato ſetis quamplurimis contortuplicatis. Lardum tenue, ſed ſatis oleoſum. Caro rubra, ſed foetidior ceteris. Color ſubfuſcus, flammis albis interſtinctus, abdomine albo maculis raris fuſcis; pullorum fere ſine flammis in tergo liuido-caneſcens, abdomine candido; veterum magis flammatus, naſo fere nudo, et ſaepiſſime pili horum decidui. Mares veteres foetidiſſimi ad nauſeam vsque etiam Groenlandis.

VARIETAS huius datur tota candida, linea obſcuriore dorſali, quam nominant *Ukalleriak*.

HABITAT in ſinubus remotiſſimis, in propinquitate plagae glacialis terrae, quam matura aetate non facile relinquit; media vero interdum ad oras exit, nunquam altum mare petens. Frequentiſſime occurrit in freto Diſco.

VICTVS: piſces omnes minores, gadus barbatus, aeglefinus etc. ſed imprimis ſquillae et congeneres.

CONGREDITVR circiter Iunio; parit menſe Februario ſuper glaciem fixam ſinuum: hinc aere triſti pulli multi moriuntur, quos ſaepe inuenire contingit.

Glacies fixa huius elementum, in qua foramen habens minus pro halitu, ſubtus piſcatur, ſaturata per foramen aliud maius aſcendit, in cuius propinquitate ſolitaria, raro par, dormit, vel ſole delectatur, ſicque ſaepe macreſcit,

ſcit, nec rarum eſt occidere nihil omnino in aluo habentem. In aqua habet fere mores Sp. 7mae; non tamen gregatim natare conſpicitur. Eſt omnium incautiſſima tam in aqua, quam ſuper glaciem. Saepe dormiens in aquae ſuperficie ab aquilla vnguibus impellitur, et ad littus protrahitur. Vulnerata infeſtat mordax, tamen ob paruitatem minus timenda; ictu in frontem facile occiditur.

VSVS. De carne, lardo, tendinibus et inteſtinis vid. Sp. 5. Carnem tamen veterum foetidiſſimam plurimi edere nolunt. Ex inteſtinis etiam ſcinduntur fila ſutoria. Pellis, praeſertim dum pilos mutat, editur cum lardo, alias in veſtimenta Groenlandorum vſitatiſſima omnium, tota etiam pro veſica venatoria.

Merces venales ſunt lardum et pellis.

CAPITVR omnibus hucdum allatis modis. Praeterea duobus his fere propriis: 1) Super glaciem iacentem venator, illam aemulando, aggreditur, et incautiſſimam ſaepe eludit harpagine ſua. 2) Sub glacie etiam foramen ſuum minus pro halitu appropinquans, naſo ſuo perfoditur harpagine hominis ſupra exſpectantis, et per foramen maius factum attrahitur.

9. PHOCA BARBATA *.

Phoca pedibus anticis manus hominis referentibus pollice breuiore, vibriſſis longis albis integris, apice curuis.

Phoca barbata, Müll. prodr. p. VIII.
Urkſuk, Cr. 165.
Grænſelr, v. *Gramſelur*, Torf. 87. Ol. 532.
Har-Ert, Leem, not. 66, 3.

GROENLAND. *Urkſuk Takkamugak;* pullus *Terkigluk.*

DESCRIPT.

DESCRIPT. Eſt omnium maxima, dum ſaepe 10 pedes euadit; et pullus ſecundi anni, quem vidi, habuit 6 ped. 9 vnc. long. et 22 vnc. latitudinem. Dentes 34, vt Sp. 6. Caput laeue, longum, naſo lato, labiis laxis. Vibriſſae permultae, robuſtae, corneae, flexiles, compreſſo-teretes, glabrae, pellucidae, deciduae. Aures magis patulas congeneribus habet; attamen ſine auricula notabili. Oculi magni non admodum prominentes, pupilla nigricante rotundata, (e contrario praecedentium, quae linearem habent,) iride brunnea. Singulares habet pedes anticos longos digito medio longiſſimo, quem ſequitur ſiniſter eius, tunc dexter, extimus, intimus longitudine, qua nota optime a reliquis dignoſcitur. Corpus longum, robuſtum, dorſo tumido. Lingua et pedes poſtici vt praecedentium. Pellem habet craſſiſſimam: pullorum piloſam ſatis, pilis ſubdecliuibus, mollibus, fundo vix lanato; maiorum autem pilis rarioribus deciduis, et ſumma aetate fere nudam. Color variat aetate: pullorum liuidus ventre albo, proxima aetate totum liuido-nigricans; dein dorſum palleſcit, et ſumma aetate fere tota nigra euadit. Lardum habet craſſum ſatis, ſed minime oleo diues. Caro albeſcit vt vitulorum.

HABITAT in alto mari Groenlandiae, praeſertim inter glaciei fragmenta; verno tempore etiam terram propius accedit, inter inſulas conſpecta, tam parte auſtrali frequentior, quam boreali, imprimis loco dicto Irſortok. Conf. Sp. 2.

VICTVS huius vt Phocae leoninae (Sp. 5).

PARIT primo vere, circiter Martio, pullum ſolitarium, ſuper fragmenta glaciei maiora in alto mari.

Eſt haec timida, incauta. Glaciem mari mobilem, raro fixam, aſcendit, terram vero non itidem. Veteres validae magnitudinis tarde natant.

VSVS. De carne, ſanguine, inteſtinis, tendinibusque vid. Sp. 5. Lardum huius ſaepius editur, Groenlandis delicatiſſimum; rarius comburitur. Pellis veterum craſſa in lora ſcinditur, quorum vſus multifarius, vt lora venatoria, vincula cymbarum veſtimentorumque etc. nec non lineae piſcatoriae; (itaque haec phoca Groenlandis maxime neceſſaria;) iuniorum hirta pro ſtrato lecti habetur, rarius in veſtimenta vſitata.

Merces venales, lardum pellisque, de hac raro acquiruntur.

CAPITVR tam a ſolitario, quam pluribus aſſociatis, harpaginibus, lanceis iaculisque.

OBSERV. Memorant adhuc Groenlandi de quibusdam animalibus marinis, nempe:

1. *Singuktok*, quod dicunt phocam roſtro longiſſimo, ceterum *Phocae groenlandicae* ſimilem, et videtur eſſe Lapponum *Fatne-Viudne*, Leem, 214.
2. *Imab-ukallia*, Phoca tota candida, iridibus igneis. Narrauit mihi Groenlandus fide dignus, hanc ſemel eſſe captam ad Coloniam Friderichshaab. An *Jægees* Leem, 213?
3. *Atarpiak* v. *Atarpek* deſcribunt phocae groenlandicae ſimillimum, ſed minutiſſimum, (manus tantum magnitudine,) corpore piloſo, albido, macula laterali atro-lunari; vt piſcem hamo attrahi in ſinu auſtrali dicto *Tunnudliorbik*. Forſitan eſſet *Hauskar-gubbo*, Leem, not. 66.
4. *Kongeſeteriak* v. *Kongevſetoke*, hominis figura, crinibus dependentibus, reliquo ſine pilis rubro; ſemper ridentem dicunt. Sic eſſet *Siren* Art. gen. 81. *Margyo* Torf. 97. Eg. 47 (i).

Horum autem ne quidem pellibus vel craniis a me viſis, nihil certe determinare queo.

10. CANIS FAMILIARIS.

Canis cauda recuruata, ſubtus lanata auriculis erectis.

Canis domeſticus, Syſtem. nat. I, 57. α. Müll. prodrom. 4.
Hund, Eg. 35. Cr. 100.
Köteren, Bom. III, 566.
Wolfshund, Buff. III, I, 133. Tab. 26.
GROENL. *Kemmek* v. *Kremmek*.

DESCRIPT. Facies et ſtatura fere lupi, naſo attenuato, longiuſculo, auriculis breuibus, pilis ſatis longis confertis; magnitudine tamen illi cedit. Colore variat iam totus albus pretioſior, iam albus fronte nigro vulgatior; datur etiam variegatus ex albo nigroque, rarior autem fuſcus, ruber, vel totus niger. Arbitrarie caudam tam dextrorſum quam ſiniſtrorſum recuruat.

HABITAT vbique domeſticus, praeſertim autem in locis borealibus, vbi vſus eius maximus; auſtralioribus rarior, intermediis rariſſimus.

VARIETAS huius datur rariſſime piloſior pilis longiſſimis, Groenlandis dicta *Merkotok*, praeſertim tractibus auſtralibus occurrens, Cani Siberico Buff. l. c. tab. 30. maxime ſimilis.

VICTVS. Praeter hominum data et abiecta, ipſe quaerit mytilos et alia teſtacea, interdum etiam piſces iuxta littus maris. Vidi etiam baccas empetri nigri comedentes. Congenerum autem coruique carnem, lardumque phocarum non appetit.

Eſt admodum fertilis, non raro 8 - 10 pullos habens, bis anno.

MORES: magis murmurans et eiulans quam latrans, (non tamen omnino nihil, vt volunt autores,) valde furax

rax et feriori natura quam canes europaei; non tamen mordax contra homines, nisi raro foemina pullos habens (talemque domant incolae oleum in aures eius fundendo). Foris dormit, hieme etiam, in niue lacunam faciens vix rostro porrecto. Natare valent fere omnes; gregatim persequi solent canem lagopum, vrsum maritimum, et tetraones lagopos, nec non phocas super glaciem cubantes. Etiam animalia peregrina introducta, oues, gallinas etc. inuolant more lupi. Inuicem bellitant ad mortem vsque. Rabies canina in Groenlandia inaudita.

VSVS. Viui incolis borealibus vt nobis equi, interdum etiam in venationem vrsorum adhibentur. Caro editur cocta, non tamen ab omnibus. Pellis varie vtilis in vestimenta; de hac praesertim habent tibialia sua et stragula lectorum. Ex intestinis conficiuntur fila certo vsui optima.

OBSERVAT. Fabulatur mire Anderson, p. 163. canes groenlandicos vt feras describens, ad 4000 vsque dari in insulis vulgo Caninis, incolas illos venari, et quae plura.

11. CANIS LAGOPVS.

Canis cauda recta, apice concolore.

Canis lagopus, Syst. nat. I. 59. Müll. prodr. 1.
Bær, Eg. 34. Gl. 80.
Füchse, Cr. 97. Adel. 370. Tab. XV. fig. 2.
Isatis, Buff. VII, I. p. 152.
Hvidog Sort Ræv, Pont. II, 35. Ström, I, 156. Kalm-Bihus, 236.
Melrak, Bom. VI, 473.
Njal, Leem, 194.

GROENL. *Terienniak, Kakaka.*

DESCRIPT. Est vulpe minor; mas plerumque foemina maior. Habet pilos longos satis, confertissimos,

tenuiſſimosque, ideoque pellem elegantem, caudam fere corporis longitudine vulpinam, naſum attenuatum vibriſſis longis, auriculas erectas breues, oculos nigros iride fulua, pedes anticos 5-dactylos, poſticos, 4-dactylos, vnguibus nigricantibus, ſubtus denſiſſime piloſos leporinos, cauda breuiores. Viuus foetet. Vocem habet triplicem: eſurientis eiulando, coire volentis clamando, periclitantis murmurando; admodum viuax.

Dantur huius duae *varietates:* altera coeruleſcenti-nigricans pedibus ſubtus lana alba et vibriſſius interdum albidis (GROENL. *Kernektak*); altera tota alba naſo nudo nigro (GROENL. *Kakkortak*): minime tamen, ſpecie diuerſae; inuicem enim coeunt, et vtraque vtriusque coloris pullos habet: quin imo coeruleſcentem in albam, itidem albam in coeruleſcentem, cum aetate transmutari poſſe videns ſum teſtis.

HABITAT vbique inter montes, verſus boream tamen rarior.

VICTVS ſunt cadauera omnia, lepus, tetrao lagopus, oua volucrium, nec non ipſae aues nidificantes, empetri baccae, mytili, myae et piſces varii; praeſertim autem ſalmones arctici, quos eludit, dum littora adeunt pro ouis pariendis, et gadi aeglefini, quos fallit mouendo aquam, dum natura ſua aggrediuntur et arripiuntur.

Eſt monogamus; congreditur more canis bis anno, menſibus Martio et Maio; parit plures pullos menſibus Aprili et Iunio in fodinis ſuis ſubterraneis, velut vulpes.

MORES: vt vulpes, cautus, callidus, furax; interdiu rarius videtur; noctu praedatur, in incolarum ſub lapidibus recondita victualia valde infeſtans; natare valens in inſulas traiicit, praeſertim aeſtiuo tempore nidos auium quaerens. Quoad piſcaturam eius ſupra dictum eſt.

VSVS.

VSVS. Caro a paucis editur; pellis in fimbrias veſtium circa manus et collum interdum ab auſtralioribus incolis adhibetur. Tendines dant fila bona.

Merces venales ſunt pelles, coeruleſcentes pretioſiores quam albi.

CAPITVR: 1) in decipulis lapideis viuus, 2) in lacunis niuis, quarum orificia tendiculis cinguntur, quibus irretitur, eſcam in fundo lacunae quaeſiturus, 3) in foveis lapideis altis, in quas fallaci modo decidit, per foramen minus retrogredi non valens ob profunditatem. 4) Sclopis etiam occiditur, 5) nec non iaculis a pluribus aſſociatis in inſula vel peninſula eum cingentibus.

12. MVSTELA GVLO.

Muſtela pedibus fiſſis, corpore rufo-fuſco, medio dorſi nigro.

Muſtela gulo, Syſt. nat. I, 67. Müll. prodr. II.
Gieedk, Leem, 201.
Jerv, Act. Nidr. III, 143. Tab. III. fig. 5. 6. Pont. II, 37. c. fig. Ström, I, 152. Bom. IV, 42.
Vielfras, Gmel. III, 492. Buff. VII, I, p. 155.

GROENLAND. *Kappik*.

DESCRIPT. Huius tantum pellem vidi variegatam ex rufo-fuſco, dorſo magis fuſco, abdomine magis cinereo, pilis fere lagopi. E narratione incolarum autem habeo, animal *Kappik* magnitudine lagopum parum ſuperare: cauda breuiore albida fuſco interſtincta, naſo latiore, dentibus longioribus, pedibus mediocribus, vnguibus longioribus.

HABITAT in auſtraliori tantum parte Groenlandiae, et quidem inter montes ſuperiores, praeſertim iuxta fluuios.

VICTVS: lepus, tarandus. (Huius tamen cor solum edere putant Groenlandi.)

VELOCITER currit; non tamen vt lagopus recta, sed oblique saliens, magnis saltibus praedam suam inuolat. Est admodum mordax, ferociter etiam persecutores suos infestans.

VSVS huius vt lagopi; sed rarissime capitur sclopis, dum Groenlandi illam offendere metuunt.

13. VRSVS MARITIMVS.

Vrsus albus cauda abrupta, capite elongato, collo anguſtiore, pilis longissimis.

Vrsus albus, Müll. prodr. 16. 6. Torf. p. 85.
Vrsus marinus, Pal. It. Russ. III. app. p. 1.
Biörn, Eg. 32. c. fig. Gl. 85.
Weisse Bær, Cr. 98. Buff. IV, II, p. 143. 151. Tab. XXXII. et VIII, I. pag. 88. Ellis, 39. tab. 7. Adel. 371. tab. XV. fig. 3.
Avidbiörn, Bom. I, 327.

GROENLAND. *Nemok.*

DESCRIPT. Est inter animalia grandiora numerandus. Totus albus, senectute flauescens, densissime pilosus, pilis longis pedes ex parte tegentibus, fundo laneo-contortuplicatis, mollibus. Nasus nudus niger; vngues magni nigri. Frons veterum fere nuda fusca. Caput elongatius, collumque anguſtius, quam vrsi vulgaris. Dentes prim. sup. 6; inf. 6 laniarii solitarii 4, interdum 3 vnc. long. compresso-conici; molares 5: sic omnes dentes 36.

HABITAT vbique praesertim super glaciem tam mobilem, quam fixam; interdum etiam de hac terram ascendit, sinus glaciales lubentissime quaerens: copiosior in

in tractibus borealibus, rarior in australibus, rarissimus in intermediis Groenlandiae.

EDIT phocas, trichechum rosmarum, quos super glaciem occidit; alias omnis generis cadauera, praesertim maxima, omne illorum consumens, pelle sola relicta. Dicitur etiam occidere tarandum, leporem, tetraones lagopos, et petere baccas empetri nigri, vaccinii-que vliginosi.

PARIT pullos 1, 2, raro 3, hieme, et quidem, vt volunt Groenlandi, saepissime super fragmenta glacialia; si autem hoc tempore terram inhabitat, cubile in nive sibi illisque facit.

MORES Terra marique degens, est verum amphibium sensu veterum. Plurimum tamen tempus in glacie consumit, cum qua regiones remotiores interdum visitat. Natare optime, sed breui tantum se submergere valet. Saeuit in omne viuum, praesertim phocas et rosmarum: defectum roboris contra huius dentes validos supplet astutia; fragmenta enim glaciei prehendens in caput rosmari protrudens, vacillare facit, et sic facile occidit: interdum tamen vel a rosmaro deuincitur, vel vterque ex vulneribus moritur. Phocas vel dormientes eludit, vel iuxta illarum foramina in glacie exspectans appropinquantes improuise apprehendit. Non facile saeuit in homines, nisi famelicus. Memoratu hic dignum habeo, quod Groenlandi etiam sciant se mortuos simulare, vrsum persequentem euitare volentes. Pellitur etiam odore pennarum crematarum. Canes metuit. Visus eius mediocris tantum, sed auditus et odoratus optimus. Interdum in niue format sibi habitaculum, quod tamen pro hibernaculo non habendum est; sed, vt videtur, foeminae tantum cum pullis suis inseruit: etenim tam brumali, quam aestiuo tempore occurrit extra praedans.

VSVS. Caro et lardum lubentiſſime editur. De pelle habentur ſedes varii generis, nec non ocreae, ſoleae, chirothecae; de tendinibus fila ſutoria.

Merces venales ſunt etiam lardum et pellis, ſed raro acquiruntur.

CAPITVR lanceis a pluribus aſſociatis illum natantem perſequentibus, nec non ſuper glaciem cum canibus bellitans, ſicque caudam valde metuens, minusque cautus, facilius a poſtico venatore obruitur. Interdum etiam ſclopis occiditur.

OBSERV. Memorant etiam incolae de vrſo nigro v. fuſco montano; (conf. Cr. l. c.) forſitan vrſus arctos, Syſt. nat. I, 69. Müll. prodr. 16, quem autem non vidi.

14. VRSVS LVSCVS †.

Vrſus cauda elongata, corpore ferrugineo, roſtro fuſco, fronte plagaque laterali corporis pallidiore.

Vrſus luſcus, Syſt. nat. I, 71.
Quickhatch, Ell. 40. tab. 4.
Spitzbergiske Ulv, And. 163.

Hunc eſſe animal Groenlandorum decantatum ſub nomine *Amarok*, (vid. Eg. 33. Cr. 99.) ex deſcriptione pellis eius, Cr. cont. 287. vbi dicitur ſubfuſca, ſubfumo. Forſitan etiam veterum Hyaena, Torf. 82.

DESCRIPT. Dum rariſſime viſus eſt, non mirandum, incolas in deſcriptione diſſentire multaque fabulari; in his tamen plurimi conſentiunt, quod habeat corpus longum fere magnitudine vrſi ex pluribus coloribus variegatum, perpendiculariter fere erectam caudam etiam variegatam, pedes et vngues longos.

HABITAT inter montes altiſſimos glaciales.

VICTVS

VICTVS eius tarandus.

Dicitur admodum crudelis, homines etiam infestans, velocissime currens, cauda sua valde percutiens, praedam suam insiliendo momento fere interficiens dorsoque suo auferens, arcum extensum metuens.

Est terror Groenlandorum, cuius simili tantum viso fugiunt, nec cito in locum talem veniunt. Indiuidua tamen pauciſſima dari verosimile est.

15. LEPVS TIMIDVS.

Lepus cauda abbreuiata, auriculis apice nigris.

Lepus timidus, Syst. nat. I, 77. Müll. prodr. 23. Faun. Suec. 25.
Hare, Eg. 34. c. fig. Gl. 75. Bom. III, 309.
Haſe, Cr. 95. Buff. III, II, p. 138. tab. XXXVIII.
Jaſe, Ström, I, 151.
Niaamel, Leem, 186.

GROENL. *Ukalek.*

DESCRIPT. Lepus groenlandicus, tam aestate quam hieme albus, exceptis apicibus summis auricularum nigris. Pulli tamen griseo-liuidi. Est pinguis pilosusque satis. Vibrissae albae basi nigra. Dentes prim. 4, mol. 20. Magnitudine cum plurimis certare videtur, dum datur 2 fere pedum longitudine, et 10 vnciarum latitudine in medio corporis.

HABITAT vbique satis numerosus, praesertim locis remotioribus et montibus niueis. Hinc forsitan semper albus.

VICTVS praecipuus gramina tenuiora iuxta riuos vallium.

Parit vltimo Iunii pullos plures. Ipsemet vidi in vtero habentem octo concatenatim iacentes.

VSVS. Caro editur cocta; contentum etiam ruminis ſ. ventriculi primi crudum conſumitur, Groenlandis delicatiſſimum. Pellis adhibetur in veſtimenta praeſertim infantium, et fimbrias varias, nec non pro panniculo bibulo, tam mulieribus in menſtruis ſuis, quam maribus in cymbis ſuis. Excrementa eius interdum etiam pro ellychnio lampadum habentur.

CAPITVR arcubus, laqueis, ſclopis, interdum lapidando.

OBSERV. Habeo etiam de Groenlandis autoptis, animal dari lepori ſimile, auriculis longis, naſo fiſſo, cauda breui, album excepta linea tergi obſcura, ſed magnitudine cerui tarandi, quod nominatur *Ukalcrajek*. Forſitan noua ſpecies, de qua autem, a me non viſa, nihil certi determinare valeo. Conf. Gl. 79.

16. CERVVS TARANDVS.

Ceruus cornibus ramoſis recuruatis teretibus, ſummitatibus palmatis.

Ceruus Tarandus, Syſt. Nat. I, 93. Müll. prodr. 36. Faun. Suec. 41.
Rensdyr, Eg. 33. c. fig. Pont. II, 18. c. fig. Bom. VI, 492. Högſtr. 420. And. 161.
Renthier, Cr. 95. Adel. 113. 708. Buff. VI, II, p. 49. 72. Tab. X—XII.
Rehe, Adel. 370. Tab. XV. Fig. I.
Gröndlandiske Gemſe, Buff. V, I. p. 54.
Godde, Leem, 182. c. fig. pluribus; vide praeſertim tab. XLI.
Ceruus mirabilis, Ionſt. tab. XXXVI.

GROENLAND. *Tukto*; mas *Pangnek*, foemina *Kollauak*; pullus *Norak*.

DESCR.

DESCRIPT. Cornua magna, radice ad 2 vnc. craſſa, teretia, ſurſum tenuiora, compreſſiora, in extremis inciſo-palmata, recuruata ſupra oculos; de medio antico excurrit ramus cornu totum referens figura; adhuc veteres in parte auerſa habent ramos ſimplices acutos, nec non ad radicem palmam minutam antrorſum vergentem, quam in vtroque cornu inueni contra aliorum ſententiam. Maximum cornu, quod vidi, habuit 2 ped. 7 vnc. longitutidinem a radice ad apicem vsque, ſed palma media 13 vnc. et radicis 7 vnc.; inter extrema cornu vtriusque erat diſtantia 16 vnciarum. Vndique erant tecta cute piloſa, lana ſuluo-griſea, quae tamen amittitur iuxta tempus brumale cornu perfecto. Foemina etiam cornuta, ſed cornibus minoribus vilioribusque. Quotannis cornua mutat. Dentes prim. inf. 8, ſup. nulli; molares 24. Datur 9 ped. 3 vnc. longitudine, capite 15 vncias aequante. Pellis vndique piloſa, pilis aeſtate rarioribus, breuioribus, decliuioribus, ſubfuſcis, abdomine albo; hieme confertioribus, longioribus, erectioribus, albeſcentibus: tunc etiam habet barbam albam, vt hircus. Pulli habent dorſum ſuluum, ſuntque magis lanati.

HABITAVIT quondam vbique inter montes continentis copioſe, iam autem rarior euadens montibus remotioribus fere tantum quaerendus. Inſula *Diſco* quoque tarandos habet.

EDIT quidem gramina varia; cibus tamen praecipuus eſt lichen rangiferinus cum aliis lichenibus fruticuloſis.

CONGREDITVR circa brumam, et parit menſe Maio vel Iunio pullum plerumque ſolitarium, rarius gemellos.

Praeſtat, vt notum, curſu, odoratu, audituque. Plures gregatim magis cauti, quam ſolitarius. Natare etiam valet bene ſatis, lacus et riuos traiicere ſolens.

VSVS.

VSVS. Caro eius, incolis omnium optatiſſima, editur ſaepiſſime cruda, etiam cocta, ſiccata, nec non fumigata lichene niuali, rarius ſubputrida. Sanguis interdum a venatoribus feſſis bibitur, alias coctus cum baccis empetri vſitatur. Pingue eius craſſiſſimum ſeparatim editur, fruſto minuto etiam care habito. Contentum ruminis f. ventriculi primi, Groenlandis *Nerrokak*, v. *Nerrivkak*, lubentiſſime conſumitur; inteſtina etiam cocta. Pellis in veſtimenta, tegumenta tentoriorum interiora, nec non ſtrata lecti, pulcherrima. Cornuum oſſiumque vſus varius in rebus domeſticis, naualibus venatoriisque. Ex tendinibus fila ducuntur optima.

Ab exteris petuntur pelles.

CAPITVR arcubus vel a ſolitario, vel a pluribus cingentibus; iam iam ſaepiſſime ſclopis occidi ſolet: hinc metuens in remotiora loca ſecedit.

17. BOS GRVNNIENS.

Bos cornibus teretibus extrorſum curuatis, vellere propendente, cauda vndique iubata.

Bos grunniens, Syſt. nat. I, 99.

Tartariſche Kuh, Buff. VIII, I, p. 93.

GROENLAND. *Umimak.*

Huius cranium laeſum, (cornu altero tantum reliquo,) vngulos et pilos longiſſimos nigros fundo lanatos, ſemel ſuper glaciei fragmenta in mari groenlandico reperta, egomet ipſe vidi. Certe tamen non domicilium habet in Groenlandia occidentali, niſi forte orientali, ſed potius a littoribus Aſiae borealis cum glacie haec ſecuta eſſe, reliquis ab vrſo maritimo comeſis, exiſtimarem.

OBSERVAT. I) Quadrupedes extranei, ab Europaeis introducti, ſunt:

1) *Canis familiaris* varietates quaedam, Groenl. *Meke.*

2) *Felis*

2) *Felis Cattus*, (Syſt. nat. I, 62.) Groenl. *Kitſungoak*.
3 et 4) *Mus Rattus*, (Syſt. nat. I, 83.) Groenl. *Teriak*, et *Muſculus*, (loc. cit.) Groenl. *Teriangoak*, interdum cum nauigiis improuiſe afferuntur, noxii ſatis, ſed ante finem hiemis primae moriuntur.
5) *Ouis aries*, (Syſt. nat. I, 97.) Groenl. *Saua*.
6) *Capra Hircus*, (Syſt. nat. I, 94.) Groenl. *Sauarſuk*.
7) *Bos Taurus*, (Syſt. nat. I, 98.) Groenl. *Umimak*.
8) *Sus Scrofa*, (Syſt. nat. I, 102.) Groenl. *Polike*.
9) Quondam etiam *Equus Caballus*, (Syſt. nat. I, 100.) Groenl. *Nerſurſoak*; nunc vero non.

De 7 et 8 etiam incertus ſum, an hodie in Groenlandia dentur; ſed 5 in pluribus locis, et 6 in Colonia Friderichshaab cum lucro, dum ſatis fertiles et praeter gramen edunt etiam ſalmones arcticos ſiccatos, imo pingueſcunt, quod experientia propria ſcio.

11) Quid ſibi velit Buffon V, II, pag. 81. loquens de Schiuro cinereo, ſ. *Petitgri* groenlandica, neſcio, cum nunquam ſciurum in Groenlandia vidi, nec de tali audiui: attamen cum datur in America boreali, (vid. Syſt. nat. I, 86. et Kalm. Am. II, 409.) credibile ſatis eſt, etiam dari in partibus auſtralioribus Groenlandiae.

18. MONODON MONOCEROS.

Monodon dente cornuformi, ſpirali, rarius duplici, recto, praelongo, exſerto in maxilla ſuperiore.

Monoceros, Syſt. nat. I, 105. Müll. prodr. 44. Art. gen. 78.
Eenhiörning, Eg. 42. c. fig. Gl. 143.
Einhörn-Fiſch, Cr. 146. Adel. 313. 386.
Nahvalr, Torf. 94.
Hafreidr, idem 96?

Narhual,

Narhval, And. 191. 197. c. fig. Bom. III, 604. conf. II, 166,
See-Einhorn, Ell. tab. 7.

GROENLAND. *Tugalik*, *Kelelluak-kernektok*, vel abſolute: *Kernektak*.

DESCRIPT. Colore totus niger, veterum tamen albo-marmoratus. Pinnae 2 pectorales; cauda horizontalis. Dorſum impinne, latiuſculum, conuexum, caudam verſus acuminatum. Caput breue conuexo-gibboſum, roſtro attenuato-rotundato; fiſtula in vertice intrinſecus duplicata; lingua longa. Dentes in ore nulli; ſed de maxilla ſuperiore latere alterutro (iam dextro, iam ſiniſtro,) proſtat dens praelongus, qui cornu dicitur, albus, parte viſibili turbinatus ad apicem vsque, occulta vero laeuis, radice cauus, quae cauitas vt medulla totum fere dentem tranſit; latus non dentatum tamen habet ſimilitudinem talis cutem non facile perforantem, forſitan ſucceſſorem deſtinatum maioris, ſi forte rumperetur. Dantur etiam rarius mares duo dentibus aequalibus. Ceterum tam foeminae, quam mares, dentatae. Cutis nuda glabra; lardum oleoſum craſſum; caro rubra; abdomen laeue ſine rugis. Balani ſpeciem minutam gerere dicitur.

HABITAT in borealibus partibus freti Dauidis, praeſertim ſinu Diſco vltraque, auſtralioribus rariſſime.

VICTVS praecipuus pleuronectes cynogloſſus et actiniae maiores, quos molles lubricosque dente ſuo facile perfodiens illoque erecto magis ori appropinquantes lambendo ſugendoque conſumere dicitur.

Dum loca frigidiſſima glacialia amat, attamen, anhelare ſaepius opus habens, plerumque vnam vel plures voragines maiores glacie non congelatas habet, illucque pluribus ſimul petentibus, mirum eſt, quod ſe inuicem dente proſtante non laedant, hoc natando dorſum ſocii quaſi

quaſi incumbente. Gelu tamen inſtante his voraginibus etiam concreſcere incipientibus, ob crebros aduentus monocerotis, margines glaciales quaſi eleuantis, demum niuis aquaeque additamento, loca talia tumida euadunt, aerem inter aquam glaciemque continentia, ſic poſtea refugia continua anhelaturis. Talia ſumma borea quam plurima dari dicuntur.

VSVS. Caro Groenlandis delicatula editur cocta, ſiccata, ſubputrida, rarius cruda. Cutis lardumque ſimul cruda conſumuntur; lardum etiam in lampadibus comburitur. Inteſtina cocta eduntur. De fauce habentur veſicae, varie ſub venatu marino vſitatae. Tendines dant fila optima. Cornu multifariam vtile in inſtrumenta venatoria, etiam ab incolis boreae ligno carentibus in domibus tentoriisque ſuis pro ligno habetur.

Merces venales ſunt lardum et cornu pretioſiſſimum.

CAPITVR harpaginibus, rarius in aqua ampla, ſaepius in voraginibus ſupra dictis.

19. MONODON SPVRIVS *.

Monodon dentibus duobus minutis in maxilla ſuperiore, dorſo pinnato.

GROENLAND. *Anarnak.*

DESCRIPT. Cetum rarum monodonti maxime affinem ad genus illius pro tempore retuli. Dentes nullos habet in ore; ſed de extremo mandibulae ſuperioris prominent dentes 2 minuti, conici obtuſi, apice parum curui, debiles, vix vncia longiores. Corpus elongatum, teres, nigrum. Praeter pinnas pectorales et caudam horizontalem etiam habet pinnam minutam dorſalem. Inter minimos numerandus. Caro et lardum eius laxe ſupra modum purgantes; hinc nomen eius groenlandicum,

cum, quod eſt: cacare faciens; qua proprietate Torfaei *Svinhvalr* et *Andhvalr*, p. 90. vet. VI. proxime accedit.

HABITAT in alto mari, rariſſime oras accedens. Eſca eius ſepia loligo.

Fiſtula capitis anhelat, vt reliqui ceti. Non facile ſe immergendo caudam oſtendit; ſed ſaepius pro more habet, retrorſum de aqua aſſurgere ad pinnas pectorales vſque, ante, non poſt nauigia ſe oſtendere lubens.

VSVS. Editur quidem tam lardum, quam caro, ſed non ſine metu ob proprietatem eius purgandi.

Cadauera huius fere ſola acquiruntur, rariſſime vivo viſo.

20. BALAENA MYSTICETVS.

Balaena naribus flexuoſis in medio capite, dorſo impinni.

Myſticetus, Syſt. nat. I, 105. Müll. prodr. p. 45.
Balæna fiſtula, in medio capite, dorſo caudam verſus acuminato, Art. Gen. 76. Syn. 106. Spec. 106.
Bardefiſk, Eg. 36. c. fig.
Grönlændiſſe Walfiſk, Cr. 141. 155.
Arbek, Gl. 137. 140. 146.
Grönlandſke Hval, And. 180.
Nordhvalr, v. *Vatzwalr*, Torf. 95.
Sletbakur, Horr. 256. Ol. 541. 981.
Walfiſk, Ell. tab. 7. Adel. 388. Tab. XVI. fig. 1. 2.
Sletbag, Bom. III, 598.
Tue Qual, Ström, I, 298.
Balæna vulgaris, Pont. II, 195. Ionſt. piſc. 216.

GROENL. *Arbek*, v. *Argvek*, *Arbavik*, *Sokalik*.

DESCRIPT. Haec facile maxima balaena, (foemina maiore,) dentibus carens, illorum loco, vt notum, habet laminas

laminas corneas maxillae ſuperiori inſitas ordine vtrinque fere dentium anatis, ſed magis contiguas, ſaepius nigras, radicatas baſi communi alba, verſus baſin latiores, apicem acutiores, extus craſſiores parum incuruatas, intus tenuiores fere rectas, margine hoc apiceque ciliatas ſetis equinis, medias longiſſimas 3—15 pedum menſuram tenentes, a mercatoribus bonas dictas, ſaepe numero 500, praeter anticas poſticasque multo breuiores. Intra has notas verſus palatum alias habet ſpurias, molliores, glabras, fere quadratas, longitudine vix 4 vnc. ſuperantes, craſſitie fere rhachis pennae, apice ſetis longis praeditas, ordine veras ſequentes, ſed magis diſtantes. Aures minuti tantum tubuli, pennae amplitudine vna cum oculis minutis e regione fere pinnarum pectoralium ſiti In mandibula inferiore, latiore, eſt cauitas, laminas ſuperioris excipiens exque parte tegens. Color pulli fuſco-marmoratus, maioris fere niger veteris ex nigro alboque maculatus, in plerisque mandibula inferior alba; nonnulli veteres etiam habent cingulum album, a dorſo ventrem vsque decurrens. Lardum huius largum, optimum, hieme craſſius, dat 120—150 pluresque tonnas olei

HABITAT in partibus borealis ſinus maris groenlandici, praeſertim ſupra gradum 66tum, raro auſtralioribus.

CONGREDITVR, vti volunt, corpore erecto, capite ſupra aquam prominente; parit menſe Aprili pullum plerumque vnicum.

ESCA eius praecipua ſunt inſectorum marinorum duae minutae ſpecies, ſcilicet: cancer pedatus et oculatus — nec non argonauta arctica. Mirum ſatis, quod animalia minutiſſima maximis alimentum ſufficiens eſſe poſſint, et inde pinguedo tam magna hauriatur. Sunt autem haec in mari groenlandico tam copioſa, vt Myſticetus os tantum aperiendo multa millia pinguia ſatis ſimul cum aqua ingurgitare queat. Huicque functioni optime ſeruiunt la-

minae eius corneae, per quas aquam emittens intus quasi post praesepe rapinam suam retinet. Etiam in hoc admiranda est natura, quod cancri illi laminis eius delectantes, circumcirca illuc petentes, sponte quasi ingrediantur. Medusas etiam edere, vt vult perillustris a Linné cum aliis, nunquam a Groenlandis confirmatum audiui; nec verosimile videtur, dum hae neque tam copiosae, neque tales, vt pinguefacerent, gelatinosae enim materiae, sint.

Immane hoc animal, satis formidabile, si dentibus praeditum, iam autem timidum, robur suum in cauda sola fere habens, hostes minores fugit.

VSVS eius maximus in oeconomia groenlandica: vnicus enim familias plures contra gelu famemque diu seruare sufficit. Caro editur cocta, siccata, subputrida, non satis bona nisi nuper occisi. Cutis, cauda, pinnaeque crudae (rarius coctae) consumuntur. Lardum tam editur, quam comburitur. Intestina vt phocarum adhibentur. De tendinibus habentur fila maiora, exque iis conficiuntur retia varia. Ossa varie in instrumenta venatoria, domestica naualiaque vsitantur; deque laminis corneis oris conficiuntur lineae piscatoriae optimae.

Merces venales sunt lardum et laminae oris pretiosissimae, vulgo *Barder*, minus recte *Fiskebeen*, dictae.

Est etiam lucrum optimum extraneorum piscatorum, huius caussa oceanum borealem frequentantium.

CAPITVR harpaginibus lanceisque a pluribus coniunctim, qui illum in cymbis maioribus infestant.

21. BA-

21. BALAENA PHYSALVS.

Balaena fiſtula duplici in medio capite, dorſo extremo pinna adipoſa.

Balaena Phyſalus, Syſt. nat. I, 106. Faun. Suec 50. Müll. prodr. 46.
Balaena fiſtula in medio capite, tubere pinniformi in extremo dorſo, Art. gen. 77. Syn. 107.
Finnefisk, Eg. 36. c. fig. And. 187.
Finnfisk, Cr. 145. Adel. 408. tab. XVI. fig. 3.
Sildreki, Torf. 91.
Tunnolik, Gl. 139.
Rörqual, Ström, I, 298.
Rören, Deb. 167.
Store Rörhval, v. *Storhval*, Bom. III, 594. Leem, 298.
Hnufubakr, Ol. 541.
Phyſeter, Ionſt. piſc. 217.
Jupiter-Fisk, And. 187. Cr. 146?

GROENLAND. *Tunnolik*, *Tekkirſok*.

DESCRIPT. Non longitudine, ſed latitudine, praecedenti cedit. Laminae oris etiam multo breuiores, longiſſimis pedem non multum ſuperantibus, licet latae ſatis. Corpus eius teres, ſtrictius. Lardum tenue, minus oleoſum, ideoque circiter 10 tonnas tantum dare dicitur.

HABITAT paſſim in mari groenlandico, autumno praeſertim oras cum ſequenti aggrediens.

VESCITVR clupeis, ſalmone arctico, et aliis piſcibus paruae magnitudinis.

Eſt admodum fera, velociſſime natans, vehementer anhelans per fiſtulam capitis, quo facile a ceteris cognoſcitur.

VSVS carnis, pinnarum, caudae, cutis, offium, tendinumque vt myfticeti. Lardum potius editur, quam comburitur. Laminae corneae minus vtiles.

CAPITVR raro harpaginibus vel lanceis, venatorem non exfpectare volens. Interdum iaculis vulneratur, vnde caro inflammatur, et denique moritur incerti inuentoris vfui.

22. BALAENA BOOPS.

Balaena fiftula duplici, dorfo extremo protuberantia pinnaeformi, capite recto obtufo, ventre fulcato.

Balaena Boops, Syft. nat. I, 106. Müll. prodr. p. VIII.

Balaena fiftula duplici in roftro, protuberantia corniformi in extremo dorfo, Art. gen. 77. Syn. 107.

Butskop, Eg. 41. Adel. 384.

Hrafn-Reidur, Torf. 90. Ol. 542.

Sildqual, Ström, 298. (Sed fynonyma non quadrant.)

Stubben v. *Nordkaperen*, Leem, 299.

Grindehval, Deb. 155.

Pflokfisk, And. 191. Cr. 146?

GROENLAND. *Keporkak.*

DESCRIPT. Hanc faepius contemplandi occafionem habui, etiam vnam occidere adiuui, ideoque de illa certior fum. Fiftulam duplicem f. nares approximatas habet circiter medio capitis in tuberculo eminente, quas autem operculo communi claudere valet, vt quafi vna videantur. Roftrum rectum, elongatum magis magisque anguftatur, definens tamen apice fatis lato obtufoque—Ante nares in vertice capitis tres ordines conuexitatum

xitatum circularium, huic forſitan peculiare quid. Maxilla inferior ſuperiore parum breuior ſtrictiorque, verſus ſuperiorem oblique tendens. Oculi pone nares in lateribus capitis, magnitudine vt phocae leoninae, nigri iride alba. Aures minutiſſimae aperturae pone oculos. In maxilla ſuperiore numeroſas habet laminas corneas, vt myſticeti ſitas, nigras, vix pedem ſuperantes, interſtitium tamen anticum ſine lamellis. Palatum album. In maxilla inferiore cauitas lamellas oblique intus tendentes excipiens. Lingua magna, rugoſa, pinguis, colore hepatis: de hac verſus faucem cutis laxa quaſi operculum dependet. Pinnae pectorales magnae obouato-oblongae, margine poſtica integrae, regione cubiti parum fractae, antica autem rotundato-crenatae. Pinnae hae non mere cartilagineae, ſed intus brachiis, carpis et 5 digitis articulatis oſſeis, cute licet vndique tectis, praeditae, vnguibus tamen deſtitutae. Pinna dorſalis a capite remotior circiter ſupra anum cartilagineo-adipoſa ſine oſſibus, compreſſa, baſi latior, apice acutiuſcula, antice ſurſum repanda, poſtice fere perpendicularis. Dantur tamen, quae apice parum curuatam habent; in aliis etiam longior, in aliis breuior. Corpus teres, iuxta pinnas pectorales craſſiſſimum, inde magis magisque ſtrictum, praeſertim poſt coſtas vsque ad caudae baſin, quam complecti valemus. Pone pinnam dorſalem incipit carina acuta in pinnam caudalem vſque pergens. Pinna caudalis horizontalis, materia pinnae dorſalis bilobata inciſura media; lobi rotundato-acuti margine antica integri, poſtica crenati. Subtus a gula ad vmbilicum multas profundasque habet rugas, ſ. ſulcos abdominales, ſe inuicem cingentes, (duabus ſemper antice poſticeque concurrentibus et angulum formantibus, ſicque extimis longioribus,) a lateribus magis rotundatas. Hos ſulcos dilatare et conſtringere valet. Magnitudo eius interdum 50—54 pedum. Color partium omnium ſuperiorum niger, gulae, pinnarum pectoralium et caudae ſubtus albus, fundi ſulcorum abdominalium

ſanguineus, ſed eminentia interſtitia horum, vt etiam abdomen totum et pinna caudalis ſubtus ex albo nigroque marmorata. Cutem habet duplicem, exteriorem veram, interiorem tenuem albam magis adipoſam, quam ſequitur lardum craſſum, minus oleoſum prae congeneribus, et denique caro rubra.

HABITAT in mari groenlandico, praeſertim tractibus mediis inter gradus 61 — 5, rarior borealioribus auſtralioribusue; hieme altum mare petit, aeſtate autem et imprimis autumno oras aggreditur, ſinusque ampliores interdum intrat. Locis *Pamiut* et *Piſſukbik* frequentior.

Parit vere (non autem annis omnibus) pullum ſolitarium, qui matrem ſequitur, vsque donec ſucceſſorem acquirit.

VICTVS eius notus (qui etiam videtur praecipuus,) ſalmo arcticus, ammodytes Tobianus et argonauta arctica.

Edere volens rictum oris amplificat et more myſticeti aquam cum eſca ingurgitat. Tali ſtatu ſulci abdominales dilatati videntur; et colore ſuo ſanguineo in medio maculati abdominis iuxta gulam albam, adiuuantibus laminis nigris in ore albo, dant ſpectaculum, quo nihil pulchrius. Minus vehementer prae ceteris per fiſtulam efflat, quod iterando exercet recta progrediens et ſe brevi ſubmergens; denique autem caudam ſupra ſuperficiem aquae oſtendens dat ſignaculum morae longioris in profunditate; oblique deſcendens aſcendensque. Mari tranquillo ſaepe quieſcit in ſuperficie aquae quaſi dormiens; tuncque a venatoribus petenda. Interdum latere altero procumbens ſe pinnis pectoralibus quaſſat, et alio tempore etiam ſupra aquam ſalit in aere ſe girans dorſoque decumbens, forſitan balanorum pediculorumque (vel phalangiorum) cauſſa, quibus maxime laborat. Valde timida hoſtem

hoſtem fugit, in phyſetere micrope crudeliſſimum habens; foemina tamen pullum ſuum contra venatores tuitura cauda ſua valde ſatis percutit, et inter illos natando ſicque pullum ſuum cingendo ſaepius ſeruat, donec ipſa etiam leuiter vulneratur, dum fugit. Haec etiam, vt reliqua animalia cetacea, ex vulnere leui, ſi tantum caro tacta ſit, ob inflammationem repentinam et ſequentem putredinem poſt breue tempus moritur.

VSVS carnis, cutis, lardi, inteſtinorum, tendinumque vt monodontis, oſſiumque vt myſticeti. Lardum tamen, vt oleo parcum, magis edule, quam flammabile. Ex appendicula laxa linguae et tegumento inteſtinorum conſuuntur feneſtrae. Laminarum breuium vilis vſus, ex quibus tantum ciſtellae vel patellae formantur.

CAPITVR lanceis maioribus a pluribus in cymba maiori illam petentibus. Optime pungitur pone pinnas pectorales; inteſtinis autem perforatis mergit.

23. BALAENA MVSCVLVS †.

Balaena fiſtula duplici in fronte, maxilla inferiore multo latiore. Art. gen. 78.

Balaena muſculus, Syſt. nat. I, 106. Müll. prodr. 47.
Balaena glacialis, Müll. prodr. 49.
Nordkaper, Eg. 40. Cr. 145. Adel. 394. 395. And. 54, 90, 186. Bom. III, 594.
Reidr, v. *Steipereidur*, Torf. 95. Ol. 542.

GROENLAND. *Keporkarnak.*

Balaena ſub nomine groenlandico intellecta praecedenti affinis, et raro videtur, quod etiam nomen eius deſignat. De ſynonymis eius maxime haereo, dum etiam apud auctores mira confuſio eorum; fatoque mihi illam videre denegante, nil certi determinare valeo.

24. BALAENA ROSTRATA *.

Balaena minima roſtro ſtrictiore, dorſo pinnato, laminis oris albis.

Sverdfiſk, Eg. Figura in tabula ad p. 37. huc pertinet; ſed deſcriptio p. 40 data minime quadrat vel figurae, vel meo animali.

Tikagulik. Cr. 152. quoad initium deſcriptionis; ſed falſo ei tribuuntur dentes, qui ſynonymis allatis melius conueniunt.

Springhval, Pont. II, 200.

Balaena roſtrata, Müll. prodr. 48.

Andhvalr, Torf 90.

Andarneſia, Ol 543.

Dögling, Deb. 162. et *Nebbehval*, Pont. II, 200; an huc referri debent? E deſcriptionibus datis nil certi concludere poſſum, de laminis vel dentibus (vt nota eſſentiali) non expreſſis verbis memorato; licet a Müll. poſt Ol. inter Balaenas numeretur. Proprietas olei eius omnia penetrans meae ſpeciei, quatenus notum, non conuenit, ſed melius Sp. 1⅞. Ob roſtrum longiſſimum etiam Delphinus Delphis eſſe poterat.

GROENLAND. *Tikagulik*.

DESCRIPT. Haec facile minima omnium balaenarum proprie ſic dictarum. Laminae oris breuiſſimae, albae. Pinnae pectorales latae obouatae, margine rotundatae. Pinna dorſalis prope caudam longior, retro tendens antice parum attenuata. Cauda horizontalis bifida. Abdomine multos habet ſulcos profundos. Color eius ſupra niger, infra albus, mixtura rubicunda. Lardum compactum minusque oleoſum.

HABITAT

HABITAT ad oras Groenlandiae copioſe ſatis, plerumque intra ſcopulos, ſinus omnes frequentans. Hieme rarior, vt videtur, etiam auſtralioribus frequentior.

EDIT lubentiſſime ſalmonem arcticum, nec non alios piſciculos, quos velociſſime natando perſequitur, vt etiam ſupra aquam ſaliant.

Vehementer ſatis, ſed repente, per fiſtulam ſuam efflat. Plerumque ſolitaria videtur.

VSVS fere idem ac Boopis. Groenlandis delicatula.

Ob velocitatem raro capitur harpaginibus vel iaculis, dum poſt breue tempus plerumque mortua reperitur ab illegitimis.

25. PHYSETER MACROCEPHALVS.

Phyſeter dorſo impinni, dentibus inflexis, apice acutiuſculo.

Phyſeter macrocephalus, Syſt. nat. I, 107. Müll. prodr. 52.
Catodon fiſtula in ceruice, Art. Gen. 79. ſyn. 108.
Cachelot, v. *Potfiſk*, Eg. 41. Cr. 148. And. 196. c. fig. ad pag. 215. Bom. III, 606.
Buurhvalr, Torf. 92.
Huushval, Troldhval, Tuehval, Leem, 299. Deb. 167. Bom. III, 597.
Balaena, Ionſt. tab. XLII.

GROENLAND. *Kigutilik*, ſpeciatim *Kiguti lirkſoak*.

DESCRIPT. Inter congeneres maximus, 60 pedum vltraque. Caput longiſſimum fere tertiam partem totius faciens. Maxilla ſuperior longior latiorque inferiori, lateribus ſe verſus hanc incuruans, intus excauata lacuna lanceolata vt receptaculo maxillae inferioris eiusdem figurae. In maxilla inferiori duobus ordinibus dentes

permulti, conici, antice posticeque subcompressi, curui introrsum tendentes, validi longi obtusiusculi, exterioribus minoribus curuioribus acutioribusque, albi medulla cinerea minus dura, dicuntur numero 40-46, quos tamen numerandi occasionem non habui. Veteres minus curvatos, crassiores autem, longioresque, interdum basi 3 vnc. latos et 6 vnc. longos, habent; iuniorum radice parum caua. In maxilla superiori dentes veros s. visibiles quidem non habet: attamen in lacuna supra memorata dantur cauitates vt receptacula dentium maxillae inferioris, quarum interstitia eminentia condunt dentes minutos admodum curuatos, fere horizontaliter iacentes, acuminatos, latere interiori ad apicem oblique explanato-concauos, quae planities polita sola nuda (reliquo dentis carne tecto) ad cauitatem sequentem offendit, vbi etiam apex dentis inferioris occurrit, indeque politura eius. Frons capitis abrupta s. perpendiculariter descendens, in cuius summitate, (quae ab auctoribus minus recte ceruix dicitur,) lateribus angulata, est eminentia notabilis antice rima magna, (quae fistula, per quam anhelat,) intus ad angulos frontis progrediens, vbi vtrinque rima lunaris, sic fistula extus quidem solitaria intus duplicata. Vertex capitis magis conuexus sub lardo compacto neruosoque condit cameram magnitudine et figura fere fornacis repletam cerebro, sub nomine *Sperma ceti* noto. Materia haec oleosa est et per se fluida; sed effluens super aquam momento coagulat. Oculi duo nigricantes, lateribus capitis iuxta pinnas pectorales, minuti satis tanto animali. Aures etiam minutissimae. Caput a corpore distinguitur sulco transuerso; infra quem pinnae pectorales circiter 16 vnc. long. basi angustatae, margine rotundatae, intus laminam osseam habentes, cum osse humerali maiori coniunctam. In medio fere dorsi pinna spuria s. tuber callosum, antice conuexo-decliue, postice praecisum, immobile. E regione huius sub abdomine genitalia, et pone illa anus. Costae vtrinque 10. Lingua fere longitudine

et

et figura maxillae inferioris, rugoſa, colore argillae plaſticae, intus obſcure rubra. Gula ratione molis capitis minuta. Corpus poſt pinnas pectorales cylindricum, de ano magis anguſtatur, terminatum cauda adipoſa horizontali biloba margine non crenata. Color vndique niger; ſeniores tamen abdomine albeſcunt. Cutem craſſam ſequitur materia carnoſa ſanguinea, tunc lardum ſatis oleoſum, et denique caro ſordide rubra. In capite nil fere carnis datur, ſed ſubſtantiae oleoſo-calloſae diuerſi coloris ratione loci, ſic areae plures diſtinctae.

HABITAT in alto mari freti Dauidis, rarius oras appropinquans, praeſertim tractibus auſtralioribus.

VICTVS: ſqualus carcharias et cyclopterus lumpus. Hic carchariae crudeliſſimus et forſitan vnicus hoſtis, cuius metu in terram vſque fugit; quin imo ſcopulos aſcendere conans interdum moritur; haecque cadavera cetorum aliorum lubentiſſime petens, macrocephalum, mortuum etiam, minime appropinquat, quod mirandum.

VELOCITER ſatis natat; interdum tamen in ſuperficie maris acquieſcere conſpicitur, tunc a venatoribus petendus. Emerſus caput et pinnam dorſalem fere ſolam oſtendit. Caput praeſertim ſe motitat.

VSVS carnis, cutis, lardi, inteſtinorum tendinumque vt monodontis. Oleum cerebri comburitur. Lingua etiam in hac, vt in praecedentibus ſpeciebus, cocta comeditur. Oſſa huius optima, et cum dentibus varie adhibentur in rebus venatoriis marinis.

Merces venales ſunt lardum, oleum cerebri et dentes, rara acquiſita.

CAPITVR lanceis maioribus eodem modo ac balaena boops, ſed magis difficulter, et ſaepe per plures dies illum perſequendo, dum e vulneribus ſuis ante mortem etiam foetet.

26. PHY-

26. PHYSETER CATODON.

Phyſeter dorſo pinnato, apice dentium plano.

Phyſeter Turſio, Syſtem. nat. I, 107. Müll. prodr. p. VIII.
Phyſeter pinna dorſi altiſſima, apice dentium plano, Art. Gen. 74.
Balaena macrocephala tripinnis, quae in mandibula inferiore dentes habet minus inflexos, et in planum deſinentes, And. p. 197.
Butskop, Adel. 385.

GROENLAND. *Parnak*, v. *Pernak*.

Huius dentes tantum vidi in planum obliquum politum deſinentes. Anguſtiorem longioremque maxillam inferiorem, et pinnam dorſalem habere dicitur: ceterum cum macrocephalo maxime conuenit.

VSVS etiam idem. Raro capitur.

27. PHYSETER MICROPS.

Phyſeter dorſo pinnato, dentibus arcuatis apice acuto.

Phyſeter microps, Syſt. nat. I, 10. Müll. prodr. 53.
Phyſeter maxilla ſuperiore longiore, ſpina longa in dorſo, Art. Gen. 71.
Ardluit, Cr. p. 152.
Vognuhvalr, Torf. 89.
Staurhynning, Ström, I, 298. Bom. III, 613.
Hnydingen, Ol. 544. c.
Lille Vang, Act. Nidr. IV, p. 112. Leem, 305.
GROENLAND. *Ardluk*.

DESCRIPT. Habet in maxilla inferiori dentes 22, vtrinque 11, arcuatos, falciformes, intus ad apicem vsque cauos, vix tertiam partem eminentes, (eſtque haec pars viſibi-

visibilis eburnea compresso-conica, apice acuto introrsum curuato, simulque retrorsum parum vergente; sed pars condita duas partes habens latiorque, antice posticeque compressa, et praesertim latere gulae proximo quasi canaliculata;) digiti longitudine, et $1\frac{1}{2}$ vnc. latitudine, medios maiores, anticos posticosque minores *). Rostrum obtusiusculum. Praeter pinnas pectorales in dorso habet pinnam longam erectam. Magnitudine inter cetos minores numerandus. Cutis glabra, nigra; lardum crassum, sed minus oleosum; caro rubra.

HABITAT in mari groenlandico copiose satis, tam alto mari, quam intra scopulos et in sinubus.

VICTVS eius phocae, delphinus phocaena et albicans; balaena boops, et rostrata; forsitan etiam balaenae maiores.

Est hic praesertim phocarum hostis crudelissimus gregatim illas infestans: quo viso phocae omnes celerrime fugiunt, sed hoste illarum velocius persequente, in terram ipsam refugiunt; interdum autem glaciem ascendentes eluduntur: microps enim sub glacie exspectans descendentes denuo infestat, vel morantes descendere cogunt plures coniunctis viribus, glaciem etiam maiorem circumvertendo. Est igitur animal maxime noxium Groenlandis, non tantum quia phocas quam plurimas consumit, sed etiam quia eas e propinquitate pellit.

VSVS fere idem ac boopis. Caro huius delicatior Groenlandis, quam praecedentium.

Capitur raro harpaginibus a pluribus coniunctis.

28. DEL-

*) Dicunt etiam Groenlandi, illum in maxilla superiori dentes habere: si ita, inter delphinos potius quam physeteres, sensu Linnaeano, numeraretur; sed fato mihi denegante, praeter viuum, plus quam maxillam inferiorem videre, incertus sum, an veros dentes, anne dentes conditos more macrocephali, existimauerint.

28. DELPHINVS ORCA †.

Delphinus pinna dorſi altiſſima; dentibus ſubconicis, parum incuruis.

Delphinus orca, Müll. prodr. 57.
Stourvagn, Act. Nidr. IV, 99. tab. XII. f. 2. 3.
Haahyrningur, Torf. 91. Ol. 544. d.
Spekhauer, v. *Schverdtfisk*, Cr. 152, 14.
Sværdfisk, And. 218.
Spekhugger, Ström, I, 309. Pont. II, 242.
Fakan, Leem, 303.
Hvalhund, Deb. 161.

GROENLAND. *Ardlurkſoak.*

HABITAT cum praecedente, balaenarum tyrannus. A Groenlandis captum eſſe non audiui.

29. DELPHINVS PHOCAENA.

Delphinus corpore ſubconiformi, dorſo lato pinnato, roſtro ſubobtuſo.

Delphinus Phocaena, Syſt. nat. I, 108. Faun. Suec. 51. Müll. prodr. 54.
Delphinus corpore fere coniformi, dorſo lato, roſtro ſubacuto, Art. Gen. 75 Syn. 104.
Niſen, Eg. 45. Act. Nidr. II, 258. tab. IV. Ström, I, 298.
Meerſchwein, Cr. 151. Adel. 384. Horr. 262.
Hniſa, Torf. 89.
Hnyſen, Ol. 544. a.
Marſvin, And. 95. Pont. II, 220. Bom. V, 247. Leem, 307.
Bruuskop, And. 217.
Phocaena, Ionſt. 220. tab. XLI.

GROENLAND. *Neſa*, v. *Niſa.*

DESCRIPT.

DESCRIPT. Maxilla inferior ſuperiori vix longior. Dentes numeraui in maxilla ſingula 50, ſcilicet 25 vtrinque, minutos, compreſſos, margine rotundatos ſubſerratos, baſi anguſtatos; antice interſtitium relinquunt nudum eminens. Capitis longitudo 7 vnc. Collum vnicum articulum habet: ſic breuiſſimum. Pinnae pectorales circiter 5 vnc. longae, baſi 2 vnc. latae, extrorſum acuminatae. Pinna dorſalis fere 8 vnc. longa, ſed vix 2 vnc. lata. Poſt hanc dorſum ſubplanatum angulo longitudinali in caudam excurrente. Viuus aſſidue ſe curuat, caput caudamque deflectens dorſo eminente; ſed mortuus ſe extendit: hinc in mortuo poſt pinnam dorſalem obſervantur rugae quaedam in cute. Reliqua dabit deſcriptio optima Act. Nidr. l. c.

HABITAT tam extra quam intra ſcopulos, et in ſinubus, non numeroſa; conſpicitur praeſertim aeſtate, hieme rarior.

VICTVS: piſciculi omnis generis.

Velociſſime natat. Vt ceti ceteri interdum emergit, per fiſtulam capitis anhelaturus; ſed momento fere et flatu leuiſſimo, ita, vt non facile obſeruetur, et ob flexuram corporis ſaepiſſime dorſum ſolum conſpiciatur. Rarius iteratim breui interuallo emergit; tunc a venatoribus petendus.

Parit pullum ſolitarium, qui matrem ſequitur primo anno, cum illa iugiter ſubmergens et emergens. Si grauida occiditur, ex vtero cauda pulli prominens conſpici ſolet, forſitan matre in anguſtiis parere conante.

VSVS carnis, cutis, lardi, inteſtinorum, faucis, tendinumque vt monodontis. Inter optatiſſimos Groenlandis numerandus. Lardum eius oleo diues.

Ab exteris petitur lardum.

30. DELPHINVS DELPHIS.

Delphinus corpore oblongo ſubtereti, dorſo pinnato, roſtro attenuato acuto.

Delphinus Delphis, Syſt. nat. I, 108. Müll. prodr. 55.
Delphinus corpore oblongo ſubtereti, roſtro longo acuto, Art. Gen. 76. Syn. 105.
Delphinus, Ionſt. 218. tab. XLIII.
Delphin, Cr. 152. And. 218.
Schnabelfiſch, Cr. 148.
Hofrungar, Torf. 89. IV.
Hundfiskur, Ol. 360. 544.
Springere, Ström, I, 309. Act. Nidr. II, 259. Leem, 35. Bom. VII, 553.
Purpoiſes, Kalm. Am. II, 123.

GROENLAND. *Ardluarſuk.*

DESCRIPT. Caput antice attenuatum in roſtrum longum acutum, dentibus multis approximatis in vtraque maxilla praeditum, ſic roſtro merganſeris non abſimile. Dentes huius paulo maiores, quam phocaenae; illaque facile longior ſed anguſtior. Totus niger, pectore albo, et linea alba a rictu oris trans latera capitis. In reliquis phocaenae fere ſimilis.

HABITAT in alto mari, rarius intra ſcopulos, et plerumque gregatim. Phocaena rarior. Interdum ſupra aquam ſalit.

Reliqua, quoad mores, generationem, vſum et capturam, conferantur, quae ſub Phocaena dicta.

31. DELPHINVS TVRSIO.

Delphinus corpore craſſo, dorſo pinnato, roſtro ſurſum repando, dentibus obtuſis.

Delphinus orca, Syſt. nat. I, 108. Müll. prodr. 56. Ionſt. 217. Faun. Suec. 52.
Delphinus roſtro ſurſum repando, dentibus latis ſerratis, Art. gen. 76 Syn. 106
Turſio, ſ. *Orca Kleinii*, Act. Nidr. IV, III.
Butskopf, Cr. 151. And. 216.
Svinhvalr, Torf. 89.

GROENLAND. *Neſarnak*, v. *Niſarnak*.

DESCRIPT. Frons rotundata decliuis, ſ. ſurſum repanda, deſinens roſtro attenuatiore; ſic fronti anatis molliſſimae non abſimilis. Dentes in maxilla vtraque diſtantes apice obtuſi, fere vt Delphini albicantis, (de quo infra,) ſed maiores. Corpus admodum craſſum, vt Boopis, pullo huius etiam aequale. Cauda minus attenuata, quam in reliquis. Pinna dorſalis vt Balaenae roſtratae. Totus nigricans, abdomine parum albicante. Pulli etiam pallidiores. Reliqua vt in Phocaena.

HABITAT in alto mari, rariſſimus omnium congenerum.

Emergens maiorem partem corporis, quam ceteri, oſtendit. Interdum gregatim natat.

Parere dicitur hieme ſub ſpirando.

VSVS eius vt Phocaenae. Capitur etiam modo eodem, ſed a pluribus coniunctis.

32. DELPHINVS ALBICANS.

Delphinus dorso impinni, dentibus breuibus, apice plano.

Balaena albicans, Müll. prodr. 50.
Physeter Catodon, Syst. nat. I, 107. Müll. prodr. 51. coll. p. VIII.
Catodon fistula in rostro, Art. gen. 78.
Hvidfisk, Eg. 41. c. fig. Ström, 298, 2. And. 215. Bom. III, 603. Gl. 145.
Weisfisk, Cr. 150. Adel. 385. (figura autem citata pertinet ad Physalum.)
Hvitingar, Torf. 91.
Beluga, Gmel. II, 439.
See Beluge, Pall. It. Russ. III, 92.

GROENLAND. *Kelelluak*, et in differentiam monodontis, *Kelelluak kakortok*, siue absolute *Kakortak*. Pullus *Uiak*.

DESCRIPT. Cetus hic, in Groenlandia notissimus, videtur autoribus parum notus, dum ab aliis inter Balaenas, ab aliis inter Physeteres, numeratur, licet rectius locum habiturus inter Delphinos, quippe laminis corneis carens, dentibusque in vtraque maxilla praeditus. Totus albicans, interdum tinctura rubicunda, in iunioribus autem coeruleſcente, mixtus. Cutis nuda glabra circiter crassitie 1 vnciae, quam sequitur lardum crassitie triplicata, oleo diues, et denique caro rubra; in illis Sui non absimilis. Caput breue rostro obtuse-attenuato, vertice conuexo-gibboso, vbi fistula oblique retrorsum tendens, quae tamen intra cutem ante se aliam habet rimam antrorsum vergentem; sic extrinsecus solitaria, intrinsecus duplicata. Dentes numeraui 18 in maxilla inferiori, sc. vtrinque 9 breues, apice obtusos, (fere vt dentes molares quadrupedum, sed simplices,) longe distantes, anticis minoribus; in maxilla superiori totidem acutiores parumque

que flexos. Oculi minuti ſuini coeruleſcentes. Rictus oris paruus. Lingua lata, maxillae inferiori arcte connexa, eiusque longitudinis. Maxillae aequales. In ſuperiori obſeruantur 4 — 5 pori inciſi. Aures pone oculos minutiſſimi ſine auriculis. Cauda horizontalis bifida marginibus rotundatis integris. Pinnae pectorales latae ſubouatae. In dorſo nullam pinnam habens coarctatur in angulum longitudinalem, vt myſticetus. Corpus ſubteres, verſus caudam attenuatum. Mas penem habet oſſeum acutum, album, intra foramen retractilem, et teſticulos magnos lardo conditos. Foemina, ante genitale gibboſum rima inſtructum, habet mammas duas, vix extremo articulo digiti maiores. (Quoad genitalia vero ceti omnes maxime conueniunt.) Longitudo plerumque 12 — 18 pedum, et vltra; pulli autem multo minores.

HABITAT vbique in ſinubus maioribus; praeſertim autem in ſinu Diſco et aliis borealibus, rarior auſtralioribus; hieme vel vere terram appropinquans.

EDIT piſces omnis generis mediocres, vt gados, percas noruegicas, pleuronectas minores; gula autem eius anguſtiore non rapinam magnam tolerante (interdum etiam talibus ſuffocata) praeſertim delectatur gadis aegleſinis, quos cateruarios vehementiſſime perſequitur.

PARIT vere pullum ſolitarium, qui innatus liueſcit, nuper natus coeruleſcens, cum aetate magis magisque albeſcit.

Plerumque gregatim natant cum pullis ſuis maiores; vno emergente pro ſpirando, reliqui ſequi ſolent in ſpectaculum delectabile. Non raro etiam, vt domati cymbas ſequuntur, diſtantia breui a ſuperficie aquae pulcherrime ſplendentes candore ſuo. Vt monoceros in glacie voragines non congelatas frequentare ſolet; ceterumque quoad mores multum cum illo conuenit.

VSVS etiam idem, nisi quod cornu non habeat; dentes autem in instrumenta venatoria varie vsurpantur.

CAPITVR vt monoceros.

OBSERVAT. 1) Reliqui ceti a Crantzio memorati, certe de Anderson mutuati, siue in mari groenlandico domicilium non habent, siue ad praecedentes species vt synonyma referri debent, saltem hactenus ignoti.

2) Cetos plures quidem nominant Groenlandi; sed quorsum referendi sint, alius determinabit, dum illos nec vidi, nec descriptionem distinctam accipere potui: ex. gr.

α) *Sigukitsok:* rostro abrupto; forsitan idem ac Boops.

β) *Nesarpek:* Delphinus primarius; me iudice, idem est ac Delphinus orca.

II.

AVES.

33. VVLTVR ALBICILLA.

Vultur cera pedibusque flauis, rectricibus albis, intermediis apice nigris.

Vultur albicilla, Syſt. nat. I, 123. Faun. Suec. 55. Müll. prodr. 58. Brün. 12.
Orn, Eg. 35. Ol. 60.
Adler, Cr. 104. 459. Horr. 170. Ell. Hudſ. 38. Tab. 3.
Aquila alba, Torf. 86.
Fiſchadler, Mart. I, 125. tab. vet. VI. (pullus;) VII. (vetus.) *)
Fiske-örn, Ström. I, 261. Bom. VI, 93. Leem, 231. (81, 2.) Pont. II, 147.
Pygargus, Ionſt. av. p. 13. tab. III.

GROENLAND. *Nektoralik*, *Terterſoak*, *Eſaruktorſoak*, *Tingmiarlurkſoak*.

DESCRIPT. Color pulli vnius anni hic erat Roſtrum nigricans, cera ſordide lutea; frons inter oculos et nares nuda, ſetulis nigris et plumulis ſquamoſis albis raris tantum adſperſa; reliquum capitis rufo fuſcum, arcte tectum pennis baſi albis, dein rufo-fuſcis, tunc nigricantibus, apice extimo rufo fuſcis. Collum ſupra capiti concolor, infra ad gulam albo-flauicans. Dorſum fulueſcens, apicibus pennarum nigricantibus. Pectus fere dorſo concolor, ſed obſcurius. Abdomen album apicibus pennarum rufo-fuſcis. Remiges 12 primariae totae nigricantes; reliquae

*) Martini l. c. Vulturem albicillam et Falconem leucocephalum vt varietates combinare videtur, cui ſententiae facile ſubſcribo.

liquae basi albae maculis fuscescentibus, apice nigricantibus. Tectrices albo-flauicantes, apice nigricantes; sed humerales totae nigricantes. Rectrices 12, quarum 1—5. 5—1 nigricantes, latere interiore tantum a medio versus apicem albae maculis fulueſcentibus; intermediae duae a medio ad apicem vtrinque albae maculis fulueſcentibus. Vropygium album maculis fulueſcentibus, apicibus pennarum tamen nigricantibus.

Pedes semitecti pennis fuscescentibus, reliquo nudo sordide luteo, vnguibus tamen nigris.

Veteres differunt praesertim cera pedibusque flavis, cauda alba, rostro pallescente capite colloque magis albicantibus. Magis magisque albescit cum aetate; hinc aetate proiectiores pro diuersis speciebus facile haberentur. Magnitudo anseris maioris; et alae eius tam robustae, vt sedenti continuo dependere conentur: hinc etiam volatu graui.

HABITAT toto anno in insulis et rupibus, praesertim maritimis.

VICTVS eius praeter cadauera sunt volucres marinae (praesertim alcae et anates molliſſimae, colymbus grylle,) et pisces varii, (praesertim Cyclopterus lumpus et Salmo carpio,) nec non phocae foetidae iuniores et tetrao lagopus.

Est monogama, nidificans in rupibus altis praeruptis sinuum, nido formato ex ramiculis in orbitam connexis, discum occupantibus graminibus, muscis et plumis. Oua duo sordide alba, magnitudine et figura fere vt anseris. Inde pulli duo, interdum tamen solitarius, qui prima aetate plumulas habet cinerascentes. Incubat vltimo Maii, vel initio Iunii. Pullos alit rapinam in nidum proiiciendo; pulli autem accrescentes, licet nondum volitare valentes, nidum relinquere solent parentes secuturi, labores leuandi gratia.

Crebro

Crebro ſedens in cacumine inſularum vel rupibus maritimis circumſpicit ſollicite rapinam petendam, optimeque de bullis aſcendentibus auium ſubmergentium concludere valet, vbi emergere debent, illucque volitat vix ſuperficiem aquae tangentes infeſtans. Rapinam maiorem, alis ſuis retrorſum remigando, in terram aufert; interdum tamen phocae permagnae vnguibus ſuis ſe affigens, ſub eiulatu magno ſequi coactus in profunditatem, perit.

VSVS. Caro a multis editur cocta. Pelles in veſtimenta corpori proxima conſuuntur; etiam pro ſtratis, tam ſuper ciſtas, quam in cymbis minoribus, at rarius, adhibentur. Roſtrum et vngues vt bona amuleta habentur ab Ethnicis.

CAPITVR vel arcu maiori, vel reti in niue occultato circa rapinam, vel rarius dando ei lardum copioſum, vnde, phoca tertia nondum conſumta, debilitari dicitur, vt facile occidatur. Pulli etiam viui in nido accipiuntur periculoſe ſatis, tam ob loca praerupta, quam ob parentes iraſcentes. Sclopis iamdum praeſertim disiicitur.

34. FALCO RVSTICOLVS.

Falco cera palpebris pedibusque luteis, corpore cinereo alboque vndulato, collari albo.

Falco ruſticolus, Syſt. nat. I, 125. Faun. Suec. 56.
Falco islandus fuſcus, Brün. 9. Müll. prodr. 73 et pag. VIII.
Spragled Falk, Eg. 35.
Gefleckter Falk, Mart. II, 79. 129?

GROENLAND. *Kirkſoviarſuk*, (v. *Kekingoak*,) *Millekulartok* *).

*) Nomen generis eſt *Kirkſoviarſuk*, v. *Kekingoak*: ſed in differentiam ſpecificam hic dicitur *Millekulartok*, maculatus; ſequens

DESCRIPT. Magnitudo galli maioris. Caput vertice latum planiusculum, strigis nigricantibus albisque longitudinalibus (penna singula alba medio nigricante). Tempora magis albicantia; circa basin rostri et ad oculos plumulae setosae nigrae sparsae. Colli suprema pars capiti concolor; sed inferior, cum gula et pectore, alba immaculata, quae albedo collum annulo fere cingit. Dorsum cinereo alboque vndulatum, apicibus pennarum semper albis. Abdomen album, maculis cordatis nigricantibus raris adspersum. Alae supra dorso fere concolores, licet magis obscurae; infra albidae. Remiges septem primariae quoad partem non tectam nigricantes. Rectrices duodecim aequales, cinereo alboque fasciatae, subtus albidae. Cera pedesque sublutei. Rostrum plumbeum apice nigro; vngues nigricantes.

HABITAT in locis remotioribus, rarius visus.

34 b. FALCO FVSCVS.

Falco cera pedibusque plumbeis, supra subfuscus, subtus albidus maculis fuscis longitudinalibus.

Graae-falk, Eg. 35. Torf. 86. And. 39. 164. Ol. 60. Bom. II, 285.
Graue-falk, Cr. 105. Horr. 173.
Wanderfalk, et *Schvartze Falk*, Mart. II, 80. 96. 126. Tab. XL.

GROENLAND. *Kerksoviarsuk-kernektok.*

DESCRIPT. Praecedenti minor, a quo differt rostri basi rubicunda, cera pedibusque plumbeis; capite supra subfusco maculis oblongis irregularibus albis, fronte albi-

sequens *Kernektok*, niger; tertius *Kakortok*, albus; quartus *Kakortuinak*, omnino candidus.

albicante; genis nigricantibus; temporibus fuſceſcentibus; nucha gulaque albis; ceruice capiti concolori; iugulo, pectore, abdomineque ſordide albis, ſ. leuiter flaueſcentibus, maculis longitudinalibus fuſcis; dorſo ſubfuſco ſ. fuſco tinctura coeruleſcente, apicibus pennarum pallidis, maculisque raris grandiniformibus, praeſertim verſus vropygium; alis ſupra dorſo concoloribus, infra ex nigro alboque variegatis; remigibus latere exteriore nigricantibus, interiore autem pallidioribus, maculis albidis; cauda ſupra ſubfuſca faſciis pallidis vix notabilibus, infra albicante; oculis plumbeis, iride fuſca.

Hanc eſſe varietatem iuniorem praecedentis, facile crederem, non tantum ob ſtaturam eandem, ſed imprimis, quia in exemplari vno ſub pennis eius dorſalibus alias enaſci incipientes inueni, quae omnino illis in Ruſticulo ſimiles erant *).

HABITAT vbique inter montes tam remotiores quam maritimos, non raro etiam ſuper glaciei fragmenta maiora e longinquo terrae conſpectus; attamen non migrat **), abſens tantum menſibus primis aeſtiuis, generandi gratia interiores tractus petens, autumno redux cum pullis ſuis.

VICTVS eius tetrao lagopus, alca alle, colymbus grylle, emberiza niualis, fringilla lapponica, et reliquae auiculae Groenlandiae Certat etiam cum coruo corace famelicus; non facile autem illum prehendit: coruo enim ſupino

 vngui-

*) Videtur etiam eſſe regula obſeruanda in accipitribus, quod pulli obſcuriores, veteres candidiores: coll. quae dicta ſub albicilla, et ſequentia ſub Falcone Islandico et Strige Nyctea; quod etiam aliis exemplis animaduerti.

**) Non mirandum autem, ſi aere nebuloſo errans interdum a nauigantibus in alto mari conſpiciatur, vel in Islandiam aliasue terras traiiciat. Ipſemet ego talem, et quidem fuſcum, vidi ſub proficiſcendo in Groenlandiam.

vnguibus ſuis obſtante, et pluribus clamore eius congregatis, falco demum fugere cogitur.

NIDIFICAT eodem fere modo ac Aquila albicilla, ſed in locis remotioribus. Oua habet 3 ad 5, magnitudine vt tetraonis lagopi, maculata. Pulli huius in nido eodem, quatenus obſeruatum, concolores: nuper excluſi plumulas habent albidas, quas ſequuntur cinereocoeruleſcentes; poſtea pennas nigricantes accipiunt. Et pullus primi anni tempore autumnali ſic erat: pars ſuperior nigricans apicibus pennarum fuſcis; rectrices nigrae, exteriore latere maculas magnas fuſcas habentes; pennae abdominales medio nigricantes margine lata brunnea.

Rapinam ſuam petit, ſe, vt ſagitta, recta illi iniiciendo, non diu in aere vibrando, vt miluus et alii congeneres.

VSVS vilis. Caro editur a famelicis tantum. Pellis inter alias in veſtimenta corpori proxima, alae pro ſcopis, pedes eius pro amuletis adhibentur; ſicque Groenlandis fere nihili habitus non petitur, neque capitur, niſi raptim illum ſuperueniendo arcu, lapidibus, ſaepius ſclopis.

35. FALCO ISLANDVS.

Falco albus maculis cordatis nigricantibus, rectricibus albis nigro-faſciatis.

Falco Islandus albus, Müll. prodr. 73. coll. p. VIII.
Hvidagtig Falk, Eg. 35.
Sprenglichte Falk, Cr. 105.
Falco albus, Torf. 86. Arngr. 41.
Flyve-Falk, Bom. II, 286. Horr. 174.
Islændiſche, ſ. *weiße Falk*, Mart. II, 78. 125.
Hvid Falk, Ström, I, 224. Leem, 235.

Dantur

Dantur huius duae varietates:

α) Alia iunior, maculis cordatis minoribus, rectricibusque omnibus fasciatis, Brün. 8.

Halv-hvid Falk, Ol. 60. Bom. II, 285. Horr. 173.

Graae og hvid Falk, And. 39.

GROENL. *Kirksoviarsuk-kakortok.*

β) Alia aetate prouectior, maculis cordatis minoribus, rectricibus totis albis, intermediis vix fasciatis, Brün. 7.

Hvid Falk, Ol. Bom. et Horr. ll. cc.

Sneehvid Falk, And. l. c.

GROENL. *Kirksoviarsuk-kakortuinak.*

DESCRIPT. Magnitudo falconis fusci. Rostrum violaceo-pallidum; cera lutea. Caput vertice lineis nigricantibus ad medium pennarum, lateribus fere album, alias setis rusticoli praeditum. Gula alba. Corpus supra album maculis cordatis magnis cinerascentibus; infra maculis minoribus. Remiges albae fasciis cinerascentibus. Rectrices 12 eiusdem fere coloris, sc. 1. 1 latere exteriore tantum fasciatae; 2—5. 5—2 leuiter tantum; 6. 6 magis notabiliter fasciatae. Pedes semitecti pennis ad digitos vsque dependentibus albis; reliquum nudum coeruleum, vnguibus plumbeis. Oculi huius clariores quam fusci, pupilla nigricante, iride flammea. Talis erat varietas α), quam tantum contemplatus sum; alteram β) volitantem tantum conspexi magis candidam.

HABITAT α) copiosior cum fusco; β) minus frequens cum rusticolo.

Momenta reliqua vt in Sp. 34.

36. STRIX NYCTEA.

Strix capite laeui, corpore albido maculis lunatis diſtantibus fuſcis.

Strix Nyctea, Syſt. nat. I, 132. Faun. Suec. 76. Müll. prodr. 77.
Spragled Ugle, Eg. 35.
Weiſe Eule, Cr. 105. Ell. Hudſ. p. 39.
Ugle, Gl. 92.
Hvid-Ugle, And. 40. c. fig.
Jæggeloſko, Leem, 238.
Die groſſe weiſſe Eule, Mart. III, 103. Tab. LXXIII.

GROENLAND. *Opik, Opirkſoak.*

DESCRIPT. Roſtrum nigrum. Oculi magni, pupilla nigra, iride lata flammea, cincti pennis ſetaceis brevibus albis. Aures magnas cingunt pennae longiores, non tamen erectae. Vertex capitis et nucha albi, maculis nigris. Frons, latera capitis, gula, iugulum et interſtitia femorum alba. Corpus ſupra album faſciis pluribus nigricantibus in penna ſingula; infra trans pectus et abdomen ducitur linea lata alba, lateribus faſciatis faſciis fuſceſcentibus. Remiges omnes albae faſciis raris nigricantibus; quatuor priores margine extremo ſeruatae. Alae ſubtus albae. Rectrices 12, quarum quatuor extimae fere albae, intermediae remigibus concolores plumis tectae. Femora extrinſecus faſciata, intrinſecus alba. Pedes ſupra infraque plumis laneis albis teguntur; vngues validi nigri. Pulli obſcuriores, dorſi pennis omnibus, etiam capitis, faſciatis. Cum aetate magis magisque albeſcit: hinc quaedam fere niveae euadunt. Vidi tam hieme quam aſtate maculatas: ideoque non reſpectu temporis mutat colores, vt vult Linnaeus.

HABITAT

HABITAT passim in montibus remotioribus iuxta plagam glacialem mediae Groenlandiae; frigore instante loca maritima interdum aggreditur, inter minus frequentes numeranda. Inuenitur etiam interdum mortua, (vt volunt Groenlandi,) ob oculos eius frigore congelatos; sed potius crederem ob defectum victus, et a coruis illam non raro persequentibus debilitata.

VICTVS eius fere idem ac Falconum, imprimis autem tetrao lagopus et lepus timidus. Rapinam suam raptim et fere perpendiculariter inuolat. Sonus eius clamorem hominis periclitantis aemulatur. Velociter satis volat: quiescens loco admodum incauta.

Nidificat in cauitatibus rupium remotiorum.

Pediculis laborat. Interdum lapidibus vel iaculis icitur quiescens super fragmenta glaciei marina; nulli ferme vsui.

37. STRIX ASIO †.

Strix capite aurito, corpore supra ferrugineo, subtus cinereo, alis punctis quinque albis.

Strix Asio, Syst. nat. I, 132.
Hornede Ugle, Ell. Hudf. 38, tab. 3.?
Lidnob, Leem, 238. (85.)?
Die Carolinsche Ohreule, Mart. III, 48. Tab. LXIV.
Groenlandorum *Siutitok* hanc esse subsumo: dicunt enim illam auriculas magnas habere margine ciliatas; falcone minorem, corpore obscuro, attamen maculato.

HABITAT in locis australioribus, praesertim sinu dicto *Tunnudliorbik*.

38. COR-

38. CORVVS CORAX.

Coruus ater, dorso atro-coeruleſcente, cauda ſubrotunda.

Coruus Corax, Syſt. nat. I, 155. Faun. Suec. 85. Müll. prodr. 86. Brün. 27.
Ravn, Eg. 35. Gl. 92. And. 33. 41. Ol. 61. 220. Bom. VI, 484. Leem, 240.
Raben, Cr. 105. Horr. 181.
Korp, Kalm, I, 113.
Coruus, Ionſt. av. 38. tab. XVI.

GROENLAND. *Tullugak*, interdum *Kernektok*; pullus *Tullukak*.

Auis haec, ſatis nota, in Groenlandia maior copioſiorque ſolito dari videtur. De varietate, capite albo, memorat Gl. l. c.

HABITAT vbique locis maritimis, hieme gregatim circa domunculas incolarum.

VICTVS eius multi generis: nam praeter cadauera, quae in conſortio vrſi, canis lagope et vulturis albicillae conſumit, oua pullosque auium, imprimis anatis molliſſimae et tetraonis lagopi, piſciculos littorales, mytilos et alia teſtacea, nec non baccas empetri nigri, edit; famelicus etiam pellibus antiquatis, excrementisque hominum contentus.

MONOGAMVS coit menſe Martio; ſed ante Aprilem oua non ponit. Nidificat in fiſſuris rupium praeruptarum maritimarum, plerumque ita, vt ſupra tectum lapideum habeat. Vna inſula vel propinquitas non capit nidos duos. Nidus eius ampliſſimus pluribus ſtratis conſtat, extimo de ramis radicibusque fruticum, quos roſtro ſuo cultrato amputat; ſequenti de oſſibus quadrupedum ſatis craſſis et aliis quisquiliis conſtante; diſcum graminibus, muſcis, pilisque occupantibus. Oua eius interdum 8, ouis

ouis columbae parum maiora, coeruleo-viridia maculis virgatis nigricantibus. Mas cum foemina alterne incubat; haec autem semper noctu, mare iuxta nidum dormiente. Pullos suos miserabili modo vociferantes sedulo alunt suraces parentes, quod saepius experiuntur incolae suo damno, ipseque vidi *). Saepe testacea secum ducit in cacumina montium, ibique contundit. — Forsitan multa fossilia hanc originem habent. Volitans non raro in girum se vertit, subque girando mire, quod prehendit, a rostro in vngues et vice versa transferre valet. Tam in riuulis quam niue se-lauare amat. Echo suam audiens, cantum diutius continuare solet, quasi admirans. Certant invicem vnguibus, etiam sub volitando. Tempore procelloso gregatim vibrant supra cacumina montium. Pennas mutat mensibus Maio, Iunioque. Odore et visu excellit. Incolis maxime noxius. Pediculis laborat.

VSVS. Caro a multis editur; pellis in vestimenta corpori proxima dicitur prae multis aliis vtilis; de basi tubulosa remigum conficiuntur lineae piscatoriae. Alae pro scopis, rostrum vnguesque pro amuletis habentur.

CAPITVR reticulis in niue occulte aptatis, per lineam attractilibus, illecebram mediam habentibus. Alii in spelunca niuea se occultantes, orificio niue tenui tecto, cui incumbit illecebra, facile coruum insidere volentem circa pedes penetrantes rapiunt.

39. ANAS SPECTABILIS.

Anas rostro basi gibbo compresso, carina pennacea nigra, capite canescente.

Anas spectabilis, Syst. nat. I, 195. Müll. prodr. 108. *Kin-*

*) Absurda igitur explicatio quorundam in loca Ps. 147, 9. et Iob 39, 3. quasi pulli coruorum a parentibus relicti vermibus in nido prouenientibus alerentur, nulla experientia nititur meritoque reiicitur.

Kingalik, Cr. 109. Gl. 7. 43. 98.
Havorre, Leem, 274. tab. XCVIII. (mas.) Bom. III, 353.
Buntkopf, Pall. VI, 34 *.

GROENLAND. *Siorakitſok:* mas, *Kingalik;* foemina, *Kaiortok*, v. *Arnauiartak.*

DESCRIPT. Roſtrum breue, ſemicylindricum, compreſſiuſculum, baſi gibboſitatem carina pennacea nigra diviſam habet, colore rubro-nigricans. vt etiam pedes. Caput magnum compreſſum. Magnitudo et ſtatura fere anatis molliſſimae.

MAS, a foemina diuerſiſſimus colore *), gibbum baſeos roſtri habet permagnum compreſſum muſculoſum nudum, rubro-flauicantem, carina pennacea nigra intermedia dicta in duas orbitas oboli magnitudine diſtinctum. Caput vertice, nucha temporibusque coeruleocaneſcens tumidum; genae vireſcentes; ſupra oculos linea alba in ceruicem producta; ſub oculis macula parua nigra; ad latera gulae linea nigra antice coadunata Reliquum capitis, collique album Pectus cum antica parte abdominis et verſus humeros ſubochreum. Dorſi antica pars albida; ſupra femora macula magna oualis alba vtrinque. Alarum ſpeculum album. Reliqua in aue nigra, abdomine tamen pallidiore. Remiges 20 praeter appendiculas duas ex pennis longioribus conſtantes. Cauda ſubcuneiformis rectricibus 14.

FOEMINA mare minor, gibbum baſeos roſtri nec tam eminentem, nec coloratum, ſed carinam pennaceam nigram latiorem; roſtrum pedesque obſcuriores habet. Tota ex brunneo nigroque maculata, ſingula penna brunnea

*) Hoc in genere anatis non obſeruato facile ſpecies multiplicantur: hinc in deſcriptionibus bene attendendum eſt ad roſtra, quae, quoad formam non facile diuerſa, foeminam mari ſuo determinabunt.

nea medietate nigra; pallidiora tamen sunt latera capitis collique. Gula subbrunnea. Obscuriora reliqua hoc processu: vertex capitis; pectus; anus; dorsique antica pars; postica pars dorsi cum humeris. Abdomen subfuscum, vt etiam remiges 14 priores cum tectricibus adiacentibus; sed 6 sequentes cum tectricibus suis habent apices albos; hinc lineae duae albae in ala extensa. Alae appendicula habet pennas extrinsecus brunneas, intrinsecus subfuscas. Cauda subfusca tinctura brunnea.

MARES IVNIORES, foeminae fere concolores, nec gibbum compressum, nec colorem veterum accipiunt, nisi matura aetate.

HABITAT passim inter insulas, aestate in locis borealibus, hieme australioribus: migrat enim tempore brumali australiora petens, non tamen extrema Groenlandiae relinquens; mense Februario reuertens, tuncque magis morans, vt etiam mense Aprili conspiciatur.

ESCA eius testacea omnis generis, praesertim autem biualuia, multiualuia, et cellulana, quae ex profundo submergendo petit, emersaque edit.

NIDIFICAT in insulis borealissimis Groenlandiae, eodem modo ac anas mollissima, cum qua etiam conuenit quoad plumulas mollissimas et modum viuendi. Hieme etiam gregatim in consortio eius degit; hinc ei maxime affinis.

VSVS. Caro cocta editur lubentissime; gibbus rostri musculosus crudus delicatissimus. Pellis eius optima in vestimenta corpori proxima.

CAPITVR iaculis in venationem auium marinarum aptatis a pluribus, improuise eam persequentibus, dum gregatim submersa alimentum petit: emersa enim illa onusta et clamore venatorum perterrefacta volare non valens, sub aqua vnicum refugium habet; sed bullis aereis digno-

ſcitur via eius ſub aqua, quam ſequuntur venatores, et ſpirandi gratia breui interuallo emergens capite tantum porrecto, demum autem debilitata toto corpore, facilius icitur.

40. ANAS ANSER †.

Anas roſtro ſemicylindrico, corpore ſupra cinereo, ſubtus pallidiore, collo ſtriato.

Anas Anſer, Syſt. nat. I, 197. Faun. Suec. 114. Müll. prodr. 112. Brün. 53.
Vildgaas, Eg. 54. Bom. III, 7.
Graagaas, Ström, I, 227. Leem, 262. Deb. 132.
Vildgænſe, Cr. 107. et cont. 308.
Graue Gænſe, Horr. 191.
Hraagaas, Ol. 222. 548.

GROENLAND. *Nerdlernak.*

Rara auis in Groenlandia, quam non vidi; ſed mercator groenlandicus mihi narrauit, ſe in ſinu interiore ad coloniam Gothaab plures vidiſſe et duas interfeciſſe, quarum altera oua in ſe habuit, hinc ſine dubio in propinquitate nidum habentes.

OBSERVAT. Non dubito, Groenlandos etiam alias anates anſeri ſimiles ſub nomine *Nerdlernak* intelligere, nempe:

1) *Anatem erythropum*, Syſt. nat. I, 197. vulgo *Helſingegaas*, Ol. tab. XXXIII.
2) *Anatem canadenſem*, Syſt. nat. I, 198.
3) Mihi etiam Groenlandus ſub hoc nomine anatem fuſcam (Syſt. nat. I, 196.) deſcribere videbatur.

Sed omnes, raro obuiae, facile confunduntur, mihique nunquam viſas, alius determinabit.

41. ANAS

41. ANAS BERNICLA.

Anas capite collo pectoreque nigris, collari albo.

Anas Bernicla, Syſt. nat. I, 198. Faun. Suec. 115. Müll. prodr. 114. Brün. 52.
Stokand, Eg. 52.
Stokente, Cr. 107.
Nertlek, Gl. 95.
Raatne gaas, v. *gaul*, Bom. III, 8. Ström, I, 227. Leem, 277. Kalm. Am. I, III. Pont. II, 122.
Bernakel-gans, Pall. VI, 31.
Margiæs, And. 43.
Margænſe, Horr. 191.
Rotgænſe, Adel. 369. 416.
Branta, ſ. *Bernicha*, Ionſt av. 141. tab. 48.
Helſing, Ol. 548. quoad deſcriptionem *).

GROENLAND. *Nerdlek.*

DESCRIPTIONI conuenit datae in Faun. Suec. Obſeruandum tamen, quod in exemplaribus meis abdomen non vere album, ſed quaſi argenteum, ſ ex pallide cinereo et albicante leuiter vndulatum, pluma ſingula baſi cinerea margine albicante; tectrices autem inferiores caudae et latera vropygii vere alba. Tectrices alarum dorſo fere concolores. Foeminae vropygium obſcurius; maris candidius. Pulli collare album non habent, et ſunt dorſo nigricantiores, cum aetate magis magisque palleſcentes.

*) Figura autem tab. XXXIII. hoc nomine ſignata nec conuenit aui meae, nec deſcriptioni anatis Helſing, nec anatis Hrota (quae forſitan pullus Berniclae,) ibi datae, ſed optime anſeri ſub nomine Helſing alias noto, ſiue anati erythropo auctorum. Sine dubio igitur apud Dom. Olav. confuſio locum habet, dum etiam ſtatuit § 88. d. anſerem Helſing eundem eſſe ac Berniclam, ſed §. 667. cum Brenta coniungit et a Bernicla deſtinguit.

HABITAT in locis borealioribus, et quidem aestate tantum generandi gratia; tempore brumali in calidiores regiones migrans, vernali reuertitur, gregatim.

ESCA eius vermiculi varii generis, quos in littoribus maris, lacuum et riuorum petit; nec non radices polygoni viuipari, gramina et baccae empetri nigri.

NIDIFICAT cum anate spectabili (sp. 39.) in insulis extremis Groenlandiae versus boream; itinere longissimo sic solitudines quaerens, demum ad finem terrae locis vere solitariis, post breue tempus denuo relinquendis, accedit.

Submergere non valet, optime autem volare. Volatus gregis cuneiformis satis notus.

VSVS. Caro eius sapidissima editur etiam a Groenlandis.

Raro iaculis, saepius sclopis icta capitur.

42. ANAS MOLLISSIMA.

Anas rostro cylindrico, cera postice bifida rugosa.

Anas mollissima, Syst. nat. I, 198. Faun. Suec. 117. Müll. prodr. 116. Brün. Orn. 57—66.
Edderfugl, Eg. 51. Bom. II, 105.
Eidervogel, Cr. 109. Horr. 194.
Aeder-And, And. 43.
Aedar-Fugl, Ol. 222. 550. 982.
Aeder-Fugl, Pont. II, 114. Ström, I, 261. Leem, 267.
Eider, Deb. p. 127.
Berg-Ente, Adel. 366. 416. tab. XIV. f. 2.

GROENLAND. Mas *Amaulik;* iunior, *Amaulikſak.* Foemina: *Arnauiak*, vel *Siorartok*, vel simpliciter *Mittek*, quod vltimum alias est nomen vtrique sexui commune.

DE-

DESCRIPTIONEM huius optimam dedit Dominus Brüniche in monographia Hafn. 1763. c. f.

HABITAT omnibus anni temporibus ad insulas et in sinubus maioribus Groenlandiae satis numerosa, praesertim hieme, dum non rarum est gregem videre, plura centena, imo millia auium continentem, non tamen vbique eiusdem multitudinis; aestate magis separatim viuit.

NIDIFICAT in insulis remotioribus tam a continente, quam hominibus. Nidum format in gramine ex muscis variis, plumulis eius mollissimis, sub nomine *Edder-Duun* notis, medium occupantibus. Oua eius maiora quam anatis domesticae, virescentia, plerumque 5 numero; quibus ablatis secundo alia pauciora ponit mense Iunio. Estque monogama, mare in propinquitate foeminae incubantis iuxta littus quasi custodiente, continuo claman; do A—ho—ho.

Pro more habet, gregatim mane de sinubus longis euolare, mari propiora petens, vesperi autem reuertens; et mirum est, quod vix supra terram, semper iuxta littora volet.

Quoad escam, vsum et capturam conferatur Sp. 39.

43. ANAS CLANGVLA.

Anas nigro alboque varia, capite tumido violaceo, sinu oris macula alba.

Anas Clangula, Syst. nat. I, 201. Faun. Suec. 122. Müll. prodr. 119. Brün. 70. 71.
Kertlutokpiarsuk, Gl. 97. mas.
Hviin-And, Ström, I, 220. Bom. I, 115. Pont. II, 108.
Knipa, It. Oel. 49. Mas.

GROENLAND. *Kærtlutorpiarsuk.*

DESCRIPTIO in Faun. Suec. data quadrat.

Eſt rara auis in aquis groenlandicis. Pediculis laborantem vidi.

44. ANAS GLAVCION.

Anas corpore nigricante, pectore nebuloſo, ſpeculo alarum albo lineari.

Anas glaucion, Syſt. nat. I, 201. Faun. Suec. 123. Brün. Orn. 89.

GROENLAND. *Ulluagolik;* aliis vt praecedens.

DESCRIPT. Foeminam huius, ni fallor, vidi ſequentis coloris. Roſtrum nigricans; pedes plumbei membrana nigricante; trachea admodum ventricoſa in medio; caput paruum valde compreſſum, lateribus verſus infima tumidum plumulis ſericeis tectum. Vertex capitis et collum ſuperne ex brunneo nigricant, plumula ſingula nigra faſciis 2 pallide brunneis; latera capitis et collum inferne pallidiora faſciis brunneis maioribus. Gula albicat. Pectus nebuloſum ſ. ex brunneo flauicans. glabrum quaſi oleo illitum; qui color lateribus corporis durat, ſupra femora magis brunneus euadens. Abdomen nitide album; podex maculis griſeis cordatis; dorſum nigrum marginibus pennarum pallidis, antice magis fuſcefcens, poſtice magis nigricans; vropygium faſciis linearibus albis, praeſertim ad latera. Alae nigrae. Remiges 7—10 vix apice albicant; 11—19 apicibus albis, et 13—19 etiam latere exteriore maculis albis; 20 a reliquis differt linea longitudinali alba in parte exteriore; 21--23 margines exteriores brunneas tantum habent; 24 tota nigra: hae 5 vltimae ceteris longiores. Tectrices remigum ſecundariarum apicibus albis; hinc in ala complicata ſpeculum albidum formatur ex lineis duabus albis poſtice longitudinali clauſis, medio ex nigricante mixto. Cauda cuneata rectrices habet 12 nigras, margine exteriore alba.

Raro

Raro haec anas obuia; ad littora maris viuit imprimis ex pullis et ouis piſcium, et oniſcis cancriformibus.

45. ANAS HIEMALIS.

Anas cauda cuneata, rectricibus intermediis longis, corpore albo; temporibus, pectore, dorſo alisque nigris.

Anas hiemalis, Syſt. nat. I, 202. Faun. Suec. 125. (mas.) Müll. prodr. 123.
Anas cauda longitudine pedum, vertice fuſco, pectore exalbido nebuloſo, Faun. Suec. 133. (foemina.)
Anas hiemalis, Brün. 75. (mas;) 76. (mas iunior;) 77. 78. (foemina;) 79. (foemina iunior.)
Angletaske, Eg. 55. Gl. 96.
Angeltaſche, Cr. 108.
Angeltaſche, Martini Naturlex. II, 581. c. fig.
Havold, Ström, I, 233. Bom. III, 376.
Vinter, And. Bom. I, 118.
Haavella, Ol. 549. tab. XXXVI.
Angallages, Leem, 279.
Eis-Ente, Pall. V, 36 *.
Forſitan *Anas glacialis*, Syſtem. nat. I, 203. et *Tröförer*, Act. nidr. V, 539. tab. VIII, F. I. etiam huc referri debent? obſtare tamen videntur pedes rubri illius, et rectrices extimae (non intermediae) longiſſimae huius, quae anati hiemali non conueniunt.

GROENLAND. *Aglek.*

DESCRIPT. *Mas*, in multis a foemina differens, habet roſtrum conuexum baſi gibboſiuſculum, nigrum, medio rubrum, vngue nigro ouato. Nares ouales ſubſinuatae margine ſuprema. Oculi nigri iride rubra. Caput com-

preſſum, album variegatum maculis maioribus diuerſicoloribus, ſc. frons, genae, et oculorum regio cineraſcunt violacea tinctura, capiſtro tamen et orbitis oculorum albis. Tempora habent maculam magnam oualem nigricantem; et poſt illam infra aures alia oblonga ſubbrunnea conſpicitur. Collum album. Pectus et abdomen dimidiato-nigrum, quae nigredo ſemicirculariter deſinit in albedine poſtica abdominis. Dorſum nigrum macula magna cordata antica ſordide alba. Alae nigrae, remiges ſecundae magnitudinis tamen fuſceſcentes; pennae alarum multum acuminatae, praeſertim poſticae et humerales quaedam, quae vltimae cordi dorſali concolores ſuper reliquas longe dependentes. Cauda cuneata, longa, rectrices habet 12, quarum 1—2. 2—1 breuiſſimae albae; 3, 3 longiores nigrae marginibus apiceque albis; 4, 4. carent apice albo, longiores; 5, 5 nigrae totae, prioribus multum longiores acuminatioresque; 6, 6 etiam nigrae, omnium longiſſimae, ſubulatae, curuatae; tectrices ſuperiores nigrae, inferiores albae. Pedes plumbei.

FOEMINAE roſtrum totum nigrum (ſaltem in nullo exemplari maculam rubram videre mihi contigit). Caput album ſupra ſordeſcens; temporibus maculam parvam nigram, et inferiorem pallide griſeam habet. Collum album. Pectus incipit cingulo ſordido, reliquo et abdomine antico cinereo, poſtico albo. Dorſum nigricans; pennae humerales nigricantes, nec tam longae ac maris. Cauda quidem cuneata, caret tamen pennis 4 intermediis praelongis maris, tota fuſceſcens extimis pallidioribus, mediis obſcurioribus. Reliqua communia habet cum mare.

PVLLI veteribus obſcuriores, ita vt loca in illis alba in his ſordeſcant; abdomen tamen album. Dorſum alaeque nigrae in omnibus permanent; pennae humerales cineraſcunt marginibus pallidioribus. Variant alias multum aetate.

HABITAT

HABITAT vndique tam mari inter insulas, quam lacubus, toto anno.

VICTVS eius testacea minuta varii generis, quae in profundo petit; mytilum discordem maxima copia apud illam inueni.

NIDIFICAT inter gramina iuxta aquas, more anatis mollissimae. Mense Iunio oua ponit 5, figura et magnitudine ac gallinae iunioris, alba cum tinctura pallide coeruleſcenti. Mater pullos suos primum in aquas, deinde in mare secum fert.

Est admodum cauta veloxque volatu, natatu submersuque. Volitat flexuose, iam dorso, iam abdomine oblique auerso. Mas vociferatur â—a—aglik.

VSVS idem ac anatis mollissimae; sed rarius capitur. Plumulae nidi eius, si darentur multitudine, sane anatis mollissimae non cederent bonitate.

46. ANAS HISTRIONICA.

Anas fusca, albo coeruleoque varia; auribus, temporibus linea gemina; collari, fasciaque pectorali albis.

Anas histrionica, Syst. nat. I, 204. Müll. prodr. 127. Brün. 84. 85. mas.
Anas minuta, System. nat. I, 204. Brün. 86. foemina.
Tornauviarſuk, Eg. 53. *) Cr. 108. Gl. 97.
Straumönd, v. *Brimdufva*, Ol. 549. tab. XXXIV. mas.

GROENLAND. *Tornauiarſuk.*

*) Erratur tamen hoc loco, dum dicitur non maior quam alauda; fine dubio confusa cum tringa lobata, de qua in sequentibus.

DESCRIPT. Anatem minutam Linnaei, licet diuerſiſſimam colore, (vt anates aliae,) eſſe foeminam anatis hiſtrionicae, certe comuictus ſum, dum ſaepiſſime hoc par vidi tempore pruritus conſociatum. Roſtrum in vtroque ſexu conuexo-compreſſum, breue, baſi rugoſum rugis circularibus; pedes nigricantes, caudaque acuminata; nares vt in anate hiemali; oculi nigri, iride pallide brunnea; caput compreſſum, ſubtumidum vertice; regio oculorum albo mixta; alae breues, baſin caudae tantum apice attingentes.

MAREM optime deſcripſit Brün. l.c. pennas tamen humerales longas nigro alboque ſtriatas, et maculas laterales vropygii ouatas albas non memorat, quae in exemplaribus meis. Roſtrum maris baſi nigrum, medio plumbeum, apice pallide violaceum.

FOEMINA mare multo minor. Roſtrum eius totum nigrum, margine vnguis albida. Tota fuſco-murina, abdomine pallidiore albo-maculato; frons tamen, gula, regio oculorum et aurium albeſcentia. Remiges rectrices et tectrices ſuperiores dorſo concolores, inferiores autem abdomini.

HABITAT praeſertim in fluminibus et ſinubus oſtiis illorum adiacentibus, loca vmbroſa amans; hieme autem ad oras Groenlandiae in mari amplo. Non inter copioſas numeranda.

VICTVS eius conchae minores, oua piſcium et maxime laruae culicum in aquis frequentes.

NIDIFICAT in littoribus fluminum inter frutices. Oua eius non vidi.

NATARE optime valet, flumen ſatis rapidum non timens, in quo etiam vrinatur. Velociter et alte volat; vociferans fere more Berniclae.

VSVS eius idem ac praecedentis; ſed rariſſime capitur.

47. ANAS BOSCHAS.

Anas rectricibus intermediis (maris) recurvatis, roſtro recto.

Anas Boſchas, Syſt. nat. I, 205. Faun. Suec. 131. Müll. prodr. 128. Brün. 87.
Brednæbbet And, Eg. 52.
Kertulok, Cr. 107.
Blaahals, v. *Græs and*, Ström, I, 219. Bom. I, 118.
Blaakolſönd, Ol. 549.
Anas Fera, ſ. *Boſchas*, Ionſt. Orn. 144. tab. 49.
GROENLAND. *Kærtlutok, Kongmutajok.*

Haec anas ſatis nota datur frequens in Groenlandia. Hieme gregatim conſpicitur in ſinubus exterioribus; aeſtivo tempore paria ſolitaria in aquis.

NIDIFICAT in gramine. Saepiſſime nidum eius inveni in ruderibus domuum groenlandicarum, vbi gramina maxima creſcunt, et quidem ſub initio Maii vel fine Aprilis. Oua 8—10 ponit magnitudine et colore vt anatis domeſticae.

VICTVS eius vermes et piſciculi omnis generis, in aquis et littoribus maris occurrentes.

VOLARE conans ſemper altum petit; vrinari non valet: hinc cautiſſima raro capitur a Groenlandis, niſi deplumis.

VSVS eius vilis eſt Groenlandis; caro tamen et oua eius, vt reliquorum volucrium, cocta eduntur.

48. MERGVS SERRATOR.

Mergus criſta dependente, pectore rufeſcente-variegato, collari albo, rectricibus fuſcis cinereo-variegatis.

Mergus Serrator, Syſt. nat. I, 208. Müll. prodr. 134. *Spiſ-*

Spisnæbbed And, Eg. 52.
Pekſok, Cr. 107.
Pæjk, Gl. 96.
Top-önd, Ol. 550. tab. XXXVII.
Mergus longirоſtratus, Ionſt. av. 133. tab. 47.
Skior-and, Bom. VII, 281. Ström, I, 254.
Mergus Merganſer, Faun. Suec. 135. } mas.
Mergus criſtatus, Brün. 94. 95. } mas.
Ard, It. Gothl. 166. } mas.
Mergus Serratus, Brün. 96. Faun. Sv. 136. } foemina.
Pracka, It. Gothl. 271. } foemina.

Rubricapilla, Brün. 93. et *Skalleſluger*, Bom. VII, 229. forſitan varietas tantum foeminae iunioris vel tempore mutationis pennarum annuae.

GROENLAND. *Pajk*, *Nyalikſak*.

DESCRIPT. Fere magnitudine anatis domeſticae. Mandibula ſuperior fuſco-vireſcens, inferior rubra; nares oblongae patulae; oculi nigri iride crocea. Pedes obſcure rubri, vnguibus albidis Caput longum, antice attenuatum. Cauda breuis, lata, rotundato-cuneata.

MARIS caput nigro-vireſcens, criſta longa dependente; collare album, dorſo tamen colli non clauſum; collum ſupra et dorſum nigra; regio autem femorum et vropygii fuſca, albo tenuiſſime vndulata; tectrices caudae nigricantes; iugulum et pectus teſtacea maculis albis nigrisque; abdomen album. Remiges 10 primores nigrae acuminatae; 11 intrinſecus cineraſcens, extrinſecus nigra; 12—14 itidem cum apicibus albis; 15—20 dimidiatae albae verſus apicem; 21—23 intrinſecus cineraſcentes, extrinſecus albae margine nigra; reliquae nigrae. Alae ſpuriae pennae ſupremae nigrae, infimae albae latere exteriore, ſicque maculam longam formantes. Tectrices remigibus ſecundariis incumbentes dimidiato albae baſi nigra;

gra; tectrices medio alae albae, reliquae nigrae: hinc in medio ſpeculum magnum oblongum album, diuiſum lineis 2 transuerſis, et 3 longitudinalibus nigris. Alae ſubtus albae; ante alas vtrinque area mixta nigro alboque. Rectrices 18 nigrae.

FOEMINAE caput criſta magis ſpuria, vertice obſcure brunneo-vireſcente nigroque mixto; reliquum brunneum ſubtus pallidius, gula tamen regioque oculorum albicantes. Collum antice cineraſcens; poſtice nigro-vireſcens. Pectus albidum; abdomen album; dorſum nigricans, poſtice cineraſcens vndulis nigris tenuiſſimis; cauda etiam cineraſcens, rectricibus tamen obſcurioribus rachi nigra. Alae fere vt in mare, ſpeculum tamen non niſi vna linea nigra transuerſa diuiſum.

HABITAT eisdem in locis ac anas Boſchas, non tamen eadem multitudine.

VICTVS eius praeſertim ſquillae et piſciculi, quos in profundo petit vrinando.

NIDIFICAT ad littora aquarum. Oua eius parum minora quam Boſchadis, et magis candida.

Optime vrinatur. Ceterum quoad mores et vſum conuenit Boſchadi.

CAPITVR iaculis, praeſertim menſe Auguſto, dum pennis caret.

49. MERGVS MERGANSER †.

Mergus criſta longitudinali erectiuſcula, pectore albido immaculato, rectricibus cinereis ſcapo nigricante.

Mergus Merganſer, Syſt. nat. I, 208. Müll. prodr. 133. Brün. 92. Ionſt. 134. t. 47.

Guulönd, Ol. 550.

GROENL. *Paikpiarſuk*, *Pararſuk*.

50. ALCA TORDA.

Alca roſtro compreſſo-ancipiti ſulcato; linea vtrinque alba a roſtro ad oculos.

Alca torda, Syſtem. nat I, 210. Faun. Suec. 139. Müll. prodr. 136. Brün. 100. Pall. V, 12.
Klub-Alke, Gl. 102. Ström, I, 219. Bom. I, 82.
Klumbunefia, Ol. 562.
Allike, Deb. 133. 138.
Tyknæbbet Alk, Pont. II, 107. c. fig.
Tord, It. Gothl. 286.
Alca balthica, Brün. 101. Müll. prodr. 137. Atl. 621. tab. XXVI. huius tantum varietas.

GROENLAND. *Akparnak*, v. *Akparngak*, *Akpartluk*.

DESCRIPT. Roſtrum admodum compreſſum, ſupra rotundato-elatum, ſubtus verſus medium gibbum, vnde ad baſin canalis profunda; lateribus ſulcatum 4 ſulcis obliquis, 3 eminentia interſtitia cauſantibus, quorum medium album, reliqua roſtro nigro concoloria, apice albicante. Hi ſulci in pullis difficulter deteguntur; nec in illis albedo memorata, toto roſtro nigro *). Nares breves fere lineares ad marginem et baſin roſtri. Regio illarum et tota baſis roſtri tecta plumulis minutis albidis. Oculi magni palleſcentes. Caput craſſum. Alae breues. Cauda breuis ſubcuneata. Tota auis ſupra nigra, infra alba. Praeterea alba linea ducitur ab oculis ad ſummitatem roſtri; et remiges ſecundariae apices albos habent, lineam albam in ala nigra formantes. Albedo inferior capitis producitur ad latera eius ſupra aures. Tales erant omnes a me viſae, et quidem hieme. Dicitur autem, vt ſequens, per-

*) In genere obſeruandum eſt de alcis, quod iuniores ſemper minus ſulcata et colorata roſtra habeant, ſulcis cum aetate accreſcentibus, de quibus iteratis experientiis conuictus ſum; hinc character de ſulcis ſumptus lubricus ſatis,

permutare colorem aeſtate, capite etiam ſubtus et lateribus colli nigris, tali tempore nunquam a me viſa; linea tamen alba ante oculos ſemper permanet, vt nota optima huius ſpeciei. Rectrices 10 tantum numeraui, longiores quam ſequentis. Pedes nigri tridactyli. Parum minor eſt ſequente. Pellis eius, vt alcarum in genere, pinguis, laxa et plumis arcte tecta.

HABITAT paſſim in mari groenlandico, ſequente minus frequens: lubentiſſime moratur locis profundis; tractibus auſtralibus raro obuia; ſed e regione boreali coloniae *Fiskerlogen* dictae alcae fere omnes huius ſpeciei eſſe dicuntur.

VICTVS eius praecipuus ſalmo arcticus, cum aliis piſciculis.

OVA duo tantum, fere magnitudine et colore ouorum colymbi ſeptentrionalis, pallida maculis multis nigricantibus, ponit in litoribus praeruptis inſularum extimarum inter ſtrata lapidea, et quidem ſuper lapides nudos, nidum aptatum nullum habens.

Quoad reliqua momenta ſequenti conuenit.

51. ALCA PICA.

Alca roſtro laeui compreſſo, corpore toto ſubtus apicibusque remigum poſticarum albis.

Alca Pica, Syſtem. nat. I, 210. Müll. prodr. 138. Pall. V, 12.
Alca vniſulcata, Brün. 102.
Alk, Eg. 53. Cr. 112.
Akpa, Gl. 101.
Den almindelige Alk, Ström, I, 219. Bom. I, 82. Pont. II, 107. Act. nidr. III, 139.
Aalka, Ol. 562 (licet characterem tordae huic, et illi picae, ex parte tribuat auctor.)

GROENL.

GROENLAND. *Akpa.*

DESCRIPT. Haec magnitudine cornicis, antecedente parum maior, corpore protractiore, capite angustiore, rostro longiore arctiore vixque sulcato, nec non defectu lineae albae ante oculos, ab illa praesertim differt. Pedes postice nigricant, antice canescunt *). Nares fere tectae plumulis nigris. Oculi nigri. Cetera vt in praecedenti. In multis sulcus rostri non videtur, aestiuo tempore caput totum, gula et pars iuguli nigra.

HABITAT vndique magna copia, locis tamen quibusdam magis frequens. Aestate sic certa loca sua agnoscit, vbi gregatim nidificat; hieme alia, vbi victum aptum quaerit, quaeque de hac aue, in mari groenlandico vulgatissima, nomina sua acceperunt (e. gr. *Akpæt*, *Akpamiut*, *Akparsiorbik*). Rarissime tamen intima sinuum maiorum petit.

VICTVM eius praecipuum dant cancer pedatus et oculatus, cum aliis insectis minutis marinis; vnde, vt Balaena Mysticetus, large pinguescit.

NIDIFICAT more praecedentis in locis marinis praeruptis **).

VOLATVS eius velox, non vero altus, plerumque superficiem aquae sequens. Optime vrinari, sed difficulter ince-

*) Inter permulta exemplaria, quae diuersis anni temporibus vidi, ne vnicum quidem pedibus rubris videre contigit, vt volunt alii auctores.

**) Speciatim nominant Groenlandi insulam *Orpikfauk* e regione boreali Disco, quae multa similia habet cum monte volucrium Islandiae, ab Ol. l. c. descripto. Haec admodum praeceps vnicum ascensum habet, sed multos circuitus gradatim altiores, in quibus aues innumerae et diuersi generis nidificant, vt dicunt, hoc ordine: 1) supremo circuitu Pelecanus carbo, quem sequitur 2) Larus glaucus, 3) Larus tridactylus, 4) Vria grylle, 5) Alca torda, pica et arctica, et 6) ima Alca alle.

incedere valet: hinc raro in arido videtur, nisi ad nidum suum, et tunc erecta fere. Hiemali tempore sinus mane intrans victus quaerendi gratia, vesperi altum mare repetit.

VSVS. Certat vtilitate Groenlandis cum Anate mollissima prae ceteris auibus. Caro cum intestinis cocta lubentissime editur, quibusdam locis etiam subputrida. Pinguedo vt iusculum singulare cruda consumitur. De pelle plurima vestimenta corpori proxima habentur.

CAPITVR praesertim tribus modis:

1) iaculis a pluribus persecutoribus, siue solitaria in mari quiescens, siue gregatim victum quaerens.
2) dum plures, in cymbis gregem cingendo, terram ascendere cogunt; alii in arido exspectantes capitibus tectis improuiso illam persequuntur, et incedere vix valentem nec prae timore volare conantem manibus comprehendunt.
3) locis australibus etiam retibus de laminis balaenarum fabricatis.

OBSERVAT. De huius varietatibus tribus memorant incolae; conf. Gl. 101.

1) Quam dicunt *Niviarsarsuk*, capite albo.
2) *Kakortok*, tota alba, Cr. 116.
3) *Aukpilartok*, dorso rubro.

Meraene vero varietates, an species nouae sint, non determinare possum, illis nunquam a me visis. Prima tamen cum alca cirrhata Pall. V, 15. et secunda cum cepho eius lacteolo ib. p. 42. similitudinem habere videtur; tertiae assimile exemplar describere videtur Ström, l. c. dum dicit illud pectore rubro.

52. ALCA IMPENNIS.

Alca roſtro compreſſo-ancipiti ſulcato, macula ouata vtrinque ante oculos, alis minimis.

Alca impennis, Syſt. nat. I, 210. Faun. Suec. 140. Müll. prodr. 139. Brün. 105. Pall. V, 11.
Hav-Emmer, Eg. 55.
See-Emmer, Cr. 111.
Iſerokitſok, Gl. 99.
Geirfugl, And. 45. Ol. 750. 983.
Geyervogel, Horr. 202.
Garfugl, Deb. 130.
Anglemaager, Ström, I, 221. Bom. I, 131.
Imber, Pont. II, 131.?

GROENLAND. *Iſarokitſok.*

DESCRIPT. Magnitudine anſeris. Roſtrum nigrum ſulcis 4 tantum notatum, in exemplaribus viſis. Colore non differt a praecedentibus, niſi macula ouata alba ad oculos. (Pulli tamen hanc non habent, nec ſulcos roſtri.) Pedes nigri. Alae minimae, remigibus vix maioribus quam ſturni; hinc volare non poteſt.

HABITAT in alto mari, raro ad inſulas extremas viſa, et quidem tempore brumali. Veteres rariſſimi.

VICTVS eius Cottus ſcorpius, Cyclopterus lumpus, et piſces eiusdem magnitudinis alii.

NIDIFICAT in ſcopulis maris extremis ab hominibus remotiſſimis: quod inde concludo, quod nidus eius nunquam a Groenlandis conſpectus eſt; ſed pullum vidi, menſe Auguſto captum, lanuginem griſeam tantum habentem, hinc aliquot tantum dierum; inque illo inueni rhodiolam roſeam et alia vegetabilia, quae littoribus praeruptis creſcere ſolent, non autem piſces: hinc nuper de nido

nido ſuo, nec procul veniſſe neceſſe eſt. Nidum et oua eius deſcribit Ol. l. c.

Difficulter incedit, ſed optime vrinatur; huicque vſui alae minutae eius tantum inſeruiunt. Interdum incauta ſatis.

VSVS idem ac praecedentis; faux tamen etiam pro veſica iaculorum habetur.

CAPITVR primo tantum modo ſub praecedenti allato.

53. ALCA ARCTICA.

Alca roſtro compreſſo-ancipiti ſulcato, oculorum orbita temporibusque albis, palpebra ſuperiore mucronata.

Alca arctica, Syſt. nat. I, 211. Faun. Suec. 141. Müll. prodr. 140. Brün. 103. Pall. V, 10.
Lund, Eg. 55. Cr. 113, 7. S. Gl. 102. Leem, 280. Ol. 223. 559. Ström, I, 245. Bom. V, 170. Pont. II, 141.
Papegoye. And. 167.
Papageitaucher, Adel. 365. tab XIII. fig 3.
Alca deleta, Müll. prodr. 141. Brün. 104. eſt huius varietas iunior.

GROENLAND. *Killangak*.

DESCRIPT. Magnitudinem fere habet tordae; monſtroſitate roſtri a ceteris diſtincta. Roſtrum hoc ſulcos habet quinque, quaſi in duas partes diuiſum, quarum altera rubra continens apicem cum ſulcis quatuor, altera nigra continens ſulcum quintum cum baſi. Mandibula ſuperior baſi ſummitatis ſuae habet inciſuram leuem, qua quaſi a capite ſeparatur. Mandibula inferior gibboſitatem mediam magnam habet, de qua pendet appendicula membranacea; ſed verſus caput non canaliculata eſt, vt

in ceteris. Nares oblongae fere lineares basi rostri. Rictus oris magnus, nudus, flauus. Oculi nigri; palpebra superior in quibusdam mucrone membranaceo instructa. Caput fere globosum. Alae et cauda breues. Tota auis supra nigra, infra alba; attamen regio oculorum albescit. Genae, tempora et gula sordide alba. Iugulum nigrum. Remiges latere interiore et alae subtus fuscescunt. Rectrices 16 fere aequales. Pedes sordide rubri, vnguibus nigris magnis felinis.

Pulli rostrum minus sulcatum, nec tam coloratum, corpus etiam magis fuscum habent.

HABITAT in alto mari, minus frequens inter insulas, et quidem tempore brumali; quaedam tamen loca, e. gr. *Killangait*, et *Killangarsuit*, e regione boreali coloniae *Fiskerlogen*, de praesentia huius auis frequentiore nomen suum mutuarunt.

VICTVS eius piscículi et insecta cancriformia varii generis, praesertim autem species a Groenlandis nominata *Imaviub Kingua pillektoutelik*, (i. e. Pulex maris alti rostro serrato,) quam non vidi, pro Cancro Arcto autem habeo.

NIDIFICAT in insulis extremis, praesertim e regione occidentali insulae *Disco*, et in insula *Orpikfauk* (de qua sub alca pica); et dicitur terram vnguibus suis excavare, ponens oua duo satis magna.

Quoad cetera momenta nil diuersum a praecedentibus habet.

54. ALCA ALLE.

Alca rostro laeui conico; abdomine toto subtus remigumque posticarum apicibus albis, pedibus nigris.

Alca Alle, Syst. nat I, 211. Faun. Suec. 142. Müll. prodr. 142. Brün. 106. Pall. V, 13.

Smaa

Smaa Alk, Eg. 53.
Akpalliarſuk, Cr. 113. Gl. 103.
Roties, And. 167. Adel. 163. tab. XIV. f. 3.
Söekonge, Ström. I, 255.
Peder Drikker, Act. Nidr. I, 261. tab. VI. et pag. 268. 2.
Boefiær, Bom. I. 410.
Havtirdil, Ol, 984. tab. XXXV.

GROENL. *Akpalliarſuk* ſ. *Akpalliarſungoak*, *Kaerrak*, *Ijarſoakale*.

DESCRIPTIONI datae Act. Nidr. l. c. nil addere habeo, niſi maculam paruam ouatam albam ſupra oculos. Quaedam etiam habent lineolas longitudinales albas in dorſo antico ſupra alas. Ceterum variat color tempore aeſtiuo et hiemali, eodem modo ac praecedentium, ita vt aeſtate iugulum, colli latera, pectusque nigra euadant, hieme autem tota auis infra ſit alba, albedine hac nucham fere cingente.

HABITAT magna copia cum alca pica; victum eundem quaerens. De nidificatione eius etiam ſub illa memoratum eſt. Raro in inſulis auſtralibus nidum habet; vidi tamen oua eius, duo numero in vno nido ſumta, columbinis parum maiora, alba tinctura ſubcoerulea.

Volatu veloci, anatis hiemalis ſimili, gaudet; non tamen alta petit. Quieſcens in mari ſemper roſtrum movet, quaſi continuo bibens. Bene vrinatur, non tamen vt alcae maiores; ſed melius incedit. Tempore procelloſo, maris moti cancris piſciculisque ſumma petentibus, pingueſcit; ſatis incauta.

VSVS eius ob paruitatem vilior quam praecedentium, licet eodem modo.

CAPITUR iaculis facilius quam vlla alia.

Obſerv. 1.) Dantur huius duae varietates:

a) alia Groenlandis *Kakortok*, tota alba, Brün. 107.
b) alia *Aukpilartok*, pectore rubro.

Nunquam a me viſae.

2.) Nominantur adhuc alcaeformes aliae ſub nominibus *Akpalik* Cr. 116. et *Akpartlek*, Gl. 108. quae an vna eademque auis, an quaedam praecedentium ſub diuerſo nomine, an vero nouae ſpecies ſint, alius determinabit.

55. PROCELLARIA GLACIALIS.

Procellaria albicans, dorſo caneſcente.

Procellaria glacialis, Syſt. nat. I. 213. Faun. Suec. 144. Müll. prodr. 144. Brün. 118. Pall. V, 36.

Mallemukke, Cr. 115. Gl. 106. And. 168. Adel. 367. 415. tab. XIV. fig. 4. (Figura autem 7. tab. XIII. quoad roſtrum melius quadrat.)

Havheſt, Act. Nidr. I, 182. tab. I. Ström, I. 231. Leem, 272. Bom. III, 362. Pont. II, 123. c. fig.

Filingen, Ol. 625. 710.

GROENL. *Kakordluk*, v. *Kakordluvek.*

DESCRIPT. Exemplaria viſa tota caneſcentia, remigibus obſcurioribus, abdomine albicante. Cetera deſcriptioni Act. Nidr. datae conuenerunt. Aream deplumem ſub abdomine etiam reperi.

HABITAT in alto mari, raro ad oras veniens, et tunc errans in nebula; quod praeſertim fit menſe Auguſto: rarior tamen ſequenti.

ESCA eius eſt omne viuum in ſuperficie maris occurrens; etiam cadauera marina et quisquilias naulum petit.

NIDIFICAT

NIDIFICAT in littoribus praeruptis occidentalibus insulae *Disco*, et aliis locis a continente remotioribus, more Lari glauci.

Volatu suo quasi currit super vndas, simul rapiens escam suam; interdum tamen mari sub edendo etiam quiescentem vidi. Est auis facile incautissima et admodum foetida.

VSVS. Caro editur cocta vel siccata. Pinguedo vel cruda editur, vel comburitur in lampadibus. Pellis raro in vestimenta adhibetur. De fauce habetur vesica venatoria in iacula minora.

CAPITVR facile iaculis, dum quiescit super aquam, hostem appropinquantem tuto exspectans.

56. PROCELLARIA PVFFINVS.

Procellaria corpore supra nigro, subtus albo.

Procellaria Puffinus, Syst. nat. I, 213. Müll. prodr. 145. Brün. 119.

Enkekone, Gl. 106.
Lire, Ström, I, 243.
Skrabe, Deb. 134. Bom. VII, 310.
Skrofa, Ol. 556.

GROENL. *Kakordlungnak.*

DESCRIPT. Praecedenti paulo longior, sed angustior, hinc minor corpore. Rostrum longius, sed tegumenta cylindrica narium minora; interstitio illorum latiore. Nares ipsae obliquae, non, vt in praecedenti, perpendiculares. Sub abdomine in multis vidi maculam longam fuscescentem. Pedes antice rubescunt, postice nigricantes. Cetera cum descriptione Brün. l. c. conueniunt.

HABITAT cum praecedenti, ſed frequentior inter inſulas conſpicitur. Annis nebuloſis certa loca tanta copia aduenit, vt ſuperficies maris per areas quaſi tegatur.

Quoad reliqua momenta cum praecedenti conuenit, quatenus mihi notum.

57. PELECANVS CARBO.

Pelecanus cauda rotundata, corpore nigro, roſtro edentulo, capite laeui.

Pelecanus Carbo, Syſt. nat. I, 216. Faun. Suec. 145. Müll. prodr. 146 Brün. 120.
Skarv, Fig. 55. Gl. 101. Leem, 271. Ström, I, 250. Kalm. Am. I, 110. Bom. VII, 252.
Skarf, Cr. III.
Baklan, Gmel. II, 23.
Skarfur Ol. 64. 555.
Coruus aquaticus, Ionſt. av. 131. t. 47.

Pelecanus Phalacrocorax, Müll. prodr 148. Brün. 122. et Ionſt. l. c. — mas
Blikſkarv, *Hvidlaaring*, Ström. l. c. I. — vetus.
Dilaſkarfr. Ol. 556 982.

Pelecanus graculus, Syſt. nat. I, 217 Faun. Suec. 146. Müll. prodr. 147. Brün. 121. Ionſt. l. c. — pullus.
Smaaſkarv, Ström, l. c. 3. Leem, 272. (120, 2.)
Graaſkarfur, *Hnuplungur*, Ol. 555.

CROENL. *Okaitſok*; pullus *Okaitſoak*; *Kidlingaejouk*.

DESCRIPT. Roſtrum edentulum ſupra nigricat, lateribus ſubtusque albicat. Facies non fronte, ſed tantum ante oculos, area anguſta nudiuſcula, et cum rictu oris gulaeque flaueſcens. Nares ex rima fere tecta tantum

tum conſtant. Lingua minutiſſima. Caput elongatum antice acuminato-compreſſum, poſtice craſſius; vertice planiuſculum. Collum longum. Corpus robuſtum elongatum. Tota auis nigra apicibus pennarum atris; gula tamen, quatenus plumis tecta eſt, alba: quae albedo etiam continuatur initio iuguli, pennis tenuiſſimis ſparſis inter nigras; ſupra femora etiam vtrinque macula magna alba, cuius pennae ceteris tumidiores. Oculi nigri iride magna viridi. Alae robuſtae quidem, pennis tamen gaudent raris mediocrisque magnitudinis. Remiges primariae 10, ſecundariae 20; quas ſequitur ſpatium 5 aut 6 pennis breuiſſimis occupatum, deinde alula ſpuria conſtans 5 pennis longitudine ſecundariarum. Cauda rotundata habet 14 rectrices, quarum rachis craſſa baſi ſubnuda. Pedes nigri tetradactyli, digito poſtico fere laterali cum ceteris iuncto, plicatiles ſunt et pro manibus illi inſeruire poſſunt. Sternum habet breuiſſimum; ante et poſt quod laxa via piſcibus maioribus ingurgitatis.

Foemina differt a mare defectu macularum albarum, dum tota nigra, etiam minor.

Pulli ſupra nigri, infra albicant, ad latera tamen ſordeſcentes. Roſtrum illorum fere nigrum, et apice minus incuruato.

HABITAT ubique ſatis numeroſa; loca maritima praerupta amans, ſaepe de illo nomen ſuum mutuantia. Non migrat e Groenlandia.

VICTVS eius praecipuus eſt Cottus ſcorpius, quem maximum etiam ingurgitat, et ſaepe in aue mortua de fauce in anum fere extenſum reperi.

NIDIFICAT praecipitiis maritimis, et quidem in ſummo circuitu illorum *) more corui; oua tria vel plura ponens, anſerinis aequalia, pallide virentia, tam foetida, vta Groenlandis vix edantur.

*) Conferantur, quae dicta ſub Sp. 51.

Sociabilis auis certa loca homini inacceſſa eligit, vbi gregatim quieſcit dormitque, procul viſa vt grex puerorum ob collum ſuum erectum. Cautiſſima eſt: hinc homine appropinquante viſo ſtatim deuolat, primo deorſum, ſenſim altum repetens collo erecto, volatu veloci ſatis. Vrinator optimus, piſcem non prorſus hauſtum emergens periclitansque pedibus ſuis, vt manibus, extrahit, vt leuior volatu euadat. Quod ſi non valet, ſubmerſu ſe ſaluat. Infeſtatus locum ſuum mutat, diu non repetens. Secure dormit, capite ſub alas reflexo; nec facile noctu excitatus volare audet: hinc vnum poſt alterum irretire edoctis contingit. Bene ſatis incedit.

VSVS carnis, pellis faucisque vt alcae impennis; faux tamen huius omnium optima, vt maior, tenuior laeuiorque.

CAPITVR variis modis:

α) vel iaculis, vt reliqui vrinatores, icitur.

β) vel laqueis de cacumine montis ante hoſpitia eius dependentibus ſemetipſum ſub volando conſtringit.

γ) vel hieme dum altiora et magis planiora petit, glaciem inferiorum inundatione maris factam relinquens, ſub dormitu viuus prehenditur, vel hamo attrahitur, non ſine periculo.

58. PELECANVS CRISTATVS. †

Pelecanus criſta ſuberecta, corpore atro immaculato, rectricibus duodecim.

Pelecanus criſtatus, Müll. prodr. 150. Brün. 123. Leem, 272. (120, 3.)

Coruus ſyluaticus, Ionſt. av. 131. tab. 47.?

Tingmik, Gl. 99.

Topſkarv,

Topſkarv, Ström, I, 250. Act. Nidr. III, 141. t. III. f. 7. 8. Bom. VII, 252.
Topſkarfr; Hraukur, Ol. 555. tab. XXXIX.

GROENL. *Tingmik* v. *Tingmirkſoak*.

Auis haec groenlandica, admodum rara et tractibus auſtralibus tantum obuia, vt puto, nulla alia eſt ac Pelecanus criſtatus. Dicunt enim, illam eſſe totam nigram, maiorem carbone; ſed vt ille loca praerupta inhabitare, quae loca de excrementis eius admodum ſordida, vnde etiam ſine dubio nomen eius groenlandicum, a verbo *Tingmikpok* (i. e. aluo ſoluta laborat,) deriuatum.

59. PELECANVS BASSANVS.

Pelecanus cauda cuneiformi, corpore albo, roſtro ſerrato, remigibusque primoribus nigris, fauce coerulea.

Pelecanus Baſſanus, Syſt. nat. I, 217. Müll. prodr. 149. Brün. 124.
Kukſuk, Gl. 99.
Havſule, Ström, I, 233, Pont. II, 124. Bom. III, 38.
Havſula, Ol. 223. 556.
Sule, Deb. 132.
Johan van Gent, Adel. 369.
Anſer Baſſanus, Ionſt. av. 131. tab. 47. ſed male.

GROENL. *Kukſuk*.

DESCR. Roſtrum validum coeruleum apice albido, ſerratum ſerris minimis, ad rictum oris tamen vtrinque in mandibula ſuperiore ſerra maior acuta, intra quam meatus oblique verſus caput tendens, ſine dubio cum naribus coniunctus. Apertura narium eſt rima anguſtiſſima, quam acus vix pene-

penetrare poteſt. Lingua minutiſſima ouata. Facies ante, circa et ſub oculis, et gula ad latera, nuda coerulea; de rictu oris tamen ad nucham fere protenditur linea nuda nigra. Oculi magni iride alba, roſtro propinquiores. Pedes coeruleo-nigricant. Reliqua vt in Syſt. nat. l. c. Pediculis laborat.

Pullum vidi multo minorem, multis ſtriis nigris ſignatum.

HABITAT in alto mari, rariſſime ſub Groenlandia viſa, et quidem errans. Nec in Groenlandia nidulatur, quatenus mihi notum; locis auſtralibus tamen frequentior.

Exemplaria mea incolae auſtri nominarunt *Kukſuk*. An vero etiam alia auis, e. gr. cygnus, hoc nomine in tractibus auſtralibus gaudeat, vt volunt alii, non contradicam.

60. VRIA GRYLLE.

Vria corpore atro, tectricibus alarum albis.

Colymbus grylle, Syſt. nat. I, 220. Faun. Suec. 148. Müll. prodr. 151.
Vria grylle, Brün. 113. (aeſtiuus.)
Vria grylloides, ib. 114. (pullus primi anni.)
Vria balthica, ib. 115. 116. (hiemalis.)
Teiſt, Fg. 55. Gl. 102. Cr. 113. Ström, I, 258. Act. Nidr. I, 258. 267, 1. Tab. IV. Pont. II, 163. Bom. VIII, 48. Deb. 127.
Ziaelkes, Leem, 281.
Grylle, It. Gothl. 214.
Taube, Adel. 360. tab. XIII. fig. 6. Ell. 260*.
Due, And. 167.
Peturskofa, Ol. 356. 557.

GROENL. *Serbak* v. *Sergvak*. Colore aeſtiuo: *Kernekungojuk* v. *Kernektarſuk*. Colore hiemali: *Kakortuugojuk*.

DESCRI-

DESCRIPTIONI huius auis datae Act. Nidr. et Brün. Orn. ll. cc., obseruatis, quae supra memoraui ad loca haec rite intelligenda, nil fere addere valeo. Quod Vria balthica loco primo aliter ac secundo apud Brün. describatur, sic intelligo: primum eius exemplar sine dubio captum est sub initio hiemis, colorem hiemalem nondum perfectum habens; secundum vero sub fine hiemis, hinc magis maculatum. Inter permulta exemplaria, quae fere quotidie aestate hiemeque vidi, ne vnum quidem rostro rubro praeditum mihi obuenit, licet hoc velint alii. Pedes rubri hieme, vt cetera, canescunt. Auem hanc hieme mutare colorem nullus dubito, experientia de contrario hactenus non conuictus. Datur enim inter veteres et pullos hiemali tempore differentia, (praesertim quod illae album, hi nigro maculatum abdomen habeant;) quae sententiam assumtam satis stabilire videtur. Nulla datur differentia coloris maris et foeminae.

Pullus nuper natus toto corpore lanuginem nigram, partes nudas etiam nigras habet, excepto apice extimo rostri albo. Plumatus colorem Brün. 114. memoratum assumit; sed sequenti vere, vt veteres, niger euadit: saltem in Groenlandia tunc omnes nigri, licet de Islandia aliter velit Ol. l. c.

HABITAT vndique in mari groenlandico, ad oras satis numerosa.

VICTVS eius sunt piscículi varii generis, praesertim pulli gadi, scorpii et salmonis arctici.

Est monogama. Licet ipsa magnitudine tantum columbae, oua tamen gallinarum fere aequalia, numero duo, albida maculis multis nigris grisèisque, sub initio Iunii ponit locis et more Alcarum. (Cf. Sp. 50. 51.)

Inter vrinatores optimos et aues cautissimas merito numeranda est. Breuibus etiam licet alis praedita velociter

citer satis volat, non tamen alte. — Difficulter incedit, non tamen vt alcae vel colymbi plurimi.

VSVS pellis et carnis vt alcarum. Oua etiam cocta eduntur. Cutis rubra pedum adhibetur in lineis piscatoriis vt illecebra.

CAPITVR vel iaculis, sed difficilius ac alcae, quippe magis inquieta et lubentius deuolans; vel laqueis in nido suo: hic etiam interdum viua prehenditur.

61. COLYMBVS SEPTENTRIONALIS.

Colymbus pedibus palmatis, collo subtus macula scutiformi ferruginea.

Colymbus septentrionalis, Syst. nat. 220. Müll. prodr. 153.
Colymbus Lumme, Brün. 132.
Lumm, Cr. 112. And. 44.
Loom, Act. Nidr. I, 244. tab. II. fig. 2. Ström, I, 243. Pont. II, 136. c. fig. Bom. V, 123.
Lomur, Ol. 557.
Liom, Deb. 129.
Gakkor v. *Gakkatte*, Leem, 270.

GROENL. *Karksauk.*

DESCR. Haec auis licet in aquis borealibus satis frequens, varie et nondum sufficienter descripta, magnitudinem fere anatis Tadornae habet, sed corpus magis plagioplateum, collum longum, caput protractum, rostrum longum subulatum, acuminatum, cuius mandibula superior sursum incuruata sulco laterali in tres partes longitudinales diuiditur, quarum media s. dorsalis albescit, reliquae cum mandibula inferiore nigricant; nares nudas oblongas fere lineares; linguam gracilem acuminatam. Caput canescens verticem habet magis obscurum, mixtu-

ra

ra nigricante, et ad canalem mandibulae inferioris maculas minutas albidas. *)

Oculi in anteriore parte capitis locum habent pone rictum oris, parui, clari, iride ſubbrunnea. Colli latera capiti concoloria, antica pars maculam ferrugineam ſcutiformem habet verſus pectus latiorem, infra quam vt etiam ad latera pectoris et in dorſo colli ducuntur lineae longitudinales nigricantes **) albaeque alternantes, ſingula penna nigricante marginibus albis. Reliquum pectoris et abdomen alba, excepta faſcia nigra ad anum. Dorſum et alae fuſceſcentes maculis multis minutis albis paſſim notantur, ***) praeſertim antica parte dorſi, vbi maculae minores, et poſtica, vbi maiores, medio minus maculato. Tectrices alarum maximae, ſ. remigibus propiores, maculas habent magis productas in lineam marginalem vtrinque. Remiges 10 primariae reliquis obſcuriores, immaculatae, rachin habent ſupra nigram, infra albam. Alae, ſubtus albae, breues, in poſtica corporis parte locum habent, extra caudam tamen prominentes. Cauda breuis, vix 2 pollices longitudine, maculata, vt dorſum, rectrices circiter 12 habet fuſceſcentes, quarum intermediae apice albo. Pedes longi, lati, compreſſi, (etiam in tibia,) extus nigricantes, intus albicantes, membrana digitorum etiam ſupra albicante, infra nigricante, ad anum ſiti et retro protracti inceſſui minus, ſed natatui optime inſeruiunt; tetradactyli ſunt palmatique, digito poſtico proprium tamen lobum habente, vnguibus longis canaliculatis nigricantibus praediti. Mas et foemina ſunt concolores et aequales: pulli vero carent ma-

*) In exemplari Noruegico hae deerant.

**) In exemplari Noruegico nigricanti-virides nitidae.

***) Re vera penna ſingula fuſceſcens, medio magis palleſcens, maculas ad apicem duas habet albas; non vero omnes pennae maculatae.

maculis albis et ſcutiformi ferruginea *); nuper nati lanuginem habent cineraſcentem.

HABITAT praeſertim in aquis dulcibus, rarius in mari. Auis migrans aggreditur ſub fine Aprilis vel initio Maii; auſtraliora petit menſibus Septembri et Octobri, plerumque exſpectans niuem primam durantem montium et glaciem aquarum.

VICTVS eius praecipuus ſunt ſalmo carpio et gaſteroſteus aculeatus, cancer ſtagnalis, nec non alii piſciculi aquarum, cancrique macrouri ad littora maris.

MONOGAMVS nidificat in gramine littoris lacuum, praeſertim inſulis minutis praeditorum, quae potiſſimum eliguntur, ut ſeorſim tutoque viuat. Nidus ejus ſtrato muſcorum graminumque tantum conſtat, eſtque aquae contiguus, vt auis claudicans facilius aſcendere queat. Menſe Iunio oua ponit duo gallinarum longiora magisque coarctata, cineraſcentia maculis raris nigris. Non vnus lacus capit duos Colymbos.

Egregie natat, vrinatur volatque; licetque alis brevibus preditus alta tamen petit, ſub volatu plerumque vociferans. Viſu optimo praeditum eſſe oportet, dum de alto nidum ſuum agnoſcere poteſt, caſuque obliquo mira velocitate ſe demittere ſolet. Rariſſime in arido conſpicitur, et tunc corpore erecto.

VSVS eius idem ac Vriae, Sp. 60.

CAPITVR etiam iaculis, vt illa. Pulli lapidantur.

62. COLYM-

*) Hinc differentia deſcriptionum pro varia aetate auis, iam perfectum colorem, iam ſcutiformem non vero dorſales maculas, iam neutras habentis.

62. COLYMBVS GLACIALIS.

Colymbus pedibus palmatis, capite colloque nigro-vireſcentibus, faſcia gulae ceruicisque interrupta ex albo nigroque lineata.

Colymbus glacialis, Syſt. nat. I, 221. Müll. prodr. 155.
Colymbus torquatus, Brün. 134.
Tudlik, Gl. 99.
Tuglek, Cr. 110.
Havhymber, Act. Nidr. III, 125. Bom. IV, 73, 4.
Himbryne, Ol. 556. tab. XL.
Imber, Leem, 269.

GROENLAND. *Tudlik.*

DESCRIPTIO data Brün. et Act. nidr. ll. cc. optime conuenit. Pulli maculas albas minime habent. *) Mas et foemina ſimiles.

HABITAT tam in mari quam in aquis: vere autumnoque in mari degit vrinandi, aeſtate vero in aquis generandi cauſa. Migrat, vt antecedens.

VICTVS eius ſalmo carpio et arcticus, ammodytes Tobianus, et alii piſces mediocres.

NIDIFICAT in lacubus maioribus remotioribusque more praecedentis. Oua duo maiora, et, vt volunt Groenlandi, fuſceſcentia ponit.

Optimus vrinator, raro, tunc vero alte, volat. Perſecutores videns ſe ſubmergendo, non deuolando, ſaluare conatur. Pullos habens hoſtem non fugit, ſed roſtro ſatis timendo valde infeſtat.

VSVS

*) Haec regula, vt videtur, valet in genere de omnibus Colymbis, praeſertim palmatis.

VSVS eius idem ac Alcae impennis.

CAPITVR etiam vt illa.

63. LARVS TRIDACTYLVS.

Larus albus dorso cano, extremitatibus remigum nigris, pedibus tridactylis.

Larus Riſſa, Syſt nat. I, 224. Müll. prodr. 160. Brün. 140. vetus.
Larus tridactylus, Syſt. nat. I, 224. Faun. Suec. 157. Müll. prodr. 161. pullus.
Tatteræt, Cr. 115. Gl. 104.
Krykkie, Act. Nidr. III, 119. Ström, I, 241. Bom. IV, 521. Pont. II, 135.
Rytsa, Skegla, Ritur, Ol. 356, 572, tab. XXIII. (vetus,) et XXIV. (pullus.)
Skjerro, Leem, 284.
Rutiegef, Adel. 361. tab. XIV, f. 6.

GROENLAND. *Tattarak.*

DESCRIPT. Hic facile minimus inter laros Act. Nidr. et Brün. l c. bene ſatis deſcriptus eſt, ſi matura aetate conſideratur; deſidero tamen oculorum iridem nigram, orbitam oculorum rictumque oris croceos, quos in exemplaribus meis obſeruaui. *) Deſcriptio pulli in Act. Nidr. nimium breuis, quam meliorem dedit Ol. l. c. cuius etiam figurae optimae: deſideratur tamen macula lunaris nigra ad oculos in figura pulli; torques etiam niger antice interruptus eſt. licet aliud oſtendat figura. Color maris et foeminae in hac ſpecie, vt in ceteris laris, idem. Quod autem

*) In deſcriptione Brün. quidem legitur, remigem extimam margine interiori toto nigro, ſed ſine dubio vult exteriori quod etiam veritati congruum obſeruatum eſt Act. Nidr.

tem Larus riſſa auctorum vetus, et tridactylus iunior ſit, certo certius conuictus ſum, eoque facilius ab Ornithologis aſſumi poteſt, ſcientibus, pullo- Larorum ſemper parentibus ſuis variegatiores obſcurioresue eſſe.

HABITAT in mari groenlandico vbique. Aeſtate tantum ad oras conſpicitur; inter aues migrantes igitur numerandus, dum, ſalmonem arcticum quaſi ſequens, vere aggreditur, hiberno tempore vero oras relinquit, vt videtur, altum mare petens.

VICTVS eius praecipuus eſt Salmo arcticus, nec non ammodytes Tobianus et alii piſciculi, Clioque retuſa, quos more Larorum de alto ſe mittendo in ſuperficie maris petit. Frequentiſſimus balaenarum et phocarum ſocius piſcandi gratia, dum illae piſces de profundo pellunt, hic ſupra exſpectans illos apprehendit.

MONOGAMVS, vt Lari omnes, nidificat in rupibus praeruptis ſinuum maiorum, quae loca inde nomen proprium ſuum acceperunt. Nidum ſuum absque arte in gramine ſtruit, ibique oua 2 vel 3 ponit magnitudine Vriae grylle, colore cineraſenti-viridi maculis fuſcis, menſe Iunio.

Vociferatio eius, praeſertim gregatim circa nidum ſuum vibrantis, intolerabilis. Alis ſuis longis, vt Lari reliqui, lente continuoque circumuolat, raro quieſcens, tam mari natare valens, quam terra, lubentius autem glaciei fragmentis. Voce ſua animalia marina emerſura portendit.

VSVS. Caro et oua eduntur; pellis, praeſertim in locis borealibus, in veſtimenta adhibetur.

CAPITVR laqueis ex laminis corneis balaenarum conſtructis, et in ſuperficie maris iuxta glaciei fragmenta maiora, ſalmone arctico plerumque pro illecebra habito.

64. LARVS GLAVCVS.

Larus albus, dorso et alis canis, remigum extremitatibus albis.

Larus glaucus, Müll. prodr. 169. Brün. 148.
Burgermeister, Cr. 114. Adel. 362. 415. tab. XIII, f. 7.
Naya, Gl. 105.
Maar, *Maafur*, Ol. 356. 572. 709.
Blaamaage, *Store Hvidmaage*, Bom. V, 189.
Dalvek, Leem, 282.

GROENLAND. *Naya*, *Nayavek*, *Nayainak*, *Pukteralik*.

DESCRIPTIO satis sufficiens data est apud Brün. l. c. Pedes pallide fulvescunt. Remiges basi sunt tectricibus dorsoque concolores, apicem versus vero albae, vt rectrices et reliquum corpus. Est itaque Laro cano similis, exceptis huius apicibus remigum nigris, sed multo maior et laro marino non multum cedens. Pulli primo anno multum differunt a veteribus: toto corpore sordide fulvescunt maculati, quae maculae sequentibus annis magis magisque pereunt, et in dorso alisque cum colore cano transmutantur, donec perfectum colorem accipiant, vt recte obseruatum apud Ol. ll. cc. — Carent etiam iuniore aetate macula crocea rostri, tunc pedibus concoloris. Nulla datur differentia maris a foemina.

HABITAT vbique ad oras et in sinubus, Larorum omnium vulgatissimus tam hieme quam aestate.

VICTVS eius sunt pisces omnes mediocres, inter illos Cottus scorpius, et Cyclopterus lumpus, quos vel more Lari tridactyli, vel in littoribus petit; nec baccas empetri nigri contemnit.

NIDI-

NIDIFICAT in locis praeruptis maritimis, inter gramina oua 3 ponens, quae magnitudine anatis domeſticae ſuperant, pallida maculis multis fuſcis, menſe Maio.

Continuo fere volat, raro quieſcens tam mari ſaepius ſolitarius, quam rupibus ſaepe gregatim. Vociferatur fere vt gallopauo.

VSVS idem ac Lari tridactyli. Caro pullorum carni gallinarum non multum cedit bonitate; hinc a Danis lubenter editur.

CAPITVR vel laqueis, vt Larus tridactylus, cotto ſcorpio pro illecebra adhibito; vel hamo cum linea de littoribus proiecto, qui lardo pro illecebra conditur; vel lardi fruſto in mare proiecto, cui fragmentum ligni acuminatum transuerſe inſeritur, quo hauſto ſuffocatur; vel rarius iaculis icitur dormiens ſuper mari.

Obſ. Larus argentatus Brün. 149 ob. apices remigum nigros minime eſſe poteſt pullus glauci, vt ſubſumitur a Leem. et Müll. ll. cc.

65. LARVS CINERARIVS. †

Larus albus dorſo cano, macula pone oculos fuſca.

Larus cinerarius, Syſt. nat. I, 224.

GROENLAND. *Kejukingoak.*

Sub hoc nomine Groenlandi mihi auem deſcripſerunt, in Groenlandia rariorem, quam ipſe volitantem ſemel tantum vidi, et ob maculam temporum pro laro citato habui, ceterum determinare non valens, vtrum varietas, an diſtincta ſpecies.

66. LARVS MARINVS.

Larus albus, dorso nigro.

Larus marinus, Syst. nat. I, 225. Faun. Suec. 155. Müll. prodr. 163. Brün. 145.
Svartbag, Cr. 114 Gl. 104 Bom. V, 190. Deb. 130. Pont. II, 194. Ström, I, 247.
Larus varius, Brün. Orn. 150. pullus.
Svartbakur, Ol. 226. 571. tab. XII. (vetus;) tab. XIV (pullus.)
Gairo, Leem, 282.
Mas, It. Gothl 214.
Larus maximus, It. wgoth. 156.

GROENL. *Nayardluk. Nayardlurksoak.*

DESCRIPTIONEM huius, facile maximi congenerum, bonam dedit Brün. ll cc. tam veteris, sub titulo Larus marinus, quam pulli, sub titulo Larus varius. Palpebrae veterum croceae nudae. Pullorum pedes rostro obscuriores; nec rostrum maculam croceam habet, nisi matura aetate.

HABITAT praesertim ad insulas remotiores; pulli tamen etiam inter alios laros conspiciuntur in sinubus. Est glauco minus frequens.

VICTVS eius pisces mediocres, interdum etiam maiores. Super tumulos de excrementis auium ortos oua 3, quae glauci paulo maiora sunt et obscuriora, ponit mense Maio, nidum simplicissimum in gramine habens.

Vociferatur fere vt anser, tarde volitans, non facile continenti insidens. Alias aues, praesertim anatem mollissimam, etiam infestare dicitur.

VSVS idem ac glauci.

CAPITVR vt ille, praesertim primo ac tertio modo.

67. LARVS

67. LARVS CANDIDVS. *

Larus totus niueus, roſtro pedibusque nigris.

Larus candidus, Müll. prodr. p. VIII.
Najauarſuk, Gl. 106. 110.
Ratsher, Adel. 359. 415. tab. XIII, f. 4.
Valdmaaſe, Leem, 285.

GROENLAND. *Nayauarſuk.*

DESCRIPT. Larus hic, tridactylo paulo maior, inter minores numerandus, toto corpore albedine columbina ſplendet, nulla omnino canitie mixta; ſoli pedes oculique nigri. Roſtrum ex vireſcenti nigricat, apice palleſcente. Igitur pulcherrimus. Pedes tetradactyli ſunt, digito poſtico mediocri, licet ab Adel. l. c. aliter indicetur. Pulli maculati ſunt maculis oblongis nigris, praeſertim in dorſo alisque; roſtrum illorum etiam nigricat.

HABITAT in alto mari, rariſſime, et quidem frigore inſtante, terram appropinquans, et tunc admodum incautus, vt facile occidatur, ſuper lardum eiectum quieſcens. Videtur Spitzbergae et aliis borealiſſimis propria auis: hinc de ouis, nido, victu et moribus minus conſtat.

VSVS etiam vilis, dum raro capitur.

68. CATHARACTA PARASITICA.

Catharacta rectricibus duabus intermediis longiſſimis.

Larus paraſiticus, Syſt. nat. I, 226. Faun. Suec. 156. Müll. prodr. 166.
Catharacta paraſitica, Brün. Orn. 127. vetus.
Coprotheres, ib. 128. pullus.
Io-Dieb, Cr. 115.
Tyvjoen, Gl. 106. Act. Nidr. III, 103.
Struntjæger, Adel. 364. T. XIII. f. 5.

Kloven, Ol. 573.
Truen, Deb. 131.
Kive, Ström, I, 239. pullus.
Io-fugl, Pont. II, 133.
Haskel, Leem, 289. vetus.
Skaite, ib. 239. pullus.
Elof, It. wgoth. 182.
Jobon, Bom IV, 110.

GROENLAND. *Iſingak, Meriarſairſok.*

DESCRIPTA eſt bene ſatis Act. Nidr. l. c. ſed erratur ibi, et apud plures auctores, dum pullos pro foeminis habent. Ipſe in propinquitate habitaculi mei groenlandici multoties par vidi nidum ſuum ſeruans, quod igitur mas erat et foemina, in quibus tandem captis nullam differentiam obſeruare potui a deſcriptione data Brün. 127, niſi quod color nigricans dorſi ad latera colli quaſi collari, non tamen antice, clauſo, prolongatus ſit. Collare hoc amplius, vt etiam pileus capitis, in foemina ac mare, quae differentia forſitan non in omnibus indiuiduis locum habet: deinde pullos illorum accepi viuos lanugine griſea veſtitos, quos diu alui, ita vt apud me pennas acceperint omnino coloris indicati a Brün. 128. exceptis pectore abdomineque, quae in vtroque cinerascentia, et capite cum dorſo colli, quae in altero fulueſcentia Sic certe ſatis conuictus ſum de veritate ſententiae meae ſupra indicatae.

HABITAT vndique tam alto mari, quam ſinubus.

VICTVS eius praecipuus eſt aliarum auium (non excrementum, vt putant nonnulli, ſed) rapina euomita, quam ſub caſu roſtro prehendit. Hinc continuo alias aues perſequitur, praeſertim laros tridactylos, glaucos iuniores, et colymbos ſeptentrionales, illas euomere cogens. Non tamen ipſa piſces minores in ſuperficie maris quaeſitu omnimo inepta eſt.

NIDIFI-

NIDIFICAT in tumulis paludum, vbi nidum sine arte format ex graminibus muscisque. Oua 2 ponit mense Iunio, quae magnitudine gallinae, cinerea maculis nigris.

Raro natat, tarde volitat, nisi in persequendo alias aues, tum illis velocior. Super aquam dormit.

VSVS idem ac lari tridactyli; sed raro *capitur*, et quidem iaculis, dum in aqua dormit.

69. STERNA HIRVNDO.

Sterna cauda forficata, rectricibus duabus extimis albo nigroque dimidiatis.

Sterna Hirundo, Syst. nat. I, 227. Faun. Suec. 158. Müll. prodr. 170. Brün. Orn. 151.
Tærn, Cr. 116.
Therna, Kriia, Ol. 227. 575.
Kirmeve, Adel. 366. tab. XIV, fig. 5.
Tenne, Ström, 25[illegible]. Bom. VIII, 56.
Sandtal, Pont. III, 152.
Zhjerrek, Leem, 288.
Sterna, Ionst. av. 130. tab. XLVI.

GROENL. *Imerkoteilak.*

DESCRIPTIO huius datur Faun. Suec. l. c. et apud Ol. Loco posteriore legitur de differentia pullorum a parentibus, quae ponitur praesertim in fronte alba, ventre minus albo et rectricibus extimis minus longis. Secundum hanc obseruationem, quam ipse faciendi occasionem non habui, Sterna Paradisaea Brün. 152. esset vetus, Hirundo 151. vero pullus.

HABITAT passim ad insulas remotiores in quibusdam locis numerosa, e. gr. ad insulas freti *Disco*, in aliis rarissima; et quidem aestate tantum conspicitur.

VICTVS eius piſcuculi et inſecta marina minora, quos more larorum petit, ſub caſu tamen alas ſuas praelongas arctius ſupra dorſum coniungit, articulo humeri mire flexili.

NIDVM ſuum ſine arte habet in inſulis humilioribus muſcoſis, vbi oua plerumque duo ponit, magnitudine columbinorum, ſubfulua maculis multis nigris, menſe Iunio.

AVIS ſociabilis, audax, ſe progeniemque animoſe tam voce quam vi defendens contra hoſtes, ne quidem homines timens.

VSVS eius idem ac lari tridactyli. Cutis rubra pedum etiam adhibetur vt vriae grylle. Oua eius optima.

CAPITVR vt larus tridactylus.

70. ARDEA CINEREA †.

Ardea occipite nigro laeui, dorſo coeruleſcente; ſubtus albida; pectus maculis oblongis nigris.

Ardea cinerea, Syſt. nat. I, 236. Faun. Suec. 165. Müll. prodr. 176. Brün. Orn. 156. Ionſt. av. 151. tab. 50.
Reiger, Cr. Cont. 214. 284.
Hejre, Ström, I, 395. Pont. II, 125.
Hegre, Ol. 356.
Guorga, Leem, 242.

Hanc loco auſtrali Groenlandiae viſam eſſe perhibetur Cr. l. c., de qua alias nil omnino audiui; nec nomen eius groenlandicum, ſi datur, mihi notum.

71. SCOLOPAX GALLINAGO.

Scolopax roſtro recto tuberculato, pedibus fuſcis, frontis lineis fuſcis quaternis.

Scolopax

Scolopax gallinago, Syſt. nat. I, 244. Faun. Suec. 173. Müll. prodr. 182. Brün. orn. 160-162.
Myrſnippe, Ström, I, 241. Bom. V, 512.
Hroſſagökr, *Myraſkitr*, Ol. 579.
Mækkaſtak, Leem, 249.

GROENL. *Siguktok.*

72. SCOLOPAX IARDREKA.

Scolopax roſtro recto laeui, pedibus plumbeis; remigibus linea obliqua, vropygioque albo; rectricibus macula nigra.

Scolopax Jardreka, Müll. prodr. 190.
Jardreka, Ol. 984. Tab. XLVIII.

GROENL. *Sargvarſurkſoak.*

Harum duarum ſpecierum exemplar vnicum tantum vidi. Inter rariſſimas Groenlandiae aues numerandae ſunt, de quarum oeconomia non conſtat.

73. TRINGA STRIATA.

Tringa roſtri baſi pedibusque flauis, rectricibus albis fuſco-faſciatis, remigibus plurimis albis.

Tringa ſtriata, Syſt. nat. I, 248. Müll. prodr. 194.
Tringa maritima, Brün. Orn. 182.
Sneppe, Eg. 55. Gl. III.
Scnepfen, Cr. 103. Adel. 357. tab. XIII. fig. 2.
Fiærepiſt, Ström, I, 225. Act. Nidr. III, 440. tab. VII. Bom. II, 316.
Fiærkurv, Pont. II, 118.
Gaddevierrush, Leem, 253.
Selningur, Ol. 580.

GROENL. *Sarbarſuk* v. *Sargvarſuk*, *Sirkſariarſungoak.*

DESCRI-

DESCRIPTIO huius exacte satis data est Act. Nidr. et Brün. ll cc. Praeterea obseruandum tamen, quod differant tam anni tempore, dum aestate tectrices alarum superiores obscuriores sine margine alba, dorsum vropygiumque vero pallidiora, pectus abdomenque albiora, quam aetate, et pulli lucidiores magisque striati parentibus. Pediculis laborat.

HABITAT magna copia vndique ad littora et scopulos maris, praesertim autem tempore brumali, dum aestate interiora sinuum generandi gratia, et hieme insulas scopulosque remotiores victus gratia, petit.

VICTVM eius praecipuum dant nerita littoralis et onisci pulex, cum suis congeneribus, nec non alia testacea minora, vermiculique marini; imo interdum fuci minuti. Haec omnia in littoribus maris petit aestu instante, tunc voraciſſima, sub fluxu maris quippe cibo vndis tecto carens.

NIDIFICAT in campo iuxta littora maris vel lacuum, sine vlla arte radices molles graminum minorum tantum conuoluens, ibique sub fine Maii vel initio Iunii oua 4-6 ponit, sturni paulo maiora, pallida maculis obscuris, altera extremitate attenuata.

Alis suis longis acuminatis velociter volitat iuxta superficiem maris volatu hirundinis rusticae, cuius vocem etiam habet. Ocyſſime currit, sed rariſſime et difficulter iuxta littora natat. Contra vndas fluctuantes callide se conseruare, et simul escam quaerere intelligit accurrendo et recurrendo. Ceterum admodum incauta.

VSVS eius vilis ob paruitatem: editur tamen caro eius (certe sapidiſſima) cum aliis auibus marinis; et plumulis eius inter alias puluilli farciuntur.

CAPITVR vel laqueis, ad bacillum in littoribus situm aptatis, vel lapidatur a pueris; raro a veteribus petitur.

74. TRIN-

74. TRINGA INTERPRES. †

Tringa pedibus rubris, corpore nigro albo ferrugineoque vario, pectore abdomineque albo.

Tringa interpres, Syſt. nat. I, 248. Faun. Suec. 178. Müll. prodr. 193. Brün. Orn. 175.
Kutterutte, Act. Nidr. III, 574.
Vejdetite, Bom. VIII, 388.
Tolk, It. Gothl. 217.

Hanc eſſe puto Groenlandorum *Telligvak*, quam non vidi; ſed dicitur magnitudine Alcae Alle, pedibus rubris et ventre albo, facie et more Tringarum, habitare ad aquas.

75. TRINGA LOBATA.

Tringa roſtro ſubulato apice inflexo, pedibus pinnatis, pectore albo ferrugineoque vndulato.

Tringa lobata, Syſt. nat. I, 249. Faun. Suec. 179. Müll. prodr. 195. (foemina;) Brün. Orn. 171. (pullus.)
Tringa hyberborea, Syſt. nat. I, 249. Faun. Suec. 179. Deſcr. vlt. — Müll. prodr. 196. (mas.)
Seeſchnepfe, Cr. 113.
Fiſklita, Act. Nidr. III, 575. Bom. II, 407.
Nordveſt-fugl, Bom. V, 599.
Nuorte-Lodde, v. *Bieggush*, Leem, 290.

GROENL. *Nelloumirſortok*, et ſaepiſſime deminutiue *Nelloumirſortungoak*.

DESCR. Sine dubio minima inter aues marinas, longitudinem habet 7 vnciarum, et $1\frac{1}{2}$ vnc. latitudinem. Roſtrum oculique nigri. Nares oblongae patulae. Caput paruum compreſſum, plumoſum, vertice rotundatum. Pedes tetradactyli, lobati, ſuperne plumbei, inferne nigri. *Mas*,

Mas. Vertex capitis niger, fronte vix alba. Sub oculis linea nigra; supra vero macula minuta alba. Caput infra album. Tempora ornat linea ferruginea se coniungens cum colore colli, qui supra infraque ferrugineus vix nigro mixtus. Pectus medio album lateribus nigris mixtum. Reliquum corporis subtus album. Dorsum nigrum marginibus plumarum ferrugineis. Alae clausae caudae aequales, maxima parte nigrae. Remiges omnes rachin albam habent, 5 priores nigrae, 5 sequentes basi apiceque albae, albedine hac in secundariis magis amplificata continuante, ita vt 2 intimae fere totae albae sint. Post illas sequitur alula, pennis 3 vel 4 longioribus nigris apice albis constans. Tectrices secundariis proximae apicibus gaudent albis, (hinc in ala complicata lineola alba transuersa,) reliquum, vt ceterae, nigrae. Subtus alae cinereae ad humeros albo nigroque granulatae. Rectrices 12, mediae parum longiores nigrae, duabus extremis margine extimo et apice, reliquis apice tantum albis, duabus intermediis vix notatis. Vropygium nigrum, lateribus albis granulatum. Podex albus; sed pennae quaedam longiores sub cauda, vt etiam latera corporis, albo nigroque maculatae.

Foemina differt a mare praesertim vertice minus saturate nigro, fronte nigro alboque mixta, temporibus lineam (non ferrugineam, sed) albam habentibus. Collo supra nigro marginibus plumarum intimis pallide brunneis, infra (et suprema parte pectoris) lineis albis, cinereis et pallide brunneis transuersis vndato; reliquo pectoris, vt abdomine, albo.

Pulli fronte, lateribus capitis, collo infra, pectore, abdomineque in totum albis, et collo supra nigro, sine notabili mixtura, a parentibus differunt.

HABITAT aestate in lacubus maioribus, praesertim plagae glaciali contiguis: vere autumnoque vero mari, etiam

etiam alto, conſpicitur, ſub migrando vel aduenienſ menſe Aprili, vel digrediens menſe Septembri, hieme nunquam viſus.

VICTVS ſunt vermes et inſecta minora in ſuperficie maris vel lacuum occurrentia.

NIDIFICAT littoribus lacuum. Oua eius non vidi.

Lente natare valet, non autem vrinari. Quieſcens ſuper aquam continuo fere roſtrum ſuum in aqua motitat, et vocem ſuam hirundininam etiam ſub volatu veloci edere ſolet. Satis incauta.

VSVS. Caro editur. Pellis ob mollitiem ad abſtergendum oculos a lippis adhibetur.

CAPITVR iaculis ſuper mare quieſcens.

76. TRINGA FVLICARIA. †

Tringa pedibus pinnatis, roſtro recto flauo, corpore griſeo, ſubtus rufo.

Tringa fulicaria, Syſt. nat. I, 249. Brün. Orn. 172.

Hanc auem ab Brünnichio inter groenlandicas numeratam, licet a me non viſam, praeterire non fas eſt. Forſitan Groenlandorum *Kajok*, (Gl. 109.) quod nomen deſignat auem brunneam, quam inter Tringas numerant.

A Linnaeo, ſequente Müllero, minus recte ſub Hyperborea, Tringa haec Brünnichii, vt ſynonomon citatur.

77. TRINGA ALPINA. †

Tringa teſtaceo-fuſca pectore nigricante, rectricibus cinereo-albis, pedibus fuſceſcentibus.

Tringa alpina, Syſt. nat. I, 249. Faun. Suec. 181. Müll. prodr. 197. Brün. Orn. 173.

Loarth-

Loarthræll, Ol. 581. tab. XLI. Müll. prodr. 208.

Sine dubio eſt illa Tringa, quam Groenlandi ſub nomine *Tojuk* (Gl. 91.) deſcribunt dorſum habere caneſcens, abdomen vero et torquem colli alba. Raro occurrit.

78. CHARADRIVS HIATICVLA.

Charadrius pectore nigro, fronte nigricante faſciola alba, vertice fuſco, pedibus luteis.

Charadrius Hiaticula, Syſt. nat. I, 253. Faun. Suec. 187. Müll. prodr. 209. Brün. Orn. 184. Ionſt. av. 166. tab. 53.
Strandpiper, Act. Nidr. III, 575.
Sandvrifter, *Praeſtekrave*, Bom. VII, 111.
Sandloe, Ol. 581.
Pago, Leem, 254.

GROENL. *Tukagvajok.*

DESCR. Caput vertice latius planiuſculum, fronte tumidum, lateribus compreſſiuſculum, infra arctius. Oculi magni iride brunnea. Frons alba ſuperius faſcia nigra; praeterea baſin roſtri cingit linea nigra, ad lateracapitis, ſub oculis et trans aures prolongata, poſtice tamen magis fuſceſcens; ſupra oculos etiam linea alba, et infra macula minuta alba. Macula nigra ſterni cingit etiam colli latera in dorſo coiens. Remiges fuſcae maculis duabus longis albis, quarum altera in 4 primoribus rachin tantum occupat, et apice albido; ſecundariae maculas ampliores et conjunctas habent, ita vt intima tota fere alba euadat. Praeter alulam poſticam dorſo concolorem pennae vel 7 longiores humerales dantur, quarum 3 extimae albo marginatae. Tectrices remigibus contiguae 5 priores nigrae, 3 ſequentes macula parua marginali alba, dein 2 fuſcae, reliquae cinereo-fuſcae apicibus albis. Alae complicatae cauda parum breuiores. Rectrices 12: quarum 11 albae; (in quibusdam

busdam macula nigra;) 2. 2 etiam albae macula lata transverſa nigra rachin tamen et marginem extremam non occupante; (in aliis macula haec latere latiori tantum conſpicitur;) 3. 3 maculam habent nigram, rachin non vero marginem occupantem; 4-5. 5-4 baſi fuſcae, exterius nigrae, apice albo; 6. 6 reliquis longiores acutioresque, ſine apice albo. Ceterum caput, dorſum, alae ſupra et vropygium cinereo-fuſca; gula, collare, pectus, abdomen et alae infra alba. Pedes flauicant, tridactyli, vnguibus nigris. Digitus intermedius extimusque baſi membrana minuta iuncti.

Differt mas a foemina colore magis cineraſcente, fronte magis alba, et pennis albis hinc inde inter tectrices alarum ſuperiores. — Eſt etiam illa maior.

Pulli magis fuſci, vbi veteres nigri.

Pediculis laborat.

HABITAT ad ripas et praeſertim locis humilioribus, de fluxu maris humidis. Inter aues Groenlandiae minus raras numeranda; migrat tamen tempore brumali auſtraliora petens, vernali regrediens.

VICTVS ſunt gordii et lumbrici varii, cum aliis vermiculis locorum humidorum.

NIDIFICAT maxime in inſulis ſolitariis, et aliis locis mari contiguis, fere eodem modo ac Tringa ſtriata; oua eius tamen longiora et magis attenuata altera extremitate.

Curſitat ocyſſime; ſub volatu continuo vociferatur: *Pyut.*

Auis eſt ſolitaria non facile vno loco pari plures conſpicere contingit. Natare non valet, ſed volitare optime. Admodum cauta. Interdiu inſulas, veſperi ſinus minores petit.

VSVS et captura eadem ac Tringae ſtriatae.

79. CHARADRIVS APRICARIVS.

Charadrius pectore abdomineque nigris, corpore fuſco albo luteoque punctato, pedibus cinereis.

Charadrius apricarius, Syſt. nat. I, 254. Faun. Suec. 189. Müll. prodr. 212. Brün. 186.
Kakerloe, Act. Nidr. III. 575. Bom. I, 457.
Hejloe, Ström, I, 234. Pont. II, 126.
Lo, Ol. 580.
Ackervogel, Martini Naturlex. I, 257. c. fig.
Bizhiutzh, Leem, 247.
Alwargrim, It. Oel. 72.

GROENL. *Kajorrovek, Kajordlek.*

DESCR. Magnitudo Tringae vanelli. Statura Hiaticulae. Oculi magni iride brunnea; palpebrae nigrae. Tempora obſcura. Reliqua conueniunt cum Faun. Suec. l. c.

Mas differt temporibus nigris, quae nigredo cum nigredine colli inferioris coniungitur.

Datur huius varietas pectore albo, linea tantum media longitudinali nigra.

HABITAT in tractibus auſtralioribus ad lacus; vt praecedens migrat, ſed minus frequens.

VESCITVR vermiculis aquarum, etiam baccis empetri nigri.

Quoad reliqua momenta cum Hiaticula fere convenit.

80. TETRAO LAGOPVS.

Tetra opedibus lanatis, remigibus albis, rectricibus nigris apice albis, intermediis albis.

Tetrao lagopus, Syſt. nat. I, 274. Faun. Suec. 203. Müll. prodr. 223. Brün. Orn. 198, 9. Ionſt. av. 68. tab. XXVIII. *Rype*,

Rype, Eg. 35. Cr. 101. Gl. 91. Ström, I, 249. Pont. II, 149. c. fig. Bom. VI, 613. And. 37. 164. Horr. 168.
Riupa, Ol. 581.
Rieuſak, v. *Giron*, Leem, 242.
Schneehuhn, Mart. V, 101. Tab. CXI. CXII.
Schneehuhn von Hudſons Bay, id. 115. Tab. CXIII. mas tempore aeſtiuo.
Weiſe Rebhuhn, El. Hudſ. 36. Tab. 2.

GROENL. *Akeikſek*, *Kauio*.

DESCR. Haec auis, terris borealibus ſatis nota, hactenus tamen ob varietates coloris minus accurate deſcripta eſt. Magnitudo Lagopodis groenlandicae columbam parum ſuperat. Roſtrum breue, nigrum, glaberrimum. Lingua roſtro breuior, lata, ſubconica, bifida, ſupra canaliculata. Nares ouatae, membrana conuexa ſemiclauſae et plumulis tectae. Oculi magni nigri, ſupra oculos macula oblonga rubra nuda, margine ſuprema diſtante ſerrata, forma criſtae galli. Criſta haec vtrique ſexui communis, ſed mari maior, et quidem tempore pruritus maxima. Pedes pentadactyli etiam ſubtus plumulis laneis tecti. Vngues longi curui, obtuſi, fuſcescentes, ſubtus canaliculati. Pennae corporis duplicatae. Caro eius rubra vix pingueſcit. Variant colore mas et foemina, hieme et aeſtate.

HIEME:

Mas toto corpore albus, exceptis his: linea nigra latiuſcula de naribus trans oculos. Remiges 4 primores rachin habent nigram. Rectrices 14 nigrae apicibus albis; praeter has 4 intermediae ſpuriae, ceteris incumbentes et cum tectricibus illas tegentes, albae.

Foemina minor, praeter criſtam minorem, differt defectu lineae nigrae ad oculos, cuius rudimenta tantum conſpiciuntur.

AESTATE:

Mas dorſum et vropygium habet nigro cineraſcentique vndulata; maculae tamen maiores nigrae hinc inde ſparſae. Pectus dorſo obſcurius, ſed collum adhuc obſcurius vndulis cineraſcentibus ibi rarioribus. Vertex et propinquitas capitis nigri vndulis cinereo-fuluis, ad baſin vero roſtri et rictum oris plumae nigrae marginibus albis. Palpebrae albae. Latera capitis ſub oculis et ſuper aures vt etiam gulam tegunt plumae nigrae faſciis candidis. Tectrices alarum verſus dorſum illi concolores, remigibus contiguae tamen apicibus albis, ſed verſus inferiora, dimidiata fere ala, et humerales, albae. Alae ſubtus, remiges, abdomen et femora etiam alba. Rectrices 14 nigrae apice albo, vt hieme; ſed intermediae cum tectricibus nigricantes punctis minutis cinereis. Pedes tunc non plumatae, ſed principia accreſcentium hiemalium plumarum tantum conſpiciuntur.

Foemina mare multo obſcurior, vndulis cineraſcentibus dorſi magis diſtantibus et fulueſcentibus, vt in vertice capitis maſculi: penna autem ſingula marginem finalem albam habet, quaedam etiam totae nigrae marginibus albis; ſic etiam notatae ſunt tectrices caudae ſuperiores inferioresque. Tectrices alarum faſcias maiores albas habent. Pectus infra et abdomen nigro alboque faſciata; pedum tamen interſtitia alba manent. Femora cineraſcunt faſciis nigris. Vertex capitis fere niger faſciis fulueſcentibus rariſſimis. In reliquis cum mare conuenit.

Difficillimum tamen eſt, exemplar aeſtiuum perfectum accipere: vix enim ſub fine Iulii vel initio Auguſti colore mutato, pennae hiemales accreſcere incipiunt; foemina tamen prius, ſc. menſibus Maio et Iunio, veſtem ſuam aeſtiuam induit.

Pulli prima aeſtate parentibus aeſtiuis ſimiles ſunt; ſed hieme vt illi albeſcunt.

HABI-

HABITAT vbique inter montes numerosa satis; hieme gregatim mari propius accedit.

VICTVS eius baccae et folia empetri nigri, betula nana, etiam lichenes fruticulosi varii.

MONOGAMA, nidificat sub stratis lapideis montium inter salices vel empetra sine arte, et 6 - 10 oua glabra fuluescentia maculis confertis nigris, magnitudine et figura columbina, ponit sub initio iunii. Pulli nuper nati, gallinarum similes, matrem sequuntur. Vociferatur foemina fere vt gallina iunior, mas vero vt rana temporaria. Velociter satis volitat, et falcone persequente alta petit. In niue delectatur vt gallinae puluere; loca vmbrosa amat; quiescit lubentissime iuxta lapidem; noctu cuniculos habet sub niue, vbi dormit, mare continuo vociferante. Inter aues incautas merito numeranda. Foemina occisa a mare non facile relinquitur. Bis anno plumas mutat.

VSVS. Caro editur cruda, cocta vel subputrida; intestina etiam cruda cum lardo phocae consumuntur: praesertim sunt intestina crassiora ingluuiem sequentia (dicta *Oronit*), et alia tenuiora ano propiora (dicta *Sungarneet*), incolarum deliciae, quae statim euelluntur et cum contento illorum eduntur. Pellis etiam interdum in vestimenta adhibetur. Rectrices nigrae olim combinatae pro fasciis crinalibus foeminarum habebantur.

CAPITVR laqueis, de linea inter duos homines ambulantes extensa pendentibus et supra caput eius aptatis; interdum etiam lapidando, iamiam saepissime sclopetis occiditur.

81. EMBERIZA NIVALIS.

Emberiza remigibus albis, primoribus extrorsum nigris, rectricibus nigris, lateribus tribus albis.

Emberiza niualis, Syst. nat. I, 308. Faun. Suec.

227. tab. I. (vbi mas delineatus) Müll. prodr. 250. Brün. Orn. 245. 246.

Sneefugl, Eg. 36. Deb. 124. Ström, I, 252. Bom. VII, 403. Pont. II, 157.

Sperling, Cr. 103.

Hvidfugl, *Större end Stillitz*, And. 164.

Sneetitling, Horr. 183.

Snio-Tytlingur, Ol, 582.

Alpe, Leem, 255.

Schneevogel, Adel. 357. tab. XIII. fig. 4. Anne fringilla niualis Syſt. nat. I, 321. eadem auis?

GROENL. *Kopanauarſuk* v. *Kopanungarſuk*, mas etiam *Amauligakaudit*.

DESCR. Magnitudo et ſtatura fringillae domeſticae. Roſtrum nigrum intus flauicans. Nares rotundatae patulae. Oculi iride fuſca. Pennae dorſales omnes arcuato-acuminatae. Pedes nigri.

VARIAT SEXV.

Maris caput, collum, pectus, abdomen vropygiumque alba, baſi tamen pennis nigricantibus. Dorſum nigrum, pennis albo tenuiſſime marginatis, poſtice et ad alas etiam albo mixtum. Remiges primariae 1-4. baſi et margine extima albae, verſus apicem nigrae: in 5-7 albedo baſeos prolongatur, ita vt minus nigrae ſint; 8 et 9 apices tantum nigros habent; ſecundariae 1-6 totae albae, 7 et 8 nigrae apicibus albis, quas ſequuntur aliae longiores totae nigrae. Tectrices, quae remigibus primariis contiguae, albae apicibus nigris; ad flexuram alae infimam 3 vel 4 nigrae; ceterum alae ſupra infraque albae. Cauda bifida longiuſcula 12 habet rectrices, quarum 1-3. 3-6 albae apicibus nigris; 4. 4 nigrae, ſed baſi et longitudinaliter exteriori latere albae; 5-6. 6-5 marginibus albis: his 2 vel 4 tectrices longiores incumbunt concolores.

Foemina nigricat vbi ille niger, et ſordide albicat mixtura nigra vbi ille albus; alba tamen ſunt pectus et abdomen,

abdomen, tempora teſtacea. Caput ſupra dorſo concolor; ſic etiam tectrices alarum ſuperiores, quarum 2 ordines remigibus ſecundariis proximi apices albos habent: hinc 2 lineae albae in ala complicata. Reliqua vt in mare.

Pulli differunt a veteribus praeſertim colore teſtaceo, vbi illi albi. Margines pennarum etiam teſtaceas habent. Hi varietatem β. Faun. Suec. l. c. efficere videntur.

HABITAT vbique in montibus caluis. Migrat, menſe Aprili aduenieus, Octobri reuertens, in Americam, vt videtur, mare traiiciens.

VICTVS eius ſunt ſeminula varii generis, praeſertim autem Polygoni viuipari.

NIDIFICAT in fiſſuris rupium menſe Maio; et conſtat nidus eius 3 ſtratis, extimo gramineo, intermedio plumis, et intimo pilis vulpis Lagopodis. Oua 5 ponit non multum attenuata alba maculis fuſcis nigrisque, extremitate latiore imprimis confertis. Monogamus mas alternatim cum foemina ſua incubat, vicibus tamen breuioribus.

Egregie cantillat mas in propinquitate nidi continuo locum mutans; pullis prouenientibus deſinit. Volitat more congenerum. Curſitat ſuper terram.

VSVS eius vilis; editur tamen caro eius ſiccata.

CAPITVR a pueris, vel arcubus minoribus, vel laqueolis circa eſcam eius aptatis, praeſertim tempore brumali, dum gregatim verſus littora de montibus deuolat auſtraliora petitura.

82. FRINGILLA LAPPONICA.

Fringilla capite nigro, corpore nigro griſeoque, ſuperciliis albis, rectricibus extimis macula cuneiformi.

Fringilla lapponica, Syſt. nat. I, 317. Faun. Suec. 235. Müll. prodr. p. VIII.

Emberiza paſſerina, Pall. It. Ruſſ. I. app. p. 4. huic nimis affinis videtur, et ſine dubio eadem auis.

Kleine ſingende Vogel etc. Cr. 104.

Thufutytlingr, Ol. 582?

GROENL. *Narkſarmiutak.*

DESCR. Nares minutae, ouatae, ſemipatulae nudae. Caput tumidum plumis confertis. Oculi iride ſubbrunnea. Pedes nigricantes, vnguis poſticus longior. Cauda bifida rectrices habet duodecim. Mas optime deſcriptus a Linnaeo ll. cc. Obſeruandum tamen, quod tectrices remigibus proxime incumbentes praeter lituras ferrugineas apices albos habeant, et illas ſequentes albo, non ferrugineo marginatae ſint, hinc 2 quaſi lineae albae in ala complicata.

Foemina differt a mare, quod minus colorata ſit, ita: vertex capitis fuſceſcit marginibus pennarum pallidis; collum ſupra pallide brunneum; ſupercilia, criſſum, gula et abdomen pallida; pectus griſeum; reliquis paribus.

HABITAT minus frequens in campis ſinuum interiorum. Vt praecedens migrat, ſed ſerius adueniens, et prius reuertens.

VICTVS eius ſunt ſemina graminum et plantarum aruenſium varii generis, praeſertim autem ſalicis arenariae, myrtilloidis et herbaceae.

Menſe Iunio in aruo ad tumulos paludoſos oua 5-6 ponit, oblongiuſcula, colore fere argillae tripolitanae, obſcuriore tamen parum mixto. Nidus eius ſine arte ex gramine muſcoque confectus eſt, plumis raris in diſco. Prae ceteris egregie cantillat, non tamen terrae inſidens, ſed in aere vibrans, vt alauda.

Rariſſime capitur a pueris: hinc vſus eius fere nullus in oeconomia groenlandica.

83. FRIN-

83. FRINGILLA LINARIA.

Fringilla remigibus, rectricibusque fuscis margine obsolete pallido, litura alarum albida.

Fringilla linaria, Syst. nat. I, 322. Faun. Suec. 241. Müll. prodr. 262. Brün. Orn. p. 70.
Irisk, Eg. 36. Cr. 104. Pont. II, 133.
Liden Irisk, Bom. IV, 191.
Audnatytlingr, Ol. 586.
Sisserönnike, Leem, 292. (144.) Ström, I, 250.
Parus griseus, Müll. prodr. 284. anne eadem auis?

GROENL. *Orpingmiutak; Anarak*, v. diminutiue *Anarangoak; Nennamak.*

DESCRIPTIO conuenit datae in Faun. Suec. l. c.; in qua tamen desidero gulam eius nigram, rostrum flauicans apice nigro, et pedes nigricantes. Auis certe minima in Groenlandia mihi obuia.

HABITAT numerosa satis locis vliginosis inter frutices. Cum Sp. 81. migrat.

VICTVS eius seminula varia, praesertim generum cochleariae, montiae et alsines.

NIDIFICAT mense Maio inter ramos fruticum, et constat nidus eius praesertim tribus inuolucris: extimo crassiore gramine arido et ramulis fruticum intermixtis; intermedio tenuiore plumis et lichene pubescente intermixtis; et intimo lana eriophori vaginati sola, satisque conferta. Quinque vel plura oua ponit ex albo virescentia, maculis rubicundis inquinata, imprimis versus extremitatem crassiorem.

Sub volatu continuo vocem suam gracilem edit, et quiescens *Pivit* suum iterat. Cantillat etiam, non vero vt praecedentes auditu digna.

Hanc prae ceteris pueri capiunt; cf. Sp. 82.

84. MOTACILLA OENANTHE.

Motacilla dorso cano, fronte alba, oculorum fascia nigra.

Motacilla oenanthe, Syst. nat. I. 332. Faun. Suec. 254. Müll. prodr. 274. Brün. Orn. 276. Ionst. 123. tab. 45.
Steensquette, Cr. 104.
Steendolp, Bom. VII, 582. Leem, 292. Ström, I, 255. Pont. II, 160.
Strindepil, Ol. 584.

GROENL. *Kyssektak* v. *Kussektak*.

DESCRIPT. Oculi magni nigri iride rubicunda. Alae caudam dimidiatam vix superant. Remiges 3 intimae nigrae marginibus pallidis apicibusque albis; reliquae omnes fuscae. Tectrices eiusdem coloris margines habent albidas. Cauda breuis, vix 2 vnciis longior. Rectrices habet 12 aequales, exceptis 2 intermediis breuioribus. Pedes longi. Reliqua quoad marem conueniunt descriptioni Faun. Suec. l. c.

FOEMINA mare minor minusque colorata. Canities capitis dorsique testaceo-mixta est; et ante vropygium fascia lata testacea datur. Albedo frontis linearis tantum, et lineae albae supra oculos rudimenta tantum existunt. Linea nigra a rostro ad oculos tantum continuatur, temporibus fusceſcentibus. Remiges omnes fuscae; et margines tectricum fulueſcunt.

Pulli sunt parentibus obscuriores, dorso testacei, nec lituras capitis perfectas habent.

HABITAT vbique ad lapides et riuos. Migrat cum Sp. 82.

VICTVS eius sunt insecta, laruae, et vermiculi varii generis; praesertim vermes sepulchrales petit.

NIDI-

NIDIFICAT menſe Iunio inter lapides maiores, gramine arido cum muſcis et plumis raris intermixtis, diſcum occupantibus pilis leporinis. Oua 6-8 ponit coeruleſcentia, extremitate craſſiore punctis minutis brunneis raro ſignata.

Caudam continuo motitat; interdum cantillat ſub iterato volatu iam alta petens, iam ſe demittens, more et cantu vere ridiculo.

Non editur a Groenlandis, quia mortuos illorum petit.

85. PARVS BICOLOR. †

Parus capite criſtato antice nigro, corpore cinereo, ſubtus ex albido-rufeſcente.

Syſt. nat. I, 340. Müll. prodr. p. IX.

Hanc ſubſumo eſſe auem groenlandicam, ſub nomine *Auingarſuk* tractibus auſtralioribus, praeſertim ad ſinum *Tunnudliorbik* raro occurrentem, quae deſcribitur minuta, roſtro acutiſſimo, cauda longiore, remigibus omnibus aequalibus, ſupra coeruleſcens, pectore et iugulo rufeſcens. Dicitur raptim volare, magnis interuallis alas complicans, et ſub volatu ſonum graciliſſimum edere.

Obſ. 1.) Aues groenlandicae *Milektok*, *Niakortok* et *Tunnektok*, Gl. 109. 110. 111. quorſum referendae ſint, alius determinabit, mihi nunquam ſub nominibus talibus obuiae, forſitan vero quaedam praecedentium.

2.) Aues extraneae a coloniſtis introductae ſunt.

α) *Phaſianus gallus*, (Syſt. nat. I, 270.) groenl. *Tingmiengoak*, *Tukingarſolik*, *Aukpallartolik*, *Mardlurartartok*.

β) *Columba oenas*, (Syſt. nat. I, 279.) groenl. *Duingoak*.

γ) *Anas*

γ) *Anas domeſtica*, (Syſt. nat. I, 206. Sp. 40, β.) groenl. *Kærtlutok.*

δ) *Anſer domeſticus*, (Syſt. nat. I, 197. Sp. 9, β.) groenl. *Nerdlernak.*

Inter illas, α) frequentior, γ) et δ) vix hodie occurrunt, et omnes vili cum lucro ob frigus.

III.

AMPHIBIA.

Teſtudines dari in tractibus auſtralioribus Groenlandiae refertur Eg. 51. et. Cr. 140; ſed ex deſcriptione ibi data minime concludi poteſt, an decantatum animal revera ad teſtudines, anne potius ad nantium genus quodlibet pertineat. Nunquam ipſe de tali audiui, et, licet incolas percontatus, non certior factus ſum. — Me iudice nulla alia eſſe poteſt ac Chimaera monſtroſa, (Syſt. nat, I. 401. Act. Nidr. II, 270. tab. V et VI.) quae deſcriptioni quodammodo et optime loco conuenit, teſtudine contra in aquis borealibus hactenus inaudita.

86. RANA TEMPORARIA. †

Rana dorſo planiuſculo ſubangulato.

Rana temporaria, Syſt. nat. I, 357. Faun. Suec. 278. Müll. prodr. 296. It. Oel. 154.

Rana aquatica, Ionſt. quadr. 185. tab. LXXV. Fig. 5-8.

Vandfroe, Bom. II, 493.

GROENL. *Piglertok.*

Loquuntur incolae ſub hoc nomine de ranae ſpecie in gramine tractuum auſtraliorum occurrente, quae veriſimiliter nulla alia eſſe poteſt, ac citata.

87. RAIA

87. RAIA FVLLONICA.

Raia dorſo toto aculeato, dentibus acutis.

Raia fullonica, Syſt. nat. I, 396. Müll. prodr. p. IX. Ionſt. piſc. 37. Tab. XI. fig. 4.

Raia toto dorſo aculeato, duplici ordine aculeorum in cauda, ſimplicique ad oculos, Art. gen. 72. Syn. 101.

Takkalikkiſak, Cr. 139.

Valker-Rokke, Bom. VI, 542.

Tindabikia, Ol. 587. tab. XLIX et L. conf. Raia clauata Atl. 646.

GROENL. *Taralikiſak*, *Aglernak*. *)

DESCRIPT. Totum corpus plagioplateum, figura tali, qualis Ol. l. c. habetur. Abdomen vndique laeue, album tinctura rubra. Dorſum fuſco-caneſcens maculis nigricantibus hinc inde ſparſis, totum aculeatum, exceptis marginibus pinnarum, extremitate roſtri, area dorſi pone pinnas pectorales, apophyſibus abdominalium, et pinnulis caudae, quae laeues vel ſaltem rudimenta aculeorum tantum habent. Aculei tamen non omnes eiusdem magnitudinis: maximi occupant medium dorſi, et ſummitatem caudae vno ordine, vbi 16 numeraui, 6 ſc. in dorſo, et 10 in cauda; praeterea 2 vtrinque linea obliqua pone locum branchiarum; 2 vtrinque pone et vnus ante oculos; medii ad latera caudae ſiti ſunt ſimplici ordine,

*) Multa communia habet cum Raia clauata ab Artedi Sp. 103. deſcripta, et non abnuerem eandem eſſe, ſi mea non dentes acutos, abdomen omnino laeue, et roſtrum minime aculeatum habuiſſet. Praeterea quoad fullonicam non conſentiunt auctores: apud Ionſt. l. c. ei tribuuntur tres ordines aculeorum in cauda, quod exemplari meo optime conuenit; ſed in Syſt. nat. l. c. duo tantum: hac forſitan cauſa Artedi Syn. 101. haeſitat, an fullonica reuera eadem cum eius aſpera ſit.

dine, antice tamen multiplicati vtrinque, et ſuper cartilaginem arcuatam, quae pinnam pectoralem a dorſo diſtinguit: paulo minores conſpiciuntur in poſtica parte pectoralium et vtrinque ad medium dorſi; minuti cetera veſtiunt. Omnes figuram patellarum referunt compreſſo-conici, ſulcati, apice hamati, baſique ampliati radiati, retro ſpectantes. Pinnulae duae extremum caudae terminant, inter quas nullus aculeus. Dentes conferti albi marginem vtriusque maxillae veſtiunt, baſi plano-ouales, de cuius latere ori proximo erectus eſt apex acutus verſus faucem tendens, longitudine diametri baſeos. Cetera quoad roſtrum, os, caudam, nares, oculos, branchias, anum, pinnas et interiora ſe habent, vt ab Artedi ad Spec. 103 relatum eſt; et quoad genitalia, vterum et oua nil addere habeo dictis Ol. l. c. Vitellos magnos minoresque flauos multos reperi in ouario menſe Aprili. Nec pulmones arbitrarie ſpirantes, nec alia organa reſpirationis ac branchias detegere contigit.

HABITAT in ſinubus profundis auſtralibus, praeſertim ad *Tunnudliorbik*.

VESCITVR piſciculis omnis generis, praecipue ſalmone arctico, cotto cataphracto, ſquillisque.

Non facile fundum maris relinquit; pinnas ſuas verticaliter et caudam horizontaliter flectendo, locum mutare ſolet.

VSVS. Editur ſubputrida tantum.

CAPITVR lineis piſcatoriis maioribus, de laminis corneis myſticeti, vel loris phocae barbatae confectis et difficulter ſatis, dum corpore ſuo plagioplateo in aqua valide reſiſtit.

88. SQVALVS ACANTHIAS.

Squalus pinna ani nulla, dorſalibus ſpinoſis, corpore teretiuſculo.

Squalus

Squalus acanthias, Syſt. nat. I, 397. Faun. Suec. 295. Müll. prodr. 311. Brün. ichth. 6.
Squalus pinna ani nulla, corpore ſubrotundo, Art. gen. 66. Syn. 94. Sp. 102.
Pighaa, Act. Nidr. II, 314. 316. IV, 7, c.
Haa, Sröm, I, 280. Pont. II, 185. Leem, 312. Bom. III, 229.
Haafur, Ol. 359. 989.
Há, It. wgoth. 174.
Galeus acanthias, Ionſt. piſc. 27. tab. VIII, fig. 5.

GROENLAND. *Kukilik.*

DESCRIPTIONEM huius conuenientem habemus Art. Sp. l. c.

HABITAT cum praecedenti.

VSVS et CAPTVRA etiam communis; capitur tamen praeſertim hieme per foramina glaciei.

89. SQVALVS CARCHARIAS.

Squalus dorſo plano, dentibus ſerratis.

Squalus Carcharias, Syſt. nat. I, 400. Müll. prodr. 316. Brün. ichth. 13.
Squalus dorſo plano, dentibus plurimis ad latera ſerratis, Art. gen. 70. Syn. 98.
Hay, Eg. 49. c. fig. non bona ad p. 37. Cr. 137. Gl. 135. And. 97. Horr. 264. Adel. 387.
Haaſkierding, Act. Nidr. II, 330. tab. XXI. Bom. III, 249.
Haakal, Ol. 359. 597. 839.
Akkalagges, Leem, 308.
Canis carcharias, Ionſt. piſc. 24. tab. VI. fig. 4, 5, 6.?

GROENL. *Ekallurkſoak.*

DESCRIPT. In exemplari viuo viſo, 4 vlnas habente, dentes ſupra 100 mobiles numeraui quatuor or-

ordinibus in maxilla ſuperiori, et in maxilla inferiori 3 ſerras, quarum 2 extus vergentes 52 dentes habebant, ſed tertia intus tendens 44. Praeterea alios tam dentes ſeparatos, quam ſerras imperfectas ſub cute detexi in vtraque maxilla. Videntur igitur dentes numero pro aetate multiplicari, et imperfectos reliquorum ſucceſſores deſignatos eſſe, ſi piſcis illos amitteret. — Oculi magni vireſcentes iride coerulea. Nares magnae ſub roſtro operculis duplicatis ſemitectae erant. Aures minutae ſine auriculis. Lingua craſſa, lata, breuis, cartilaginea. Pectus prominens. Corpus teretiuſculum, dorſo planato-anguſtatum. Pinnae pectorales maximae ad ſpiracula ſedentes fere ouales. Pinnae ventrales ad anum ſitae elongatae, parallelogrammi fere figura. Pinnae dorſales duae: prior in medio dorſi oblique erecta apice prolongato, poſtice canaliculata; poſterior eiusdem figurae, ſed minor, pone regionem ani. Pinna caudalis perpendicularis biloba, lobo ſuperiore longiſſimo. Caro duplex; interior craſſior alba, exterior tenuior rubra, minime pinguis. Hepar magnum album oleo diues. Praeter illud, cor, ventriculum, inteſtinum rectum, et lien nil ſuperſtes vidi, quod pro pulmone haberem, niſi duos lobos longos, pallide rubentes, margine plicatos, ſub initio ventriculi iuxta cor iacentes, in quos meatus anguſtus de anterioribus ducebatur; anne hi pulmones? Reliqua, cum figura optima, habemus Act. Nidr. l. c.

HABITAT magna copia tam in mari libero, quam ſinubus profundis. Maxime in profundo viuit; rarius alta petit tergo ſupra mare oſtenſo. Interdum littora propius accedit, rapinam perſequens, vel hoſtem fugiens.

VICTVS eius ſunt omnia fere animalia marina, tam viua, quam cadauera, praeſertim piſces maiores, vt: Pleuronectes hippogloſſus, Gadi morrhua et callarias, perca noruegica. Petit etiam phocas et phocaenas iuniores, et cadauera cetorum; (exceptis ſolis Phyſeteribus

ſenſu

ſenſu Linnaeano conf. Sp. 25.) quin immo voraciſſimum animal homines mortuos in mari obuios, interdum etiam viuos, deglutire ſolet.

Eſt viuipara.

Animal hoc horribile ſatis timendum incolis, qui mare continuo frequentare debent. Dicitur enim cymbas minores debiles, pelle nempe phocarum obductas, ore ſuo amplo ſubtus comprimere et inſidentes amputare; ſolitarius ergo illud viſum plerumque fugit. Valet odoratu, quo cadauera obuia non diu intacta relinquit; nec minus auditu, quo clamores hominum percipiens in ſuperficie maris ſe oſtendere ſolet, illos infeſtans: hinc non facile ſupra loca profunda a venatoribus clamatur. Obſeruatum etiam eſt, piſcatoribus ſub piſcando permultum colloquentibus, Carchariam maxime appropinquare et piſces fugare. Mirandum tamen, quod, alias terribilis, ſub amputatione balaenarum hominibus ſociabilis videatur: his enim ſuperne, illaque inferne, ſapidiori cibo occupatis, ſecuritas inde naſcitur. Quod Carcharias ipſa hoſtem ſuum in Macrocephalo habeat, et quousque illum timeat, ſub illo Sp. 25 memoratum eſt.

VSVS. Caro editur cocta, ſiccata, praeſertim autem ſubputrida. Oleum hepatis in lampadibus raro comburitur. Cute eius ſcabra fulcra lignea tentoriorum laeuigant; inde etiam receptacula lardi phocarum conſuunt. Partes cartilagineas etiam conſumunt. Non tamen omnes Groenlandi Carchariam edere volunt.

Merx venalis eſt oleum hepatis; dolendum tamen, quod lucrum hoc merito minus habeatur, dum nec ab incolis, nec ab exteris piſcatura eius agitur.

CAPITVR tam lineis piſcatoriis maioribus, quam harpaginibus, ſemper autem multo periculo, praeſertim a ſolitario; hinc fortuito tantum in illam incidendo.

90. SQVALVS MAXIMVS.

Squalus dentibus conicis, pinna dorſali anteriore maiore.

Squalus maximus, Syſt. nat. I, 400. Müll. prodr. 315.
Brugd, Act. Nidr. III, 33, t. II et IV, 14. tab. IV f. 1, 2. Ström, I, 273. Bom. I, 468, Leem, 306.
Brigde, Pont. II, 177.
Ryner, Ol. 988.

GROENL. *Kakſib Kannioa.*

DESCRIPTIO habetur ſufficiens cum figura bona Act. Nidr. l. c.

HABITAT in ſinu admodum profundo *Kakſe* dicto, e regione boreali coloniae Friderichshaab; an alibi, mihi non conſtat. Rariſſime conſpicitur; nunquam capitur: nulli igitur vſui Groenlandis. Minime, vt putat Linnaeus, meduſis contentus, dentatum hoc robuſtumque animal balaenis (praeſertim roſtrata et boope) et delphinis, (phocaena imprimis et albicante,) nec non aliis marinis maioribus veſcitur, quae integra deglutire dicitur.

91. SQVALVS PRISTIS. †

Squalus pinna ani nulla; roſtro enſiformi oſſeo plano, vtrinque dentato.

Squalus Priſtis, Syſt. nat. I, 401. Müll. prodr. 319.
Squalus roſtro longo cuſpidato oſſeo plano, vtrinque dentato, Art. gen. 66. Syn. 93.
Sværdfiſk, Eg. 40. Ström, I, 311. Pont II, 248. And. 98. Bom. VII, 697.
Sægfiſch, Cr. 148. Adel. 386.

Schverdt-

Schverdtfiſch, Horr. 266.

Hunc dari in mari groenlandico ſtatuunt Eg. et Cr. ll. cc. poſt Martens et Anderſon; ſed ipſe nil de tali, ne quidem nomen groenlandicum illi conueniens, audiui.

Enſem huius piſcis quidem vidi in muſeo plurimum reuerendi Dn. Egede Hafniae; ſed, ni fallor, non ſpolium freti Dauidis erat.

92. CYCLOPTERVS LVMPVS.

Cyclopterus corpore ſquamis oſſeis angulato.

Cyclopterus lumpus, Syſt nat. I, 414. Faun. Suec. 320. Müll. prodr 323. Pall. VII, p. 9. Atl. 648. tab. XXVII.
Cyclopterus, Art gen. 62. Syn 87.
Rognkal, Eg. 50. 60. Bom. VI, p. 538.
Nepiſet, Cr. 127.
Nepiſa, Gl. 131.
Runmave, And. 42.
Rödmave, Horr. 187. 254. (mas.)
Gravemave, ib. 255. (foemina.)
Rognkiækſe, Ström. I, 302. Pont. II, 228.
Akkazinzo, Leem, 322.
Hrognkellſe, Ol. 486 992 *Rödmage* (mas) et *Graaſleppa* (foemina) 588. *)
Siuryggfiſch, It. Oel. 1 10.
Qwabſugga v. *Stenbit*, It Scan. 188.
Piſcis gibboſus, Ionſt. piſc. 40. tab. XIII, f. 2.

GROENL. *Nepiſa*, *Anguſedlok* (mas), *Arnardlok* (foemina).

DESCRIPT. B. 4. D. 0, 11. P. 20. V. 6. A. 11. C. 12. Corpus compreſſo-rotundatum, ob ſquamas oſſeas

*) Sine dubio per lapſum calami haec nomina Islandica minus apte Sturioni tribuuntur Müll. prodr. 322.

hinc inde longitudinalitet angulatum, dorſo gibbo, abdomine planiuſculo, verſus caudam anguſtatum. Caput craſſum, breue, obtuſum, compreſſum, ſupra latum planiuſculum. Os horizontale, dentibus confertis minutis in vtraque maxilla. Lingua cartilaginea, breuis, lata, apice rotundato, nigricans, baſi tuberculis duobus ſcabris praedita. Faux anguſta. Oculi mediocres ſubcoerulei iride aurea, quam cingit nigricans, ad latera ſpectant. Supercilia elata cartilaginea aculeata. Cutis craſſa, laxa, vndique (etiam pinnarum) ſcabra aculeis minutis confertis. Horum quidam excellunt quinque praeſertim ordinibus: ſcilicet 1mo a ſuperciliis ad marginem ſupremam caudae vſque excurrente; 2do ab angulo ſupremo aperturae branchialis ad marginem infimam caudae; 3tio a rictu oris ad pinnam pectoralem tribus mediocribus tantum conſtante; 4to marginem angulatam abdominis vtrinque, et 5to pinnam dorſalem anticam ambiente: ſunt aculei hi maiores humiles, minus acuti, baſi planiore. Nares ſolitariae, minutae, ante oculos operculum branchiarum duplicatum, antico fere quadrato maiore, poſtico trilatero minore deſinente in lobum molliorem. Pinna dorſalis anterior alta (praeſertim in foemina) cartilaginea ſine radiis viſibilibus, margine habet 10 aculeos maiores; pone illam ſequitur foſſula marginibus eminentibus aculeatis. Pinna dorſalis poſterior anali oppoſita, ante caudalem ſita. Caudalis recta integra. Foemina ſaepe mare quadruplo maior nigricanti-coeruleſcens. Mas coloratior variat colore iam coeruleſcenti, iam griſeſcenti, macula plerumque alba laterali, abdomine et marginibus pinnarum rubicundis. Interdum etiam ob pinguedinem pulchre aurei ſunt. Caro fere anguillarum, ſed rudior. Ouaria magna duplicata oblonga, alba, rubra, flaua, coerulea, vel viridia oua continent. Hepar magnum oleoſum, ſimplex, flauum.

HABITAT numeroſus ſatis paſſim in mari groenlandico. Menſe Aprili, vel Maio, littora ſaxea ſinuum vluis

vluis maioribus veſtita accedit generandi gratia; hinc ſinus quidam prae aliis illo diuites. Tempore autumnali profundiora maris petit, hieme non obuius. Non ſingulo anno pari multitudine.

VICTVS eius ſunt meduſae, beroe, clio, et ſimiles vermes gelatinoſae.

Sub fine Maii vel initio Iunii foemina oua ſua numeroſa ad littora vmbroſa, praeſertim inter vluas maiores et fiſſuris rupium, ponit, interdum tam alte, vt aeſtu maris magno vix aqua tegantur; illa abeunte mas aggreditur oua ſemine ſuo fructificans, deinde incubans et ſollicite contra hoſtes cuſtodiens, et maſſae ouorum tam arcte adhaerens, vt veſtigium concauum orbiculi pinnarum ventralium eius impreſſum in illa relinquatur. Tempore autumnali pulli in lucem prodeuntes notabiles ſatis ſunt, et mares macula ſua laterali protinus dignoſcuntur. Vere de alto mari aduenientes in ſummitate aquae conſpicitur; inde littora ſequens loca apta ouis ſuis eligit iam profundior: reuertens autem autumno curſum eundem verſus occidentem tenet. Foemina prior, mas poſterior, itinere; illa etiam vel ouis eius viſis, non procul eſt hic. Tam fortiter oua cuſtodit, vt hoſtem etiam validum non timeat. Si ab homine fugatur, non tamen longe, reſpiciens continuo, ſecedit, et breui reuertitur. Anarrhicham etiam terribilibus dentibus armatam, nido eius appropinquantem, perſequi et ſupra ceruicem mordendo cruciare ſolet in mortem vsque. Satis igitur tutus.

VSVS. Eſt tempore vernali bonum lucrum Groenlandis. Editur tam caro cocta, et ſiccata, quam pellis cruda, aculeis tantum exceptis. Ouaria vel cum hepate cocta, vel ſiccata, et oua nata cruda conſumuntur.

CAPITVR fuſcinis, dum vel tutus ad littora quieſcit, vel iuxta illa natat. Aeſtu maiore interdum etiam viuum prehendere contigit.

93. CYCLOPTERVS SPINOSVS.

Cyclopterus ſubrotundus aculeis confertis, abdomine laeui.

Cyclopterus ſpinoſus, Müll. prodr. p. IX.
Lumpus ſpinoſus, Syſt. nat. I, 414, n. 1. β.
Oſtracion ſubrotundus, aculeis vndique breuibus planis, ventre glabro, Art Gen. 59. Syn. 86.
Lumpus Anglorum, Ionſt. piſc. p. 40. tab. XIII. f. 1.

GROENLAND. *Nepiſardluk*.

DESCRIPT. Certe haereo, vtrum reuera ſynonyma quadrent, an mea ſpecies hactenus ſit ignota. Exemplar tantum vnicum vidi, quod multis cum praecedenti conveniebat; differentia igitur ſola memoranda:

B. $\frac{4}{5}$. D. 6, 11. P. 23. V. 6. A. 10. C. 10.

Licet foemina maſculo lumpo, non tamen multo maior. Corpus anguſtius, compreſſo rotundatum. Oculi minores oblongi, oblique ſurſum tendentes, anteriora ſpectant. Lingua albicat. In palato tuberculi duo dentati. Apertura branchialis minuta lunaris. Inter pinnam pectoralem et ventralem vtrinque apertura alia orbicularis conſpicitur, quae non ita in lumpo. Radii membranae branchioſtegae 6, quorum 2 ſuperiores cute aculeata fere teguntur, facile praetereundi. Cutis vndique veſtitur ſquamis confertis oſſeis aculeatis, quae praeter aculeum medium erectum longioremque baſin plano-conuexam ſcabram habent. Harum maiores dorſum, verticem capitis et latera trunci occupant; ſed minores verſus caudam et inter maiores mixtae: non vt in lumpo ordines veri habentur. Abdomen circa anum his ſquamis caret, laeue. Poſt anum, qui in medio fere abdominis, cauda ſe erigit curuatura falciformi. Pinna dorſalis prior cartilaginea quidem, ſed minus alta et craſſa quam lumpi, et radios molles notabiles habet, margine non aculeata. Co-

lor

lor nigricat, ventre albicante et radiis 12 primis pectoralibus albis. Oua eius fulua.

HABITAT in sinubus praesertim australibus.

Exemplar meum acquisiui in freto angusto e regione australi coloniae Friderichshaab, dicto *Sergveitsiak*, vbi fluxus et refluxus maris rapidus. Mense Martio oua matura habuit.

Non editur ab incolis.

94. CYCLOPTERVS MINVTVS.

Cyclopterus corpore compressiusculo, nudo, tuberculis tribus in rostro et duobus vtrinque ad branchias.

Cyclopterus minutus, Pall. VII, p. 14. tab. III, f. 7-9.

GROENLAND. *Nepisardluarsuk.*

DESCRIPTIO huius optima habetur apud auctorem citatum.

Saepius hunc piscículum vidi in sinu dicto *Illuilarsuk* e regione australi coloniae Friderichshaab, et semper eiusdem magnitudinis, in profundo inter vluas habitantem.

95. CYCLOPTERVS LIPARIS.

Cyclopterus corpore nudo; pinnis dorsali, anali, caudalique vnitis.

Cyclopterus liparis, Syst. nat. I, 414. Müll. prodr. p. IX. Pall. VII, p. 9.

Liparis, Art. Syn. 117.

GROENL. *Abapokitsok*, *Amersulak.*

DESCRIPT. Dantur huius duae varietates:

1) Altera minor, *Abapokitsok.*

B. 7. D. 39. P. 30. V. 7. A. 33. C. 14

Corpus habet elongatum teretiuſculum, abdomine ventricoſo, blennium referens, et plerumque digito medio non longius. Caput corporis craſſitie, obtuſum, poſtice depreſſiuſculum, antice conuexius. Os anguſtum, maxillis aequalibus labiatis et arcte dentatis. Maxillae extus, regio inferior oculorum, et opercula branchialia, puncta alba minuta impreſſa, non tamen profunda, habent. Oculi diſtantes latera ſpectant, parui, nigri, iride fulua, quam cingit argentea. Lingua breuis cartilaginea, alba, obtuſa. Nares quatuor tubulatae. Apertura branchialis minuta fere linearis. Pinnae pectorales a branchiarum apertura ſub gula protendunt, ventrales fere cingentes, antice tamen non coeuntes; radii priores membrana longiores, apice albi. Pinnae ventrales connatae in orbiculum planiuſculum, margine molli eminentiore, radios 14 vel 16 minus notabiles habent in circuitu. Anus pone caput ſitus. Pinna dorſalis pone ceruicem, et analis pone anum incipientes, ſibi oppoſitae ad caudalem vsque excurrentes, illique vnitae ſunt. Omnes cute gelatinoſa corporis tectae, vt radii illarum difficulter numerentur. Cauda fere cuneata. Totus piſcis nudus, lubricus, et colore fuſcuo, carne rubicunda perlucente. Ouaria duo minuta linearia oua crocea continent.

2.) Altera maior, *Amerſulak*.

B. 7. D. 44. P. 40. V. 8. A. 35. C. 14.

Statura omnino praecedentis, ſed multo maior. Vidi illum longitudine 10 vnc. et latitudine 4 vnc. Cutis laxior vndique maculis ſcabris confertis, etiam ſupra pinnas, praedita. Vertex inter oculos depreſſiuſculus antice poſticeque eminentior. Radii pinnae dorſalis margine diſtincti. Sine dubio igitur a praecedente differt tantum aetate prouectior. — Multis conuenit cum Cycloptero gelatinoſo. Pall. VII. p. 21. tab. III. f. 1.

HABITAT ad littora inter vluas.

VESCI-

VESCITVR oniſcis cancriformibus et pullis piſciculorum, nec non conferuis marinis.

Menſe Martio oua ſua vluis inteſtinalibus, in formam globulorum, agglutinat.

Plerumque inter vluas ſe occultans raro obuenit.

VSVS. Editur coctus cum ouariis ſuis inter ſcorpios.

CAPITVR fuſcinis minoribus, vel viuus prehenditur ſub refluxu maris.

IV.

PISCES.

96. MVRAENA ANGVILLA.

Muraena maxilla inferiore longiore corpore vnicolore.

Muræna anguilla, Syſt. nat. I, 426. Faun. Suec. 301. Müll. prodr. 329. Art. gen. 24. Syn. 39. Sp. 66. Brün. ichth. 22. Ionſt. piſc. 120. tab. XXIV f. 7.

Aal, Ström, I, 265 Pont. II, 174. Bom. I, 2.

Der Aal, Martini Naturlex. I. 3.

Biart-aal, Ol. 594.

GROENL. *Nimeriak*.

DESCRIPTIONEM exactiſſimam dedit Art. Sp. l. c. Maxima mihi viſa 30 vnc. long. et 6 in circumferentia habuit.

HABITAT rara in fluuiis et lacubus auſtralibus.

Groenlandi illam horrent, nec, quatenus mihi notum, edunt. Pellem quidam pro receptaculo glandium plumbearum adhibent.

97. ANARHICHAS LVPVS.

Anarhichas maior dentibus solidis obtusioribus.

Anarhichas Lupus, Syst. nat. I, 430. Müll. prodr. 332.
Anarhichas, Art. gen. 23. Syn. 38.
Lupus marinus, Ionst. tab. XLVII. fig. 2.
Der Steinbisser, Cr. 128. Horr. 253.
Steenbider, Ström, I, 310. Pont. II, 243. c. fig. Bom. VII, 571. Leem, 326.
Steinbitr, Ol. 590.

GROENL. *Kigutilik*.

DESCRIPT. B. 7. D. 73. P. 20. V. 0. A. 45. C. 18.

Exemplar maximum, quod vidi, erat 24 vnc. long. et $3\frac{1}{2}$ vnc. lat. Caput rotundatum, obtusum, carnosum, corpore latius obscuriusque multis punctis albis sparsis. Linea lateralis etiam talibus punctis constat; supra pinnas pectorales orta ad caudam vsque excurrit: alia autem eodem ortu post curuaturam breuem in dorso medio desinit. Os angustatum, labiis aequalibus, intra quae nulla cartilago maxillaris visibilis est, dentes autem validi ossei, vt quadrupedum: primores 4 superiores et totidem inferiores conici, curui, longissimi omnium, quos sequuntur laterales minores acuti, vtrinque 7 superiores et 4 inferiores; molares breues, rotundati, validiores, 8 superiores, et 13 inferiores vtrinque; dentes palati 9 duobus ordinibus, omnium validissimi. — Numero tamen differunt dentes huius piscis, sine dubio ratione aetatis. Nares solitariae. Oculi laterales, mediocres, nigri, iride argentea. Lingua breuis, obtusa, laeuis, apertura branchialis parua. Radius infimus membranae branchiostegae vix notabilis, operculum carnosum, appendiculam posticam habet. Corpus elongatum, compressiusculum, ante anum ventricosum, figura fere gadi Brosme, sed pinnas latiores habens. Cutis lubrica, laeuis, caneſcens,

caneſcens, (in aliis tinctura rubicunda,) abdomine albicante, capite et duobus ordinibus macularum magnarum lateralium nigricantibus. — Variat tamen color, in aliis obſcurior, in aliis pallidior; nec omnes maculas laterales et puncta alba capitis lineaeque lateralis ſatis diſtincta habent. Pinnae pectorales latitudine excellunt, ouatae. Pinna dorſalis pone caput et analis pone anum ortae interſtitio breuiſſimo a caudali parum rotundata diuulſae ſunt. Anus in medio fere corporis.

HABITAT etm igrat Cyclopteri lumpi ſocius, praeſertim in ſinubus auſtralibus, non tamen illius multitudine.

EDIT mytilos et alia teſtacea, cancros, nec non ſcorpios et oua piſcium nata.

Oua ſua numeroſa menſe Maio ponit ad radices vluarum maximarum, diſtantia a littore mediocri.

Motu ſerpentino, vt anguilla, tarde progreditur, et coelo ſereno in fiſſuris fundi lapidei quieſcit figura flexuoſa. Quod, licet dentatus, debiliorem lumpum timeat, loco ſuo memoratum eſt.

VSVS. Caro editur cocta vel ſiccata; oua etiam cocta. De pelle conſuuntur receptacula baccarum empetri nigri.

CAPITVR fuſcinis vt lumpus, rarius lineis piſcatoriis maioribus.

97. b. ANARHICHAS MINOR. †

Anarhichas minor, dentibus cartilagineis acutioribus.

Anarhichas minor, Müll. prodr. 333.
Hlyre v. *Steinbitsbroder*, Ol. 592. t. XLII.
Hlir, Horr. 254.
Kærrak, Gl. 132.

GROENL. *Kærrak*.

DESCRI-

DESCRIPTIONEM huius dedit miſſionarius *Glahn*, rei naturalis groenlandicae obſeruantiſſimus, in epheme-ride ſua 1766 d. 24 Iunii, quam hic afferam, quatenus a praecedenti differre videtur.

B. — D. 70. P. 20. V. 0. A. 44. C. 22.

Rictus oris amplus. Caput canino non abſimile. Dentes ſuperiores 3 vtrinque acuti, validi, inaequales, et in interſtitio illorum antico 2 adhuc minores; inferiores itidem 3 acuti inaequales vtrinque: verſus faucem praeterea ordines longitudinales dentium validorum, ſed nondum perfectorum, niſi 1 in ſingulo ordine laterali. Oculi magni verſus verticem capitis. Pinna dorſalis de collo et analis de ano incipientes ante caudam deſinunt. Pinnae pectorales latae radios diuiſos habent. Cutis gracilis colore gadi.

Ipſe autor diuerſum illum a Groenlandorum *Kigutilik*, quem maiorem audiuit, ſed eundem cum *Hlir* Horrebovii eſſe ſubſumit. Mihi autem non ſolum eius *Kærrak* idem cum Islandorum *Hlyre*, ſed etiam tam ille quam hic varietas iunior Lupi videtur; ſaltem differentiam ſpecificam non attingere poſſum. Figura Ol. l. c. omnino lupum refert. Maculas eius per totum corpus ipſe non agnoſcit pro veris notis, nec eſſe poſſunt, dum etiam de maculis lupi antea p. 59 memorauit. Reſtant ſoli dentes, qui acutiores, magis cartilaginei et inordinati, et etiam in fauce locum habere dicuntur: ſed anne dentes pro aetate variare et apud iuniores minus ſolidi eſſe poſſunt? Groenlandorum *Kærrak* ipſemet nunquam vidi, ſed ſecundum illos ſemper pro eodem cum *Kigutilik* habui, ſub diuerſis tantum nominibus pro diuerſis locis.

98. AMMODYTES TOBIANVS.

Ammodytes, Syſt. nat. I, 430. Faun. Suec. 302. Müll. prodr. 334. Art. gen. 16. Syn. 29. Sp. 55.

Trau-

Traunufile, Ol. 587. Tab. X. fig. 14. 15.
Tobis, It. Scan. 141. It. Oel. 87.
Siil, Ström, I, 305. Bom. VII, 143.
Sandhering, Horr. 216.
Sandilz Anglorum, Iouſt. piſc. 90. tab. XXI.

GROENL. *Putsrotok.*

DESCR. B. 7. D. 67. P. 14. V. 0. A. 34. C. 16.

Opercula branchiarum compoſita ex 4 minoribus. Praeter lineas ventrales ab Artedi memoratas, 2 adhuc exteriores obſeruaui membranula gracili longitudinali marginatas. Cutis laeuis ſtriis obliquis corpus cingentibus ſignata eſt. Maxilla inferior longior canaliculata ſuperiorem excipit; ſerra vel tuberculo molli laterali illa, et terminali haec, inſtructa eſt, ceterum ſine dentibus. Canali dorſi pinnam dorſalem gracilem excipere poteſt. Ouarium lobis duobus oblongis conſtat. Reliqua cum Art. Sp. l. c. optime conueniunt.

HABITAT paſſim in fundo arenoſo et argilloſo. Menſe Maio cum ſalmone arctico iuxta littora etiam in conſpectum venire ſolet.

VESCITVR lumbricis et gordiis, quos roſtro ſuo acuminato in fundo quaerit.

Plurimo tempore degit ſuper fundum, in quo caput ſuum condens et in girum ſe flectens coelo ſereno conſpicitur quietus. Rarius alta petit. Vidi illum tamen in ſuperficie maris iuxta fragmenta glacialia natantem.

VSVS vilis; editur tamen inter ſalmones arcticos, coctus et ſiccatus.

99. OPHIDIVM VIRIDE *.

Ophidium maxillis imberbibus, cauda acutiuſcula.

GROENL. *Unernak.*

DESCR.

DESCR. Piſciculum hunc vnica vice videre mihi contigit: 2 tantum vncias longitudine tenebat; dicitur tamen in magnitudinem gadi excreſcere. Corpus elongatum erat et compreſſum blenniorum modo. Caput corpore latius, plagioplateum, ceruice eminentiore, inter oculos canaliculatum. Oculi magni, obſcure virides, iride alba, maximam partem capitis occupant. Os amplum imberbe; labium inferius ſuperiore parum longius. Dentes nullos ob paruitatem obſeruare potui. Membrana branchioſtega ventricoſa radiis 7 conſtans. Pinnae pectorales magnae ouatae 10 vel 11 radios habebant. Pinna dorſalis pone caput, et analis pone anum ortae caudali connatae ſunt, radiis numeroſis conſtantes, quos minutos numerare non valui; dorſales tamen plures erant. Anus capiti quam caudae propior. Radii pinnae caudalis longiores in acumen producti ſunt. Ventralibus pinnis caret. Totus piſciculus viridis, abdomine ante anum et pinnis albis.

HABITAT in locis profundis auſtralibus.

VSVS. Maiores eduntur, lineis piſcatoriis capti.

100. GADVS AEGLEFINVS.

Gadus tripterygius cirratus albicans, cauda biloba, maxilla ſuperiore longiore.

Gadus aeglefinus, Syſt. nat. I, 435. Faun. Suec. 306. Müll. prodr. 347.

Gadus tripterygius ore cirrato, corpore albicante, maxilla ſuperiore longiore, cauda parum bifurca, Art. gen. 20. Syn. 38. Sp. 64.

Hyſe, Eg. 0. Ström. I, 288. Pont. II, 202. Act. Nidr. II, 281 (b).

Diukſo, Leem, 327.

Iſa, Horr. 242. Ol. 357. tab. XXVI.

Kuller, Bom. IV, 537.

Kaljor, It. Scan. 325.

Gadus

Gadus dorſo tripterygio, ore papilloſo, cauda bifurca, linea laterali recta, It. Wgoth. 178. *Skælfisk*, And. 83.

GROENL. *Miſarkornak, Ekalluak.*

DESCR. B. 6. D. 13, 15, 23. P. 19. V. 6. A. 17, 20. C. 32. Licet multa huius ſpeciei indiuidua contemplatus ſim, nunquam maculam nigram ad pinnas pectorales indagare valui. Mei omnes erant albicantes, abdomine nempe et pinnis inferioribus reuera albis, lateribus nigro minutiſſime punctatis, dorſo vero liuido-(vel fuſco-) albicante. Faux parum nigreſcens. Reliqua optime conveniunt cum deſcr. Art. Sp. l. c. vbi nec macula pectoralis (licet antea gen. p. 20.) ab illo memorata eſt; nec Linnaeus It. Scan. et It. Wgoth. ll. cc. illam nominat: hinc concludo, non eſſe notam conſtantem. Facile videtur piſcem meum eſſe merlango valde affinem, nec tamen idem eſt: habet enim cirrum breuem ſub mento, quo merlangus caret. Maximi, quos in Groenlandia vidi, longitudinem 14 vnc. habuerunt.

HABITAT paſſim ad oras et in ſinubus, non tamen omnibus, praeſertim borealibus tempore hiemali ſatis numeroſus.

ESCA. In ventriculo eius nil reperi praeter oua piſcium.

Menſe Februario oua ſua, pallide rubra, ad littora ſinuum inter fucos ponunt foeminae gregatim aduenientes, deinde mares ſeparatim ſequentes ouaque viſitantes ſemen ſuum addunt.

Summitatem maris amat. Veſpertino tempore aqua motitata, facile allicitur, quaſi curioſus, ad ſuperficiem vsque, ſaepe ſuo damno: interdum enim ſuper glaciem ſalit, et canis lagopus, inde occaſione ſumta, callide ſatis ad littora illum exſpectando, quin imo aquam in rimis glaciei pede ſuo agitando, capere ſolet.

VSVS.

VSVS. Editur coctus.

CAPITVR per foramen glaciei, aquam tempore vespertino lente mouendo, dum piscis allectus sine difficultate manibus prehenditur. Videntur Groenlandi hunc modum piscandi a lagopo didicisse. Rarius fuscinis confoditur.

Obs. Videntur alias Noruagorum *Hyse* et *Kolje* inter se diuersi, apud auctores autem confusi, priore sine dubio gado minuto Linnaei.

101. GADVS CALLARIAS.

Gadus tripterygius cirratus varius, cauda integra, maxilla superiore longiore.

Gadus Callarias, Syst. nat. I, 436. Faun. Suec. 307. Müll. prodr. 348.

Gadus dorso tripterygio, ore cirrato, colore vario, maxilla superiore longiore, cauda aequali, Art. gen. 16. Sp. 35. Sp. 63.

Torsk, Eg. 50. And. 85. Deb. 150.

Dorsch, Cr. 127.

Sarolik, Gl. 130.

Titling v. *Thyrsklingur*, Ol. 68. 357. Horr. 245.

Taretorsk, Ström, I, 316. Pont. II, 251, Bom. VIII, 138. Leem, 317.

Tarsk, It. Scan. 220. It. Oel. 87.

Asellus varius, Ionst. pisc. tab. XLVI. fig. 4.

GROENL. *Saraudlik.*

DESCRIPTIO conuenit datae Art. Sp. l. c. Dantur huius 2 varietates:

α) altera maior, cuius radios pinnarum ita numeraui:

B. 7. D. 14, 19, 19. P. 20. V. 6. A. 21. 19. C. 40.

β) altera semper minor, licet matura aetate, nec gadum

gadum barbatum multum ſuperans, cuius oſſicula pinnarum ita:

B. 7. D. 13, 24, 18. P. 19. V. 6. A. 22, 18. C. 44. ceteris in vtraque paribus

Colore variat reſpectu loci, dorſo et lateribus magis minusue obſcuro (ex cinereo-luteſcente, lineis albidis interſtinctis). — Vidi etiam, qui altero latere albicabant, vt dicebatur, quia hoc latere glaciei obuerterant. — Pingues ventre flauicare ſolent.

HABITAT ad oras ſuper loca eminentiora argillacea maris, nec non in ſinubus quibusdam maioribus. Loca piſcatoria praecipua mihi nota ſunt *Fiſcerfiord* ſ. *Kikertarſveitſiak*, *Friderichshaab* ſ. *Pamiut*, *Qvannerſouk*, *Nekſortok*, *Amertlok Sukkertop*, ſ. *Narkſarmiut*. *Tunnudliorbik*, praeter alia auſtraliora. β mihi tantum occurrit in loco dicto *Koormiut* e regione coloniae Friderichshaab auſtrali, et quidem in lacu, qui apertura anguſta cum mari communicationem habuit; hinc minus ſallo.

VICTVS eius ſunt piſciculi et vermes marini omnis generis: praeſertim autem in illius (α) ventriculo inueni ſcorpios, ammodytes, blennios cancros, actinias et alia molluſca; in huius (β) autem oniſcum pulicem tantum et lumbricos in fundo argillaceo occurrentes.

Sine dubio tempore hiemali oua ſua in profundo ponit. Pulli eius occurrere ſolent iuxta littora praeciſa.

Plerumque in diſtantia aliqua a fundo maris moratur, oblique ſurſum vergens cauda deflexa. Ex bullis aereis ſpirationis eius emergentibus mora eius cognoſcitur.

VSVS. Editur coctus, ſiccatus et ſubputridus. Hepar eius cum baccis empetri nigri mixtum comeditur.

Raro ſalſus et vix ſiccatus exportatur, licet inde lucrum bonum haberi poſſet, ſi res bene ageretur.

Capitur α tempore vernali et autumnali lineis piſcatoriis maioribus de laminis Myſticeti, aut cute Phocae

barbatae confectis, ſcorpio pro illecebra habito; — ſed varietas β hieme tantum per foramen glaciei lineis piſcatoriis minoribus, rebus nitidis, vt globulo plumbeo, margarita vitrea, pro illecebris habitis.

102. GADVS MORRHVA.

Gadus tripterygius cirratus, cauda ſubaequali, radio primo anali ſpinoſo.

Gadus Morrhua, Syſt. nat. I, 436. Faun. Suec. 308. Müll. prodr. 349.
Gadus dorſo tripterygio, ore cirrato, cauda aequali fere cum radio primo ſpinoſo, Art. Syn. 35.
Kabbelau, Cr. 124, And. 69. Horr. 218. Leem, 317.
Waartorsk, Ström, I, 317. Pont. II, 249. Bom. VIII, 139.
Thorſkur, Ol. 357. 991.
Skrej, Act. Nidr. III, 142 (a).
Kabbeliá, It. wgoth. 176.
Molva, *Morrhua*, *Cabeljou*, Ionſt. piſc. p. 8. tab. II. fig. I.

GROENL. *Saraudlirkſoak;* alias *Ekal luarkſoak.*

Rarius occurrit cum praecedente, eidem vſui.

103. GADVS BARBATVS.

Gadus tripterygius cirratus, maxilla inferiore punctis vtrinque ſeptem.

Gadus barbatus, Syſt. nat. I, 437. Faun. Suec. 311. Müll. prodr. 350.
Gadus dorſo tripterygio, ore cirrato, longitudine ad latitudinem tripla, pinna ani prima oſſiculorum 30, Art. gen. 21. Syn. 37. Sp. 65.

Ovak,

Ovak, Gl. 130. *Ovarak* (pullus), ibid.
Smaatorsk v. *Kropung*, Ström, 316. Bom. VIII, 138.
Smaafiskur, *Tharafiskur*, Ol. 357.
Gakran v. *Rudnok*, Leem, 317.
Torsk, It. Wgoth. 177.

GROENL. *Ogak* v. *Ovak*.

DESCR. B. 7. D. 15, 19, 16. P. 18. V. 6. A. 22, 17. C. 32. Maximi, quos vidi, 18 vnc. longitudine, et 5 latitudine tenebant; vnicum vlnae longitudinis. Maculam nigro-coeruleſcenten ad radices pectoralium, de qua Art. Sp. l. c. nunquam conſpexi: reliqua alia cum deſcriptione ibi data optime conueniunt. Variat autem reſpectu loci, magis minusue obſcurus.

HABITAT frequens cum Cotto ſcorpio inter vluas littoreas, praeſertim locis vmbroſis profundisque.

EDIT ſalmonem arcticum, blennios, ammodyten Tobianum et alios piſciculos, nec non cancros minores.

OVA ſua numeroſa, flauicanti-rubra menſe Februario vel Martio ponit inter fucos termini intimi ſinuum minorum, ſoli oppoſitorum, etiam ſub glacie nondum fracta. Menſe Iunio pulli eius, (Groenlandis dicti *Ogarkæt*, ſing. *Ogarak*,) gaſteroſteum aculeatum parum ſuperantes, ad littora conſpiciuntur numeroſi.

Magis fundum diligit, ac Callarias. Mas cum foemina plerumque ſub vno lapide cohabitare creditur; ceterum moribus Callariae ſimilis.

VSVM vid. ſub Sp. 101. Oua etiam cocta conſumuntur.

CAPITVR vel vt Callarias minor Sp. 101. *β.* vel rarius fuſcinis, vel vt Cottus ſcorpius, de quo in ſequenti.

104. GADVS VIRENS. †

Gadus tripterygius imberbis, dorso virescente, cauda bifurca.

Gadus virens, Syst. nat. I, 438. Faun. Suec. 309. Müll. prodr. 352.
Sey, Eg. 50. Ström, I, 305. Bom. VII, 128. Pont. II, 230.
Graa sey, Leem, 321.
Upse, Ol. 357. tab. XXV.
Asellus virescens, Ionst. pisc. tab. XLVI.

Hunc puto esse Groenlandorum *Ordlit*, cui tribuunt caudam arcuatam, pinnas numero easdem ac Callariae, abdomen album, et oculos magnos. Habitat in sinu australi *Tunnudliorbik;* dicitur superiores partes aquae diligere, et editur lubenter.

105. GADVS MERLVCCIVS. †

Gadus dipterygius imberbis, maxilla inferiore longiore.

Gadus merluccius, Syst. nat. I, 439. Faun. Suec. 314. Müll. prodr. 342. Brün. Ichth. 31.
Gadus dorso dipterygio, maxilla inferiore longiore, Art. gen. 22. Syn. 36.
Lysing, Ström, I, 295. Bom. V, 187.
Kolmund, Pont. II, 209.
Asellus merluccius, Ionst. pisc. 8. tab. I, fig. 3.

GROENL. *Akulliakitsok.*

HABITAT in sinubus australioribus profundis.

VSVS et CAPTVRA conuenit Gado callariae.

106. GADVS MOLVA. †

Gadus dipterygius cirratus, maxilla superiore longiore.

Gadus

Gadus molua, Syſt. nat. I, 439. Faun. Suec. 313. Müll. prodr. 343.
Gadus dorſo dipterygio, ore cirrato, maxilla ſuperiore longiore, Art. gen. 22. Syn. 36.
Lange, Ström, I, 292. Pont. II, 212. c. fig. And. 82. Horr. 240. Bom. V, 14. Leem, 320.
Langa, Ol. 358. tab. XXVII.?
Langa, It. Wgoth. 177.

GROENL. *Ivirkſoak.*

HABITAT in ſinu auſtrali *Tunnudliorbik.*

De VSV et CAPTVRA vid. Sp. 101.

107. GADVS BROSME. †

Gadus monopterygius, ore cirroſo, cauda ovali acuta, Müll. prodr. 341.

Brosme, Ström, I, 272. tab. I. fig. 19. Leem, 327. Pont. II, 178. Bom. I, 457.
Keila, Ol. 358. tab. XXVII.

Huc referendum exiſtimo Groenlandorum *Nejorpallugak*, cui tribuunt faucem et cutem Cyclopteri Liparis.

HABITAT in mari groenlandico auſtraliori.

108. BLENNIVS GVNELLVS.

Blennius pinna dorſali ocellis decem nigris.

Blennius gunellus, Syſt. nat. I, 443. Faun. Suec. 318. Müll. prodr. 357.
Blennius maculis circiter decem nigris, limbo albo vtrinque ad pinnam dorſalem, Art. gen. 27. Syn. 45.
Fiſch wie Aal, Cr. 128.
Tangbrosme, Ström, I, 315. n. 3. Bom. VIII, 32.
Stagosh, Leem, 326.
Skeria-Steinbitr, Ol. 588. tab. X. fig. 12. 13.

GROENL. *Kurkſaunak.*

DESCR. B. 6. D. 88. P. 12. V. 2. A. 45. C. 24. Maximi, quos vidi, 9 vnc. longi et $1\frac{1}{2}$ lati erant, vnicus tamen pedem ſuperabat. Color cinereo-flauicans maculis multis pallidioribus lateralibus, quae ante anum flavicant, poſt vero albicant: praeter has ad radicem pinnae dorſalis 12 maculae albae, diſco nigro punctato; itidem ad radicem pinnae analis 12 maculae albae tantum et minores. Pinna analis et antica pars dorſalis fuluae, reliquae flauae. Caput lateribus fuluum, ſed faſcia nigra tranſit opercula et verticem, ante quam alba, per oculos griſea nigro marginata, et ante oculos alba, ducitur; reliquum roſtri griſeum, gula vero alba. Cutis lubrica ſquamis vix notabilibus. Linea lateralis recta concolor. Corpus lanceolato-compreſſum, capite compreſſiore vertice acuminato ante oculos, roſtro quaſi truncato. Opercula branchiarum carnoſa. Mandibula inferior ſuperiore multo longior, quod optime cognoſcitur ore aperto Labia magna, et denticuli ratione piſcis ſatis validi, conici, curui, in vtraque maxilla ordine vnico, antice tamen aggregati. Oculi parui iride flammea. Nares 2 minutae. Puncta impreſſa numeroſa circa oculos, ſuper opercula et nucham. Lingua breuis, laeuis, obtuſa. Branchiae 4 rubicundae. Apertura branchialis ampla, infra ſine interſtitio et minus operculis clauſa. Membrana branchioſtega 6 quidem radios habet, duos inferiores minutiſſimos tamen, et facile praetereundos. Pectus eminens, praeter pinnas pectorales cuneiformes et ventrales graciles, ad branchias duos lobos membranaceos paruos, quaſi pinnas ſpurias, habet. Pinnae ventrales fere perpendiculariter ſub pectoralibus, conſtant ſpinula curua et membranula laterali marginata radio ſpurio. Pinna dorſalis a nucha depreſſa vsque ad caudam protendit, cum qua etiam membranula iungitur, radios aculeatos habet; itidem analis de ano incipiens cum caudali cuneiformi iungitur, ſed radios anticos tantum aculeatos habet.

HABITAT

HABITAT vbique inter fucos littoreos.

VESCITVR monoculis, oniſcis et cancris minoribus.

Celerrime natat, vt anguilla, et ob cutem lubricam ſpinasque dorſi difficulter prehenditur; nihilo minus frequens fit cibus ſcorpio, gado barbato et aliis piſcibus littoreis, nec non Vriae grylle, Laris, Colymbo ſeptemtrionali et pluribus auibus marinis.

Incolis dat vilem vſum, nec facile editur, niſi inter ſalmones arcticos ſiccatus.

109. BLENNIVS LVMPENVS.

Blennius corpore teretiuſculo flauicante, areolis dorſalibus fuſcis.

Blennius Lympenus, Syſt. nat. I, 444. Müll. prodr. p. IX.

Blennius cirris ſub gula pinniformibus, quaſi bifidis, areolis dorſi transuerſis, Art. Syn. 45.

Tangbrosme, Ström, I, 315. n. 4. Bom. VIII, 32. vlt.

GROENL. *Tejarnak.*

DESCR. B. 6. D. 63. P. 15. V. $\frac{2}{1}$. A. 41. C. 18. Maximus, quem vidi, 1 $1\frac{1}{3}$ vnc. longitudinem, ſed vix 1 vnc. craſſitiem habuit, eſtque piſciculus hic teres, inter caput et anum aequae craſſitiei, poſt anum vero gracileſcit in figuram fere lanceae. Caput corpore arctius, fere conicum, diſtinguitur quaſi in 3 partes ſulco laterali, de rictu oris ſub oculis in ceruicem vsque producto, vbi iungitur cum linea laterali corporis recte procedente in pinnam caudalem. Oculi minuti, liuidi iride alba, ſuperciliis eminentiuſculis. Nares 3 vtrinque ante oculos, quarum media maior prominentiorque, reliquae minores ſpuriae. Rictus oris paruus oculos non pertingens. Maxilla ſuperior inferiore vix

longior; vtraque dentes, reſpectu magnitudinis piſcis, ſatis validos habet. Lingua breuis, laeuis, obtuſa. Apertura branchialis magna, infra ad gulam interſtitio tenuiſſimo terminata, operculum habet ſimplex, laeue, carnoſum, oblongum, poſtice acuminatum. Pinnas ventrales primo intuitu pro cirris gularibus haberes, dum gulae approximatae admodum graciles, albae, mollesque ſunt *); reuera autem 3 radios membrana vix interſtinctos, infimum longiorem, medium breuiorem (inter hos duos fiſſuram), et ſupremum breuiſſimum non facile notandum habent. Pinnae pectorales magnae, figura fere petali roſae. Dorſalis totum dorſum percurrit, a caudali tamen diſtincta; radios aculeatos retrorſum arcuatos habet. Anus capiti propior; poſt quem incipit pinna analis dorſali ſimilis, non tamen aculeata. Caudalis obouata. Cutis laeuis, ſquamis minutis fixis rotundis notata Color dorſi laterumque palleſcit, areolis fuſceſcenti-maculatis ſine ordine interſtinctus, capitis pectoraliumque flauicans, abdominis albus, poſt anum vero tinctura flaua. Inteſtina pinguedine veſtiuntur. Hepar magnum obſcure rubrum. Ouaria 2 oblonga alba.

HABITAT cum praecedenti, rarior tamen et praeſertim in fundo argilloſo vel arenoſo.

OVA ſua ponit menſe Iulio inter fucos.

Tempore ſereno, vt anguilla, ſuper fundum figura ſerpentina quieſcere conſpicitur, ceterum intra fucos ſe occultans.

Reliquis momentis a praecedente vix differt.

110. BLEN-

*) Hinc ſine dubio apud Art. l. c. cirri ſub gula pinniformes, quaſi bifidi dicuntur, ſi alias piſcis eius ſynonymon verum mei.

110. BLENNIVS PVNCTATVS. *

Blennius corpore fere lineari fuluo, pinna dorſali ocellis 5 nigris totidemque albis coniunctis.

GROENL. *Akulliakitſok.*

DESCR. B. 7. D. 50. P. 17. V. 4. A. 38. C. 18.

Longitudo 6 vnc. altitudo 1 tantum. Corpus de capite in caudam vsque fere aequae craſſitiei. Latera compreſſiuſcula, non tamen vt gunelli. Caput corpore anguſtius, roſtro attenuato, vertice planiuſculo, laeue, minime ſquamatum, paſſim punctatum punctis albis impreſſis, quorum circa oculos ſeries 1, inter oculos 2, pone vero 1 transuerſa, et in operculis quam plures ſine ordine. Oculi magni in antica parte capitis prominentes, approximati *), ſuperciliis eminentibus, liuido-nigricantes iride flammea. Nares 2 tantum verae ante oculos ſitae, tubulares, prominentes; pone illas duae aliae ſpuriae, puncta nempe alba impreſſa a reliquis punctis capitis vix diuerſa. Maxillae fere aequales, dentatae vt antecedentium et labiatae labiis laxis. Rictus oris amplus. Apertura branchialis et opercula vt in praecedente. Radii 7 membranae branchioſtegae, admodum graciles, ſurſum curuatae, infra ab vtroque latere iunguntur membrana interſtitium verum gulare circumdante. Pinnae pectorales ouatae magnae, membrana interſtitiali radiorum laxa, vt fere anum pertingant, et extenſae latera piſcis circumdare queant. Ventrales minutae, ante pectorales gulae approximatae ſunt; quatuor quidem conſtant radiis mollibus, 2 inferioribus longioribus, reliquis breuiſſimis, ſed arcte iunctis et membrana fere carentibus. Radii dorſales arcuati, acu-

*) Hinc nomen eius groenlandicum *Akulliakitſok*, quod ſignificat: interſtitium minutum, et eadem de cauſa piſcibus longe diuerſis tribuitur, e. gr. gado merluccio (Sp. 105) et cotto ſcorpioidi (Sp. 114), ſed praeſenti magis proprium.

leati, continuantur ad caudalem vsque, cum qua iunguntur membrana laxiore. Anus pone pectorales situs, a quo pinna analis ad caudalem vsque continuatur, non vero vt dorsalis illi iuncta, nec radiis aculeatis. Caudalis oblongo-cuneata. Linea lateralis corpori concolor crenulata, de summitate branchiarum inchoans versus dorsalem curuatur, quam sequitur recta ad ocellum tertium, ibique terminatur. Lingua breuis, laeuis, alba, quasi bifida. Oris interiora alba. Cutis laeuis, lubrica squamis arcte fixis minutis in corpore. Colore fulueſcit; gula tamen et pinnae pectorales albae; regio sub oculis alba fasciis fuscis transuersalibus circiter 7. In pinnis pectoralibus caudalique fasciae albae; in dorsali vero 5 maculae ocellares nigrae cum totidem albis iunctae; analis etiam maculas circiter 12 solum nigras, sed minus notabiles habet.

HABITAT in locis profundis; raro ad littora conspicitur, frequentissime vero in aluo Pleuronectis, gadi, aliorumque piscium maiorum.

De oeconomia eius minus constat. Nec a Groenlandis petitur, vt rarus et paruus.

III. CORYPHAENA RVPESTRIS.

Coryphaena dorso dipterygio, radio pinnae dorsalis primae retro dentato.

Coryphæna rupestris, Müll. prodr. 363.
Fisklig en Brasme, Eg. 50. *)
Ingminniset, Cr. 140.
Berglax, Ström, I, 267. Act. Nidr. III, 50. tab. III. f. 1. Bom. I, 301.

GROENL. *Ingmingoak.*

DESCR. B. 6. D. 11, 112. P. 18. V. 8. A. 112. C. —
Pinnae ventrales vix post, sed sub pectoralibus sitae: hinc

*) Et sic soluo quaestionem datam Müll. prodr. pag. 51. lin. 24.

hinc recte apud Müll. l. c. inter thoracicos numeratur. Squama singula carinam longitudinalem mediam retro serratam habet; quae vero in capite et capiti propiores sunt, duas, tres et plures tales carinas habent. Pinnae et capitis inferiora non squamata. Hoc obseruatum non invenio in descriptione et figura data Act. Nidr. l. c. alias optime conueniente.

HABITAT in sinubus profundis australibus, imprimis sinu dicto *Tunnudliorbik.*

Lubenter editur ab incolis, et capitur lineis piscatoriis longioribus. Hamo fixa se inflat more Gadi Brosme, inde oculi eius magni sub attractu prominentiores fiunt.

De oeconomia eius minus constat; mense tamen Maio ouaria eius minutissima vidi: hinc vix aestate, sed verosimilius hieme, vel verno tempore parit.

112. COTTVS CATAPHRACTVS.

Cottus loricatus, rostro verrucis 2 bifidis, capite subtus cirroso.

Cottus cataphractus, Syst. nat. I, 451. Faun. Suec. 324. Müll. prodr. p. IX. Brün. Ichth. 43.
Cottus cirris plurimis, corpore octogono, Art. gen. 49. Syn. 77. Sp. 87. Müll. prodr. 369.
Brodamuus, Sexrænding, Ol. 589.
Cataphractus, Ionst. pisc. 114. tab. XLVI. f. 5. 6.
Kanniortluk, Gl. 130, 3. *)

GROENL. *Kaniordluk, Kaniornak.*

DESCR. B. 6. D. 6. 7. P. 16. V. 2. A. 7. C. 11.

Inter pisces minutos numerandus est; maximus, quem vidi, 6 vnc. longus erat. Oculi magni satis, ouati, nigri, iride alba. Lingua magna crassa, rotundata, alba, laeuis.

*) Sic responsum datum quaestioni Müll. prodr. add. p. 279. linea 23 propositae.

laeuis. — Nares 2 tantum minutiſſimas detexi. Vtrinque ad os cirri 5 dependentes. Corpus totum cinerascit, exceptis pinnis pectoralibus nigricantibus, radiis vero inferioribus albis; dorſali priore albicante, analique nigricante. Cauda cuneata. Reliqua conueniunt deſcriptioni Art. l. c.

HABITAT ſupra arenoſum fundum, minus frequens.

Non petitur ab incolis; dat vero cibum congeneribus, et aliis piſcibus.

113. COTTVS SCORPIVS.

Cottus capite ſpinis pluribus validis.

Cottus ſcorpius, Syſt. nat. I, 452. Faun. Suec. 323. Müll. prodr. 367. Atl. 649.

Cottus alepidotus, capite polyacantho, maxilla ſuperiore paulo longiore, Art. gen. 49. Syn. 77. Sp. 86.

Ulk, Eg. 50. Cr. 126. Gl. 129. Bom. VIII, 281.

Marulk, Ström, I, 296. Pont. II, 257.

Fiſkſymp, Act. Nidr. II, 345. tab. XIII, XIV.

Marhnutur, Ol. 359.

Ulka, It. Scan. 325.

Scorpius marinus, Ionſt. piſc. tab. XLVII. f. 4. 5.

GROENL. *Kaniok, Kaniuinak;* et ſpeciatim mas *Kivake* v. *Milekturſok;* foemina *Narikſok* *).

DESCR. B. 6. D. 10. 17. P. 17. V. 3. A. 14. C. 17. In capite et anteriore parte corporis 16 aculeos numeraui, quorum in operculis locati maximi erant; et praeter hos tubercula obtuſa ſcabra in vertice capitis ſitu quadrato locata. Foemina mare maior, ſi pari aetate conſideratur, et praeter notam veram ſexus, primo intuitu dignoſcitur ventre ſuo candido, qui in mare flauus albo macu-

*) Illuſtratur inde locus dubius Müll. prodr. add. pag 279. lin. 8.

maculatus. Variant ceterum colore; dorſum plerumque habent fuſco-viride nebuloſum, rarius rubeſcens, et rariſſime rubrum. Color ventris minus variabilis. Cetera conueniunt deſcriptionibus Art. et Act. Nidr. ll. cc.

HABITAT in ſinubus omnium vulgatiſſimus, fundos lapideos algis maioribus veſtitos amans; tempore aeſtiuo littoribus propinquior, hiberno autem remotior.

Eſt piſcis voraciſſimus, piſciculorum (praeſertim Blenniorum, Salmonum minorum, clupearum et aeglefinorum) hoſtis crudeliſſimus; quin imo ſaepe maiores deuorare conatur, neque ſuis paribus parcit, neque cancros vermesque contemnit, omne viuum petens.

OVA ſua numeroſa rubra menſibus Decembri et Ianuario inter fucos vluasque ponit.

Eſt admodum audax, viuax incautusque; plerumque fundum tenet, nec alta petit, niſi in perſequendo.

VSVS. 1) Editur coctus et ſiccatus, eſtque Groenlandorum cibus, licet quotidianus, attamen optatiſſimus, ſalubris etiam aegrotis. Pauciſſimi illum crudum edunt, ſaepius autem oua eius poſita.

2) Vt illecebra adhibetur tam in lineis piſcatoriis longioribus, quam laqueis larinis et decipulis canis Lagopi.

CAPITVR lineis piſcatoriis minoribus, in quibus hami 4 cruciatim diſpoſiti: et nulla illecebra adhibetur niſi coloratum vel candidum quid ſupra hamum aptatum; quod dum petit, a hamo inferno interim moto prehenditur. Rarius fuſcinis confoditur.

114. COTTVS SCORPIOIDES. *

Cottus capite aculeis breuioribus, oculis approximatis, pinnis pectoralibus maximis.

Cottus quadricornis, Syſt. nat. I, 451. Faun. Suec. 321. Müll. prodr. p. IX.?

Cottus

Cottus ſcaber, tuberibus quatuor corniformibus in medio capitis, Art. gen. 48. Syn. 77. Sp. 84.?*)

GROENL. *Pokudlek*, *Igarſok*, *Akullikitſok* **).

DESCR. Praecedenti ſimilis; differt tamen ſequentibus: D. 10. 15. P. 15. V. 3. A. 12. C. 15.

Caput minus, magisque plagioplateum, antice anguſtius, aculeatum quidem, ſed aculeis breuioribus, minus ſpiniformibus, etiam paucioribus: deſunt enim 2 in anteriore corporis parte et 1 vtrinque ſub oculis. Rictus oris anguſtior. Oculi fere verticales admodum approximati. Pinnae pectorales maximae, non quia radii plures ſed longiores, et membrana amplior. Color obſcurior, fuſco-nebuloſus, ventre ſordide flauo, linea alba a pinnis ventralibus ad anum ducta; ante ventrales autem, et trans laterum ima maculis albis; capite infra, pinnis dorſalibus, anali, caudalique fuſcis albo maculatis; pectoralibus vero ventralibusque albis flauicantibusque. Foemina differt a mare tota, infra fuſco-flaua, ventralibus flauicantibus maculis fuſcis magnis, et in omnibus mare obſcurior. Magnitudine etiam ſcorpio cedit.

HABITAT minus frequens in interioribus et ad oſtia fluminum, fundum limoſum et aquam minus ſalſam amans.

VICTVS eius praecipuus: oniſci, cancri macrouri, aphroditae, nereides, et ſimiles, licet etiam vt praecedens piſciculos obuios deuoret.

PARIT

*) Haereo de ſynonymis, ſi piſcis alias antea notus. Deſcriptio Cotti quadricornis apud Artedi bene ſatis in ceteris conuenit, ſed tubercula quatuor corniformia, quibus a praecedenti differret, minus quadrant; et licet verrucas 4 oſſeas (vt Linnaeus loquitur,) in vertice capitis inuenerim, minus tamen notabiles erant, nec maiores ac in ſcorpio.

**) De nomine vltimo conferatur Sp. 110. not. *)

PARIT eodem tempore ac ſcorpius, oua ſua pallida inter fucos et vluas minores ponens.

Plerumque ſe inter fucos occultat, ſcorpio minus viuax, vorax audaxque, ſed aeque incautus. Continuo pinnas ſuas pectorales mouere ſolet.

VSVS et CAPTVRA iidem. Minus tamen ſapidus.

115. COTTVS GOBIO.

Cottus laeuis, capite ſpinis duabus.

Cottus gobio, Syſt. nat. I, 452. Faun. Suec. 322. Müll. prodr. 368. Atl. 649.
Cottus alepidotus glaber, capite diacantho, Art gen. 48. Syn. 76. Sp. 82.
Tarangmio, Gl. 130, 6.
Gobio capitatus, Ionſt. piſc. 140. tab. XXIX. fig. 11.
Grundling, Bom. III, 171.

GROENL. *Itekivdlek*, *Kanikitſok*, *Ujarangmio* *).

DESCR. B. 6. D. 10, 17. P. 19. V. 3. A. 18. C. 12.

Eſt praecedentibus multo minor. Caput, licet corpore latius, attamen multo anguſtius quam illorum, antice parum eminens, poſtice magis depreſſum, fere laeue, 2 tantum aculeos veros (vnum ſcilicet vtrinque ad extremum operculi) hamatos, reliquorum rudimenta ſola, habens. Rictus oris arctior, roſtro in angulum obtuſum quaſi deſinente. Oculi iride argentea. Cutis laeuis; linea tamen lateralis ſcabriuſcula: in quibusdam etiam regio poſt oculos et ſub pectoralibus parum ſcabra. Pinnae dorſales quaſi iunctae membrana humili. Color dorſi nigricans, lateribus albo maculatis. Venter pallidior maculis albis, quae poſt anum argenteae. Albae ſunt gula et cauda infra. Pinnae pectorales nigricantes lituris pallidis

*) De hoc incertus auctor Müll. prodr. add. p. 279. lin. 8. iam certior euadit.

pallidis ſinuatae et margine inferiore rubro; poſterior dorſalis itidem, ſed non marginata; dorſalis prior nigricans: ventrales albae maculis rubeſcentibus; analis rubeſcens, et caudalis palleſcens. Foemina differt ventre non maculato, infra magis candida, ventralibus fuluis obſcuro maculatis. Quoad cetera praecedentibus ſimilis.

HABITAT paſſim in fundo arenoſo vel argilloſo, ſcorpio rarior, ſed ſcorpioide frequentior.

CIBVS eius ſunt ammodytes, holothuria Priapus, ambrici marini et alii vermes piſciculique in arena vel argilla obuii.

Quieſcit ſuper fundum etiam omni alga deſtitutum, praecedentibus multo cautior velociorque.

PARIT cum praecedentibus. Oua ſua candida ponit inter vluas capillares; mare oua foeminae cuſtodiente, vt de lumpo antea annotaui, quod etiam praecedentibus cottis conuenit.

VSVS et CAPTVRA ſcorpio conuenit. Non tamen omnibus ſapidus, taeniis quam maxime laborans.

116. ZEVS GALLVS. †

Zeus radio dorſali decimo analique ſecundo corpore longioribus.

Zeus gallus, Syſt. nat. I, 454.
Zeus cauda bifurca, Art. gen. 35. Syn. 78.
Abacatuaia, Ionſt. piſc. 202. tab. XXXVII. fig. 1.
Söe Smed, Bom. VII, 512.
Drachenfiſch, Adel. 383.?

Huc referri debere puto Groenlandorum piſcem *Kolliviſiuternak*, cui tribuunt fila 4 longiſſima, 2 ſc. antica, et 2 poſtica, et quem rariſſimum in mari groenlandico nunquam videre mihi contigit.

117. PLEV-

117. PLEVRONECTES HIPPOGLOSSVS.

Pleuronectes oculis dextris, corpore glabro, linea laterali recta ſupra pinnam pectoralem bis arcuata.

Pleuronectes Hippogloſſus, Syſt. nat. I, 456. Faun. Suec. 329. Müll. prodr. 371.
Pleuronectes oculis a dextra, totus glaber, Art. gen. 17. Syn. 31.
Helleſtynder, Eg. 50. And. 87. 175. Pont. II, 189.
Hilbütten, Cr. 129. Horr. 251.
Qveite, Ström, I, 300. Bom. VI, 437.
Flydra, Ol. 358.
Baldes, Leem, 313.

GROENL. *Netarnak.*

DESCR. B. 7. D. 102. P. 17. V. 6. A. 77. C. 19.

Facile Pleuronectes maximus *); mihi occurrit $2\frac{5}{6}$ cubitus longus, $1\frac{1}{4}$ latus, et ſemper oculis dextris, latere ſiniſtro ſemper fundum ſpectante albo, maculis paucis obſcuris; dextro autem coelum ſpectante, nigricante, maculis hinc inde pallidioribus, interdum etiam, ſi pinguis, toto griſeſcente, etiam illo carnoſiore conuexioreque. Corpus totum laeue, mucoſum, ſquamis arcte fixis, nec facile niſi in ſiccato obſeruandis, oblongiuſculum, fere ellipticum. Linea lateralis recta procedit a cauda ad pinnas pectorales, ſupra quas ſe flectit 2 curuaturis ad branchias terminata. Oculi magni, quorum alter fere in acie dorſi, liuidi iride argenteo-alba. Maxilla inferior ſuperiore longior, ore clauſo, vtraque valida dentata, dentibus numeroſis acutis; praeterea tubercula 2 cruſtacea

*) Igitur potius hoc nomen merebatur, quam alia longe minor ſpecies, cui illud tribuitur Syſt. nat. Sp. 14. et apud alios.

cea in fauce hinc inde dentata. Opercula laeuia, duplicata. Rictus oris amplus. Lingua laeuis, conica, respectu piscis parua. Nares 4 ante oculos lineis 2 obliquis locatae. Pinnae pectorales latae rotundatae, radiis superioribus tamen longioribus crassioribusque. Ventrales oblongae. Dorsalis de antico oculi supremi in caudalem fere continuatur, a qua tamen distincta est: sunt radii eius primi minuti, sed e regione pectoralium accrescunt, versus caudam iterum decrescentes. Anus pone ventrales situs, igitur capiti proximus, in acie corporis dextra. Pone illum pinna analis dorsali similis. Caudalis fere integra, radiis validis multifidis constat. Cutis, pinnae, caputque pinguia; caro ipsa macrior rudis alba.

HABITAT passim ad oras groenlandicas, praesertim verno autumnalique tempore, supra fundum argillosum. Loca piscatoria mihi nota sunt ad colonias *Gothaab*, *Sukkertop* et *Friderichshaab*, praeterea ad *Nekfortok*, *Maneetsok*, *Tulluartolik* in tractu boreali, *Narksak* in australi; et sine dubio plura essent, si rite detegerentur. Nec tamen his locis numerosa.

CIBVS eius sunt pisces alii, magni etiam, e. gr. gadi, perca noruegica. Raiam etiam in ventriculo eius inueni; saepius autem cancros macrouros et brachyouros.

OVA sua, quae pallide rubra sunt in ouario lanceato, ponere videtur in locis argillosis sinuum, vbi aqua marina dulci mixta est; saltem talibus locis pulli eius occurrunt.

Plerumque fundum tenet tranquillus, cibum suum ore aperto attrahendo petens, lente se mouere solet; nec facile alta petit.

VSVS. Editur lubenter ab incolis coctus, siccatus vel subputridus. Cutis etiam, cruda et hepar cum baccis empetri

empetri nigri mixtum consumuntur. Ventriculus in fenestras adhibetur a pauperibus.

Vix adhuc exportatur.

CAPITVR lineis piscatoriis 100 - 200 orgyias longis, ex laminis corneis balaenarum vel pelle phocae barbatae confectis, scorpio pro illecebra habito, et quidem attrahendo demittendoque lineam, prout piscis hamo prehensus sequitur vel resistit, ne linea frangatur; posthinc enim fatigatus et quasi soporatus sine difficultate protrahitur in summas partes maris, et caput fustigando occiditur.

118. PLEVRONECTES CYNOGLOSSVS.

Pleuronectes oculis dextris, corpore oblongo glabro, linea laterali obliqua non arcuata.

Pleuronectes cynoglossus, Syst. nat. I, 456. Müll. prodr. 372.?

Eine kleinere Art Helleflynder, Cr. 130.

Kalle raglik, Gl. 124. 132.

Et særdeles slags Helleflynder, Leem, 315.

GROENL. *Kalleraglek*; etiam quibusdam, sed minus proprie, *Netarnarak*, i. e. pullus Hippoglossi.

DESCR. B. 7. D. 96. P. 14. V. 6. A. 72. C. 17.

Magnitudine praecedenti cedit, vix 26 vnc. longitudinem et 8 vnc. latitudinem superans; illi tamen affinis. Corpus magis oblongum quam in Hippoglosso, totum tam supra quam infra fusco-cinereum, latere inferiore tamen pallidiore. — Vtraque maxilla dentata, dentibus curuis, acutis *), rarioribus tamen ac in hippo-

 glosso;

*) Hac nota differre praesertim videtur a Cynoglosso Gronouii in systemate Linnaeano citato, cui tribuuntur dentes obtusi et cauda subrotunda, quod non ita se habet in pisce

gloſſo; praeſertim in maxilla ſuperiore 4 maiores, et 14 in inferiore, praeter minores cruſtaceos magisque confertos. — Pinnae pectorales mediocres, fere triangulares, radiis ſupremis longioribus, infra ſenſim breuioribus. Ventrales graciles. Inter illas anus. Cauda ſubintegra. Nares 2 in tractu medio ante oculos locatae. Lingua breuis, acuta, laeuis, faux etiam laeuis. Linea lateralis corpori concolor a ceruice ad caudam obliqve progreditur, nec, vt hippogloſſi, arcuatur ſupra pinnas pectorales. Eſt admodum pinguis, et hippogloſſo multo excellentior tam pinguedine quam ſapore. — Cetera vt in praecedente.

HABITAT hippogloſſo copioſior in ſinubus profundis; praeſertim hieme. Loca mihi nota, vbi maxime occurrit, ſunt fretum *Diſco*, ſinus *Quannerſaak* ad coloniam Friderichshaab; *Azormiut* in tractu auſtrali, et *Tulluartolik* in boreali (hic etiam aeſtate), rarius cum praecedente.

VICTVS eius praecipuus ſunt gadi minores, ſcorpii, ammodytes, ſalmo arcticus et cancri varii.

De generatione eius non conſtat.

Mores habet hippogloſſi: etiam dat vſum eundem; ſed quidam etiam oleum eius defectu melioris in lampadibus comburunt.

CAPITVR eodem modo, ſed minori difficultate.

119. PLEVRONECTES PLATESSOIDES.*

Pleuronectes oculis dextris, corpore ſupra maculis brunneis.

Pleuronectes oculis dextris etc. Müll. prodr. p. IX.

Bütten,

piſce groenlandico: haeſito igitur, an idem, quod muſei gronouiani poſſeſſor determinare valet.

Bütten, Cr. 129.
Flyndre, Leem, 315.?
Rödſpettede Flyndre, Ol. 589.?

GROENL. *Okotak*, *Kollevſak*.

DESCR. B. 8. D. 89. P. 12. V. 6. A. 71. C. 18.

Figura *linguatulam*, ſquamis *ſoleam*, et maculis *plateſſam* refert, ab his tamen diuerſa *). Non facile $\frac{1}{2}$ cubiti longitudinem et $\frac{1}{4}$ latitudinem excedit; vnam tamen vidi $\frac{3}{4}$ longam et 9 vnc. latam. Corpus oblongum extremitatibus attenuatis, multo compreſſum, vndique etiam in pinnis ſquamatum ſquamis aſperis et ſatis notabilibus, ſupra ſuluo-cineraſcens, maculis hinc inde obſcurioribus, ſ. brunneis, diuerſae magnitudinis, ad pinnam dorſalem analemque magis ordinatis ſublunatis albidis: ſunt tamen maculae hae diuerſae in diuerſis tam numero quam magnitudine; (in quibusdam ſiccatis maculae albidae coeruleſcunt;) ſemper autem maculas inuenies; infra album, glabrum, et licet ſquamatum, non tamen ibi aſperum.— Linea lateralis humilior, recta medietatem oculorum ſpectat, ventriculum tamen arcu ambiens angulo aperturae branchialis ſummo terminata. Oculi dextri, mediocres, humiles, approximati, nigri iride argentea, ſuperior fere marginalis. Nares 2 tubulares, ante interſtitium oculorum longitudinaliter ordinatae. Rictus oris amplus. Maxilla inferior ſuperiore multo longior, quod optime notatur ore aperto, (licet etiam clauſo,) apice tuberculo, minime cirro, terminata eſt. Dentes plurimi acutiuſculi minuti in maxilla vtraque, et in fauce vtrinque 3 tuberculi cruſtacei dentati ordine longitudinali ad branchias.

*) Differt a prima ano non ſiniſtro, ſed marginali; a ſecunda maxilla inferiore (non ſuperiore) longiore; et a tertia capite non tuberculato, vt alia taceam, licet etiam illis affinis (praecipue autem Plat. glaciali, Pall. It. Ruſſ. III. app. p. 18., poſt haec ſcripta mihi notae).

chias. Branchiae pallide rubrae, aperturam habent satis amplam, et pinnam 8-radiatam, infra aliud interstitium non habentem, quam angulum de radiis infimis antice coalitis formatum. Operculum duplicatum, parte posteriore 3 locis flexili. Lingua longa, gracilis, laeuis, apice rotundato. Pinna pectoralis branchiis approximata breuis, cuneata; ventralis eiusdem figurae, perpendiculariter sub illa locata, radios habet cirro extra membranam prolongatos. Anus pone pinnas ventrales praecise in margine ventris situs. Pinna dorsalis et analis, vt in praecedente formatae, desinunt fere 1 vnc. ante caudalem, quae magna, lata, parum rotundata. — Ouaria fulua, vt in congeneribus figurata. Caro pinguis satis lapidaque, sed Gordio marino admodum obnoxia.

HABITAT in locis arenosis ad ostia fluuiorum, vbi aqua marina dulci mixta; non numerosa.

VICTVS eius sunt vermiculi et piscículi in arena obuii.

PARIT mense Iunio vel Iulio super arenam.

Vulgo fundum tenet; interdum tamen superficiem aquae petere, inque illa vt lamina quiescere conspicitur.

VSVS. Editur siccata, rarius cocta.

CAPITVR vel lineis piscatoriis breuioribus, piscículo pro illecebra habito, vel fuscinis.

120. LABRVS EXOLETVS.

Labrus pinna dorsali ramentacea, corpore lineis coeruleis, pinna ani spinis 5.

Labrus exoletus, Syst. nat. I, 479. Faun. Suec. 331. Müll prodr. 386. Ström. I, 267. n. 3. *Blaagomme*, *Blaastaal*, *Blaastak*, Ström, I, 269. Pont. II, 176. Bom. I, 351.

GROENL. *Keblernak.*

Piscis

Piſcis rarus in mari groenlandico, quem ſemel tantum ſub nauigando vidi totum coeruleum nitidum; nec rite contemplatus ſum, ideoque de ſynonymis non omnino certus.

121. PERCA NORVEGICA.

Perca corpore rubro.

Perca norvegica, Müll prodr. 390.

Röafiſk, Eg. 50. Ström. 302. Pont. II, 228. Bom. VI, 576. Leem, 327. tab. XCIX. Norvegis etiam *Ouger* v. *Uer*.

Rothfiſch, Cr. 127.

Karfe, Ol. 359. 996. tab. XXIX. exemplar mutilatum *).

Perca marina, Faun. Suec. 233. Syſt. nat. I, 483. etiam huc pertinere concludo tam e numero radiorum aculeorumque ſatis quadrante, quam e nomine Norvegico *Uer* primo loco allato; ſed perca marina Artedi, vt ſynonymon citata, eſt longe alia, de qua cf. Brün. Ichth. 80.

GROENL. *Sullupaugak.*

DESCR. B. 7. D. $\frac{15}{19}$. P. 19. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{12}$. C. 16.

Corpus ſquamatum compreſſum oblongo-rotundatum, de capite in anum aequae fere latitudinis, poſteriore parte anguſtata. Color totus ruber, praeſertim dorſi pinnarumque, abdominis vero pallidior. Datur interdum

*) Piſcis islandicus *Karfe* etiam ſub ſparo Erythrino Müll. prodr. 380. vt ſynonymon citatur, *Karve* e contrario ſub perca Norvegica l. c.; apud Ol. autem p. 359. *Karfe* et *Karve* piſcis vnus idemque: forſitan igitur celeberrimus autor indicare voluit, ſparum Erythrinum et percam norvegicam eſſe nimis affines; quod tamen diuerſi ſint, patet ex deſcriptione Erythrini Brün. Ichth. 58.

interdum 1 cubiti longitudine, et $\frac{1}{4}$ latitudine versus pectus, 2 vero vnc. versus caudam. Caput magnum compressum, squamatum, infra acuminatum, supra planatum, margine serrato ad oculos. Rostrum lacunam latam habens, cuius eminentia lateralis spina horizontali ante oculos terminata, apice rotundatur. Os magnum, dentibus numerosis crustaceis in maxilla vtraque: superior inferiore multo breuior, apice bifida, ossibus s. lamellis 2 constat; inferior validior antice terminatur 4 tuberculis osseis, postice impressis 4 punctis vtrinque. Operculum duplicatum: prius rotundatum serris 5 in circuitu, posterius duabus minoribus partibus constans, quae in loco combinationis spinas duas habent; postice terminatur spina longa. Lamina ossea sub oculis, etiam duobus aculeis margine inferiori armatur. Nares 3 vtrinque in angulo ante oculos dispositae. Oculi magni nigricantes iride argentea, cute alba ventricosa tecti. Lingua breuis laeuis, attenuata; post illam 2 tubercula dentata in fauce. Squamae magnae rotundatae fixae. Membrana branchiostega radios validos arcuatos habet. Pinnae pectorales molles, latae, ouatae, fere in anum pertingunt; radii 3 - 9 et 11 bifidi, et decimus trifidus. Ventrales margine inferiore rotundatae; radius supremus breuis aculeatus, reliqui molles et 3 sequentes multifidi. Dorsalis pone caput incipiens paulo ante caudam desinit; constat 29 radiis, quorum 15 priores spinosi humiliores, 14 posteriores molles longiores et fere aequales quadrangulum formant. Analis fere dorsalis posteriori parti opposita etiam 3 anteriores radios spinosos, sed breues habet, reliquos molles longiores. Caudalis subintegra. Linea lateralis corpori concolor, illo autem eminentior, parumque aspera a spina operculi postica in medietatem pinnae caudalis vsque producitur. Cutis et caput pingues. Caro alba, macrior, sapida tamen.

HABITAT in sinubus profundis, imprimis australioribus. VICTVS

VICTVS eius fere idem ac Pleuronectis Cynogloſſi, cuius in conſortio viuit.

Nunquam littora accedens, et fundum ſemper tenens, ſine dubio ibi parit. Interdum, aqua vi tempeſtatis mota, quaſi perturbatur, ventriculo protuſo emergit, et retrogredi non valens moritur.

VSVS. Editur cocta et ſiccata; caput etiam ſubrancidum; cutis labiaque cruda. Olim ſpinae pinnarum loco acuum adhibebantur.

CAPITVR vt hippogloſſus, ſed lineis interdum duplo longioribus; nec tam difficulter, dum ſtatim hamum ſequitur.

122. GASTEROSTEVS ACVLEATVS.

Gaſteroſteus ſpinis dorſalibus tribus.

Gaſteroſteus aculeatus, Syſt. nat. I, 489. Faun. Suec. 336. Müll. prodr. 393.
Gaſteroſteus aculeis in dorſo tribus, Art. gen. 52. Syn. 80. Sp. 96.
Den Lille Tindaure, Ström, I, 315. Bom. III, 586.
Hundſtigle, Pont. II, 202.
Hornſile, Ol. 359.
Pungitius, Ionſt. piſc. 159. tab. XXVIII.

GROENL. *Kakiliſak*.

DESCRIPTIONI Artedi Sp. I. c. nil addere habeo, niſi, quod membranula aculeo ventrali iuncta in meis non alba, ſed rubra, in pinna anali radii $\frac{1}{10}$. Os interne rubrum; frons in figuram ligonis punctata; cutis laeuis nitida. Color dorſi nigricans, laterum albus punctis minutiſſimis nigris; ventris argenteus, in mare autem croceus. Magnitudine digitum minorem vix ſuperat.

HABITAT vbique in aquis ſtagnantibus et riuulis, etiam talibus, quae fluxu maris inundantur.

VESCITVR vermiculis et insectis aquarum, praesertim laruis culicum.

PARIT mense Iulio in limo oua sua.

Aculeos suos erigendo se contra hostes defendit, nec tali statu sine periculo deuoratur. Sine mora gregatim, et velocissime natare solet, praesertim tempore sereno; obumbratus moratur et facile prehenditur.

VSVS eius nullus incolis, sed est anatum et piscium frequens cibus. Est vermibus intestinalibus maxime obnoxius, illisque varii generis saepe ventriculum eius plenum inflatumque inueni.

123. SALMO SALAR. †

Salmo rostro vltra inferiorem maxillam prominente.

Salmo Salar, Syst. nat. I, 509. Faun. Suec. 345. Müll. prodr. 405.

Salmo rostro ultra inferiorem maxillam saepe prominente, Art. gen. II. Syn. 22. Sp. 48.

Lax, Eg. 50. And. 99. Ol. 65. Ström, I, 293. Pont. II, 213. Bom. V, 70.

Lachse, Cr. 124. Horr. 271.

Luoos, Leem, 340.

Salmo, Ionst. pisc. 101. tab. XXIII et XXXI.

GROENLAND. *Kapisalirksoak*, *Keblerikforsoak*.

Piscis hic rarissimus in Groenlandia, quatenus hactenus detecta est, et mihi nunquam visus, dicitur tamen obuius in sinu australi *Tunnudliorbik*. Audiui etiam, visum esse in sinu aliquo iuxta coloniam *Gothaab*. Groenlandi australiores se illum harpaginibus capere narrant.

124. SALMO CARPIO.

Salmo dorso obscure coerulescente, lateribus argenteis, maculis ventreque albis.

Salmo

Salmo Carpio, Syſt. nat. I, 510. Müll. prodr. 412.
Salmo pede minor, dentium ordinibus quinque palati, Art. gen. 13. Syn. 24.
Smaa Lax, *Strand-ört*, Eg. 50.
Lachs-Forellen, Cr. 124.
Gjedde-Rör, Ström, I, 304. Bom. VI, 592.
Siö-Reidur, Ol. 66. 231.
Söbörting, Leem, 322.
Carpio Benaci, Ionſt. piſc. 171. Tab. XXX. fig. 13.

GROENL. *Ekalluk*, *Kevlerikſok*; a quibusdam etiam magnitudine excellens vocatur *Satuak* v. *Sardliuak*.

DESCRIPT. B. 12. D. 14. P. 14. V. 10. A. 12. C. 30.

Occurrebat mihi $13\frac{1}{2}$ vnc. longus (ſic pede maior,) et 3 vnc. latus. Corpus elongatum, compreſſiuſculum, ad pinnas ventrales latius, inde verſus caudam ſenſim attenuatius; dorſo convexo; ventre ante pinnas ventrales planato, medio longitudinaliter ſubſulcato, vndique ſquamis paruis rotundatis minime deciduis obtectum. Caput laeue, corpore anguſtius, inter oculos plano-conuexum pingue, lateribus compreſſis roſtro obtuſiuſculo. Rictus oris mediocris. Maxilla inferior ſuperiore paulo longior; quod optime conſpicitur ore aperto: vtraque maxilla dentes habet, ordine unico marginali, breues, curvos, acutos, ante apicem roſtri definentes; praeterea in palato duo ordines longitudinales, et vnus antice transuerſalis interruptus medio. Lingua mediocris, plana, acuminata, cartilaginea, ſuperne dentata dentibus 12. Oculi roſtro propiores nigri, iride argentea, quae ſemicirculo ſuperne viridi mixta. Nares 2 tantum vidi, non tam magnas, ante oculos oblique verſus roſtrum tendentes. Operculum laminis 2, poſtica maiore, laeuibus conſtat; et pinnae pectorales mediocris longitudinis, fere ſub abdomine ſitae, radios habent apice diuiſos, deorſum ſenſim breuiores. Ventrales paulo ante anum ſitae,

tae, pectoralibus similes eiusdemque magnitudinis, radios tamen latiores habent. Pinna dorsalis prior ventralibus opposita, fere in medio dorsi, capiti tamen propior, magna analique longior, radios habet satis validos, quorum 3 superiores sensim longiores, reliqui fere aequales; posterior adiposa minuta, rotundata, basi arctiore, radio vltimo analis opposita. Anus intermedio dorsalium oppositus; pone illum pinna analis dorsali priori similis, sed breuior et radius primus breuissimus. Cauda lata, arcuata radios habet validos, diuisos, adipososos. Color dorsi obscure coerulescit, tinctura subuiridi, squamarum marginibus tamen nigricantibus, et quasi maculas quadratas cauantibus, quae tamen non facile obseruantur; laterum argenteus, albido maculatus; ventris albus; pinnarum dorsalium et caudae fusco-coeruleſcens, marginis tamen prioris baseosque caudae albidus; pectoralium griseus margine albo; ventralium analisque rubicundus marginibus albis: variat tamen in pinguibus, quorum maculae laterales et venter magis rubicundi, dorsumque obscurius. Caro rubra, in macris pallidior et fere alba.

HABITAT in lacubus, fluuiis et mari ad ostia fluuiorum: dici igitur potest tam marinus, quam fluuiatilis et lacustris; et inter pisces Groenlandiae frequentiores numerandus est. *)

CIBVS eius sunt salmo arcticus, clupea harengus, gasterosteus aculeatus, cancri macrouri minores, vermes limi et oua piscium.

PARIT mense Augusto sub lapidibus fluuiorum oua sua fluescentia.

Velo-

*) Estque hic piscis, qui sub nomine minus recto *Lax* occurrere solet in scriptis de Groenlandia. (Quae postea Pall It. Russ. III. app. p. 17. legi, piscem eundem sub titulo *Kundsha* indicare videntur.)

Velociſſime et gregatim progreditur et optime ſalit, in aqua praeſertim tranquilla gyros ſuperficiei cauſans frequentes. Fluxu maris littora aggreditur, et refluxu regreditur; itidem fluuios creſcentes aſcendit, decreſcentes deſcendit. Hinc tempore autumnali, generandi etiam cauſa, in fluuiis copioſior, tuncque pinguior. — Hieme non obuius creditur in lacubus morari; ſaltem quidam ibi hibernant, qui vere primo deſcendunt in oſtia fluuiorum.

VSVS. Editur coctus, ſiccatus vel lichene rangiferino fumigatus. De cute eius etiam conſuunt receptacula in colligendas baccas aliumque vſum, rarius vela cymbarum.

Eſt quoque exteris caro eius delicatiſſima, etiam ſalſa; cum lucro igitur exportari poſſet, ſi copioſior daretur et incolae ipſi illa non egerent.

CAPITVR 1) retibus, 2) iaculis, 3) fuſcinis, 4) laqueis, 5) manibus, dum ſub lapidibus ſe occultat, 6) hamis, 7) naſſa irremeabili, partim ex viminibus, partim ex tendinibus contexta et ſub praecipitio fluuii aptata, et 8) frequentius gregem cingendo, et intra ſepimentum lapideum, antea ad angulum ſinus exſtructum, cogendo fluxu maris inſtante: refluxu enim in hoc carcere ſuo arefacto facile prehenditur, aut iaculis icitur.

125. SALMO ALPINVS.

Salmo dorſo nigro, lateribus coeruleis, ventre fuluo.

Salmo alpinus, Syſt. nat. I, 510. Faun. Suec. 349. Müll. prodr. 410.

Salmo vix pedalis, pinnis ventris rubris, maxilla inferiore paulo longiore, Art. gen. 13. Syn. 25. Sp. 52.

Rör, Ström, 303.

Raudo,

Raudo, Leem, 336.
Rödbirtingur, *Vatna Silungr*, Ol. 595.
Röding, It. Wgoth. 257.
GROENL. *Ekalluk*, *Ivikſarok*.

DESCRIPT. Piſcis, quem ſub nomine groenlandico intelligi volo, quatenus obſeruare potui, a praecedenti tantum differt colore dorſi magis nigricante, laterum magis coeruleſcente, et ventris macularum marginumque pinnarum inferiorum laete fuluo; — ſemper etiam, dum in Groenlandia moratus ſum, tantum pro varietate habui, et quidem, ſecundum effatum incolarum, meis obſervationibus ſtabilitum, pro mare pingui in fluuiis diu morante: in patriam autem reuerſurus vltimo die tales plures conſpiciens mentem meam indicando, mercatoris diu ibi habitantis contrariam ſententiam audiui. Neque tamen tunc tempus erat vlterioris obſeruationis inſtituendae; exemplaribus etiam exſiccatis a voracibus dermeſtidibus conſumtis, nouam inſtituere prohibitus ſum, hinc in dubio duplici relictus, 1) an reuera a Carpione (ſiue piſce groenlandico Sp. 124) diuerſa ſit ſpecies; 2) an vterque, vel ſaltem vltimus, idem cum alpino Linnaei: quae dubia alius reſoluet. *) HABI-

*) Hic tamen afferre lubet obſeruationem, poſthac Drangedaliae (paroeciae Noruegicae) inſtitutam, quae rem quodammodo illuſtrare poteſt. Piſcem nempe ab incolis *Röje* dictum conferendo cum deſcriptione Salmonis alpini Linnaei Faun. Suec. et It. Wgoth II. cc pro eodem habere perſuaſus ſum; iterum cum deſcriptione piſcis groenlandici *Ivikſarok* conferendo, has tantum differentias detexi: 1) membrana branchioſtega in Drangedalenſi 10 tantum habuit radios; in groenlandico vero 12; 2) puncta operculorum excauata non obſeruaui in groenlandico; 3) magnitudine etiam groenlandicus excellit. Forſitan autem (quod metuo,) cogitatio de *Kevlerikſok* et *Ivikſarok*, vt ſpecie iisdem, me fefellit, ne accuratior in deſcriptione vltimi fuerim. Ceterum differentiae allatae nimis lacues videntur ad ſpeciem diuerſam formandam, et

HABITAT cum praecedenti inque eius consortio; praecipue tempore autumnali et in fluuiis obuius.

Quoad cetera momenta vid. Spec. antec.

126. SALMO STAGNALIS. *

Salmo supra fuscescens, infra albus, corpore subtereti, maxilla superiore longiore.

Reidur, Ol. 595.?

GROENL. *Ekallukâk.*

DESCRIPT. B. 12. D. 14. P. 14. V. 10. A. 10. C. 21.

Longitudo 17⅓ vnc.; sic praecedentibus multo maior. Corpus teretiusculum elongatum, post anum admodum gracilescit in extremitatem caudae, vbi parum dilatatur supra infraque in pinnam caudalem, cuius basis magis compressa reliquo. Caput magnum oblongo-ouatum cathetoplateum, vertice eminente, rostro acutiusculo. Nares vtrinque 2 ante oculos, vertici contiguae, ordine fere recto locatae, patulae; anterior minor circularis, posterior maior fere triangularis. Opercula magna, laevia, vt in antecedentibus duplicata. Maxilla superior inferiore longior, rostro 2 lineas prominente. — Vtraque maxilla dentata margine, superior etiam postica parte, quae extra inferiorem dependet. In palato etiam duo ordines laterales dentium confertorum; quibus accedit tertius, sed breuis ordo intermedius antice. Lingua longa obtusiuscula, margine dentata dentibus 20 et vltra. Dentes omnes validi, curui, acutissimi. Pinna dorsalis prior paulo ante ventrales incipit, radios habet 2 vnc. longos et fere aequales; posterior s. adiposa pone ana-

et me iudice Norvegorum *Rör* et *Giedde Rör*, (Ström, ll. cc.) omnino speciebus meis 125 et 124 respondentes, non nisi pro varietatibus anni locique habendi. De Salmone carpione et autorum alpino magis dubitari potest,

analem locata, breuis, falcata, apice rotundata. Pinnae pectorales dorſali paulo longiores, acuminatae; 3 radii ſuperiores accreſcunt, reliqui ſenſim breuiores. Pinnae ventrales pectoralibus ſimiles, ſed paulo breuiores, medium inter branchias et pinnam adipoſam occupant. Pinna analis deſinit ex oppoſito adipoſae, reliquis brevior, radios habens retro ſenſim breuiores. Cauda ſubbifurca, magna. Color ſuperne, etiam in pinnis dorſalibus, fuſco-nigricans; laterum palleſcens; inferne albus; pinnae omnes inferiores caneſcunt, baſi albae. Caro pallida. Nullas maculas obſeruare potui.

Haec ſecundum exemplar exſiccatum: viuum enim obtinere nunquam contigit.

HABITAT in aquis montanis remotioribus, inde nunquam deſcendens, antecedentibus multo rarior.

VSVS. Editur coctus et ſiccatus; ſed caro eius macra et minus delicata.

CAPITVR (ab illis tantum, qui Tarandos venantur,) fuſcinis, hamis et laqueis.

127. SALMO RIVALIS. *

Salmo elongatus fuſcus, ventre rubente, capite obtuſo.

Brankod, Ol. 596.
Icime, Bom, IV, 347.
Muldkræe, Ström, I, 292.
Kiö, *Tita*, Act. Nidr. III, 576.

GROENL. *Aunardlek;* et a quibusdam *Ekallugak.*

DESCRIPT. Cutis laeuis, mucoſus, ſquamis vix notabilibus. Color ſuperne nigricans, inferne rubens etiam in pinnis; in lateribus non maculatus, punctis nigris crebris exceptis. Irides oculorum flammeae. Corpus quam carpionis elongatius, gracilius et roſtrum obtuſius.

us. Inter minimos numerandus: vix enim 6 vncias ſuperat longitudine, et $\frac{2}{3}$ vnc. latitudine. In reliquis a Carpione non multum differt.

HABITAT frequens in riuulis et ſtagnis minoribus limoſis, nunquam in mare deſcendens.

CIBVS eius ſunt inſecta, partim in aqua, partim in eius ſuperficie obuia, quae detrahit deuoratque; neque aliud in ventriculo eius reperi.

PARIT in fundo limoſo ad littora riuulorum.

Velociſſime ſe occultare ſolet ſub praecipitio littorum, umbra aggredientis perterrefactus. Hibernare in limo ſine motu, et in tali ſtatu indurari dicitur. Certum eſt, quod ipſe primo vere, glacie riuulorum nuper in aquam reſoluta, talem viderim ex parte tantum reuiuiſcentem, cuius inteſtina adhuc dura, coalita et impenetrabilia alicui cibo. Neque cerno, quomodo alias in terra tam frigida et aquis tam paruis conſeruari poſſet.

VSVS eius incolis eſt vilis; editur tamen cum aliis piſciculis.

CAPITVR manibus, aqua riuulorum ſepimentis retenta.

128. SALMO ARCTICVS. *

Salmo capite diaphano, linea laterali recta, (maris villoſa,) pinnis amplis.

Clupea villoſa, Müll. prodr. 425.
Lodde, Eg. 50. Cr. 125. And. 175. Ström, I, 393. Pont. II, 217. Leem, 323. Bom. V, 121. *Jernlodde* v. *Quettelodde* (mas); *Sildlodde* v. *Rognlodde* (foemina).
Angmakſak, Gl. 125.
Keplings, Cr. cont. 309.
Angmarſet, Martini Naturlex. II, 587.
Lauden-Sild, Horr. 216.
Lodna, Ol. 358. 695. tab. XXVIII.

GROENL. *Angmakſak*; mas: *Sennerſulik*.

DESCRIPT. Hic piſcis, qui a plurimis in Eperlanum (Syſt. nat. I, 511.) referri ſolet, illi tantum congener eſt, ſed diuerſa ſpecies, hactenus non ſufficienter deſcripta; multa tamen communia habet cum Eperlano, licet, me iudice, plura cum Albula (Syſt. nat. I, 512), notato et bimaculato (ib. 513). Permulta exemplaria iteratis vicibus contemplando, et totam eius oeconomiam bene ſatis obſeruando, fidelem deſcriptionem dare queo ſequentem.

B. 6. D. 14. P. 19. V. 8. A. 22. C. 28.

Magnitudo 6 vnc. longitudine, et 8 lin. latitudine vix ſuperat. Foemina mare minor graciliorque. Caput mediocre compreſſum, vertice latiore inter oculos planiuſculo, gula acuminata, ex lamellis tenuibus conſtat, igitur diaphanum. Roſtrum acutiuſculum, ſupra conuexum. Maxilla ſuperior inferiore breuior, ſed latior; inferior magis acuta, apice ſurſum curuato, deorſum flecti poteſt in rictum oris amplum. Vtraque tenuis vix labiata, ſed margine denticulis ſ. aſperitatibus breuibus armata. Lingua breuis, craſſa, acutiuſcula, ſuperne aſperitates ſ. denticulos maiores habet. Nares 2 (ſc. vtrinque 1 ante oculos,) vertici contiguae, minutiſſimae. Oculi mediocres, laterales, vertici tamen quam gulae propiores, pupilla parua nigra iride lata argentea. Operculum laeue quaſi 2 lamellis conſtat: priore ſub oculis planiore, poſteriore 2 locis fracta. Apertura branchialis magna. Branchiae ſanguineae radiis filiformibus pectinatae. Membrana branchioſtega ſub operculis tota occultatur: radios 6 graciles habet, quorum ſuperiores maximi; infra interſtitium aliud non habet ac cutem tenuiſſimam. Pinnae pectorales branchiis et ventri contiguae membranas habent amplas, et radios longos plurimum biſidos, medios longiores, hinc ſatis magnae, oblongo-rotundatae. Dorſalis prior in medio dorſi, ſatis alta: radii 4 antici accreſcunt, reliqui decreſcunt; poſterior

rior adipoſa minutiſſima oblonga. Ventrales dorſali priori oppoſitae, ouatae, latae, radios habent multifidos et membranas amplas. Anus intermedio dorſalium oppoſitus. Pone illum pinna analis incipit, definens ex oppoſito adipoſae, omnium maxima; radios habet ex parte bifidos, quorum 4 priores ſenſim longiores, reliqui ſenſim breuiores. Cauda bifurca radios quidem habet 28, ſed laterales minutiſſimos. Color ſupra lineam lateralem obſcure viridis, infra illam argenteus punctis crebris nigris, et interdum in ventre violaceam tincturam habet; in quibusdam etiam (praeſertim maribus) opercula maculam magnam nigram habent. Linea lateralis recta. Cutis laeuis ſine ſquamis palpabilibus, nec tamen multo mucoſa. Statura corporis fere clupeam refert, dum elongatus, gracilis, compreſſiuſculus, dorſo conuexo et craſſiore, ventre tenuiore. Praeter magnitudinem et maculam operculi, mas etiam haec ſingularia habet, quibus facile a foemina diſtinguitur: ſc. 1) prominentiam lateralem linea laterali terminatam (quae tamen etiam tegitur,) et paulo ante caudam definentem, quae conſtat innumeris cirris mollibus, rigidis tamen, pluribus ordinibus longitudinaliter cateruatimque diſpoſitis, dorſo concoloribus; 2) aliam eiusmodi a pectoralibus in ventrales productam, graciliorem, ventri concolorem: 3) itidem vtrinque ad anum paucos cirros; 4) dorſum latius et minus laeue, quaſi tuberculatum; 5) ventrem planum etiam tuberculatum — hinc corpus eius fere quadrangulare. — (Dantur tamen rariſſimi mares, qui cirris lateralibus carentes ſola magnitudine et fluore ſeminali a foemina differant, quos nominant incolae *Sennerfutſut*.) — Viuus vel nuper captus odorem habet cucumeris. Caro alba, pinguis et ſapida. *) Ouarium vnicum, ſed magnum, oblongum, flauum. Peritonaeum nigrum.

*) Immerito igitur illi ab auctoribus quibusdam tribuitur pro-

HABITAT in mari tantum, fluuios non aſcendens. Hieme altum mare tenens, raro ad oras conſpicitur; ſed aeſtate, et quidem menſibus Aprili, Maio, Iunio et Iulio, in ſinubus magna copia obuius. Non tamen vbique aequae bonitatis vel multitudinis.

CIBVS eius ſunt cancri macrouri minimi, etiam tempore pruritus oua (vt videtur,) propria; illis enim ſimilia in ventriculo eius tunc temporis occurrunt. Etiam conferuas littoreas deuorare ſolet.

PARIT menſibus Maio, Iunio et Iulio oua ſua numeroſa in littoribus ſinuum; illaque fucis, vluis, ſed imprimis conferuis littoreis affigit. Tali tempore multa millia gregatim ſinus ingredi et littora ſequi ſolent. Greges foeminei ſeparatim praecedunt, loca apta progeniei ſuae inquirentes; maſculini poſtea oua perſcrutantes, vt ſemine ſuo illa fructificent. Fundus a foeminis relictus ouis illarum ita obductus eſt, vt flauus transpareat; marium autem ſemine ſuperaddito aqua lactea euadit fundo non conſpicuo. Vterque ſexus operationem ſuam curare ſolet tam diu quam noctu, coelo ſereno vel triſti, aere tranquillo vel procelloſo; praecipue tamen noctem et mare tranquillum eligunt.

Tempore pruritus ſatis incautus eſt, et facile rapina hominum piſciumque euadit; reliquo autem minus, et hoſtem perſequentem ſupra aquam ſaliendo illudere conatur. Plerumque gregatim, rarius ſolitarius ingredi conſpicitur, iam fundum, iam ſuperficiem maris ſequens. Si

proprietas noxia. Ipſe ſaepe cum lubitu illum comedi, et dum in Groenlandia commoratus ſum, oues meas alui (itidem mercator coloniae capras ſuas) his piſciculis ſiccatis prouentu foeni minus ſufficiente, quae etiam auide illis veſcebantur, ſalubres, pingues et ſapidae permanebant. Aut itaque Noruegarum *Lodde* diuerſus piſcis a meo, aut confuſione quadam illi tribuuntur proprietates noxiae piſcis alius, vt videtur, Eperlani.

Si hieme oris appropinquat, (quod raro contingit,) interdum glaciem saltu ascendens mortuus reperitur. Laesus in angustia mortis gyros continuos format in superficie aquae, donec mortuus fundum petit. *)

VSVS. Editur tam coctus, quam praecipue siccatus, estque Groenlandorum quasi panis quotidianus, non facile (si habetur,) derelictus, vt additamentum, post alios cibos, etiam delicatissimos. **) Admiranda igitur est diuina prouidentia, qua piscis hic omnibus annis tam ingenti multitudine littora petit, semetipsum quasi egentibus incolis praebens, vt ex illo prouentum hibernalem facili negotio colligant.

CAPITVR tempore pruritus sui, et quidem aestu maris instante, dum tam de littore, quam de cymbis, plures simul hauriendo retibus concauis, ex tendinibus confectis et manubrio instructis, (quali instrumento apud nos squillas petere solent,) breui tempore cymbam implere valent; deinde super rupes vento siccantur, et saccis infarti conduntur in speluncis montium vel sub congerie lapidum. ***)

Habet piscículus hic quam plurimos persecutores, et inseruit omnibus fere animalibus marinis vt alimentum, quod in antedictis sub specie singula satis euidenter monstratum est.

*) Hoc etiam aliis piscibus competit, cetis ne quidem exceptis, qui tali tempore periculosissimi.

**) Neque tamen eodem modo, ac nos panem, incolae illum adhibent: sua fercula enim simplicia consumere solent, nil omnino panis loco habentes.

***) Dum necessarium omnino est, vt rite siccentur, ne putrefiant, intelligitur facile, pluuiam continuantem tali tempore Groenlandis aeque noxiam esse, ac nobis tempore messis.

129. CLVPEA HARENGVS.

Clupea immaculata argentea, dorso coeruleo, maxilla inferiore longiore, operculis laeuibus.

Clupea Harengus, Syst. nat. I. 522. Faun. Suec. 357. Müll. prodr. 421. Brün. Ichth. 99.
Clupea maxilla inferiore longiore, maculis nigris carens, Art. gen. 7. Syn. 14. Sp. 31.
Sild, Eg. 50. And. 48. Pont. II, 231. Ström, I, 302. Ol. 358 Leem, 323. Bom. VII, 146.
Hering, Cr. 126. Horr. 212.
Harengus, Ionst. pisc. 9. tab. I. f. 6.

GROENLAND. *Kapiselik.*

DESCRIPT. B. 8. D. 18. P. 18. V. 9. A. 17. C. 24.

Reliqua optime conueniunt cum descriptionibus Art. Sp. et Brün. Ichth. ll. cc. Groenlandica mediocris tantum est magnitudinis, vix 5½ vnc. longitudine et 1 vnc. latitudine superans.

Hic piscis in oceano boreali alias frequens inter Groenlandiae rarissimos numerandus est; saltem in freto Dauidis minus numerosus: vidi tamen paucos greges mensibus Iunio et Iulio in sinubus e regione boreali coloniae Friderichshaab, ex quibus etiam aliquos consumsi delicatissimos. In australiori parte Groenlandiae frequentiores dicuntur.

De cibo eius nil certi indicare queo, dum nunquam escam in ventriculo eius inueni; sed ex conspectu plurium rostro suo fundum argillosum rodentium concludo, illam vermiculos fundi consumere.

VSVS eius vilis est incolis; siccatur tamen inter salmones arcticos, et cum illis editur.

CAPITVR vel eodem modo ac salmo arcticus, (Sp. 128.) vel intra sepimenta, vt salmo carpio (Sp. 124, 7.) nec tamen pro illa singularis captura instituitur.

130. CLV-

130. CLVPEA ENCRASICOLVS.

Clupea maxilla ſuperiore longiore; corpore argenteo, ſupra coeruleo.

Clupea encraſicolus, Syſt. nat. I, 523. Müll. prodr. 424. Brün. Ichth. 101.

Clupea maxilla ſuperiore longiori, Art. gen. 7. Syn. 17.

Encraſicolus, Ionſt. piſc. 78. tab. 19.

GROENLAND. *Saviliurſak.*

Hanc ſaepe in ventriculis phocarum inueni, ſemper autem tam mutilatam, vt deſcriptionem ritam dare non potuerim, quam etiam antea optimam habemus Brün. ichth. l. c.

HABITAT in freto Dauidis e longinquo terrae.

Obſ. Adhuc nominant Groenlandi alium piſcem *Uiliſak* v. *Ueliſuk*, in ſinubus auſtralioribus frequentem, quem quorſum referam, neſcio. Deſcribunt illum longum, nigrum, cute craſſa et dentibus validis donatum, ita vt ſaepe morſu eius lineae piſcatoriae rumpantur. Cutem eius detractam Miſſionarius Dn. Glahn conſpectam deſcribit fuſcam, ſquamis rotundatis interuallo paruo interſtinctis tectam, et ſtriis quibusdam albidis notatam. Carnem eius comedere ſolent.

Sine dubio adhuc alios piſces diuerſos continet mare groenlandicum, praeſertim in tractibus auſtralioribus, qui poſteritati detegendi relinquuntur.

V.

INSECTA.

Quae in Groenlandia domi habent insecta, non quidem multa, nec tamen nulla sunt, inter quae sequentia mihi nota.

131. CISTELA STOICA.

Cistela ouata nigra, abdomine ferrugineo.

Cistela Stoica, Müll. prodr. 514.
Guldvarta, Ol. 600.?

GROENL. *Pangaligiak.*

DESCRIPTIO breuis et characteristica Müll. l. c. optime quadrat. quare pro eadem habeo. Mea ceterum talis erat: longitudo $3\frac{3}{4}$ lin. praeter caput inflexum, quod fere lineae longitudine; latitudo lin. — Corpus rotundatum, ouatum, postice crassius. Caput parvum, supra planiusculum, terminatum rostro angustiore obtuso, sulco transuersali a capite quasi separato. Oculi ouati nigri laterales Antennae exteriores, breues, articulatae, terminatae clava crassiore cylindrica Thorax conuexus, antice angustior amputato arcuatus, postice latior obtuse rotundatus, lateribus dilatatus acutus, dependens, inflexus; margo anticus et laterum parum eminens; scutellum minimum acutum. Elytra ouata, ventricosa, vix marginata, substriata, apice postico acuto dependentia, margine laterali deflexa, arcuata, ciliata Totum corpus supra fusconigricans, (in aliis magis testaceum,) scabriusculum, subtomentosum; caput tamen obscurius laeuiusque. Alae albae, margine laterali flauicante solidiore. Abdomen plano-conuexum glabrum, minus tomentosum, scabriusculum quidem punctis minutissimis, sed vix nudo oculo

lo visibilibus, constat 5 incisuris, anali maiore, antica minore. Pedes contracti abdomini plane incumbunt. Inter 2 paria posteriora sternum planiusculum latum, cui adiuncta lamella tenuis postica vtrinque: ex his lamellis proueniunt pedes 2 postici; ceteri 4 sub pectore capiti contigui sunt. Sunt pedes omnes fere eiusdem longitudinis, multo compressi. Femora appendiculum basi habentia, margine postico canaliculata glabra, vt receptacula tibiarum, si hae contrahuntur. Tibiae fere femorum longitudine, margine postico acuminato-serratae, ad tarsum terminatae aculeis 2 curuis. Tarsi multo breuiores gracilioresque, 5-articulati, subtus villosi, terminati vnguibus 2 validis, curuis. Totum corpus infra vna cum pedibus ferrugineum.

LOCVS. Nulla mihi foris occurrit; pauca autem exemplaria, quae vidi, tempore brumali in culina de cinere sese offerebant; an igitur cum turfa de locis cespitosis, anne aliunde introducta, non determinare queo.

Si leniſſime etiam tangatur, caput suum sub thorace recondit, parte postica vsque ad oculos retracta, reliqua inflexa; antennis etiam pedibusque contractis pro mortua haberetur; nec irritata se mouet, in tali statu pertinaciter moriens.

132. SILPHA PEDICVLARIA.

Silpha nigra, elytris laeuibus, thorace marginato.

Silpha pedicularia, Syst. nat. I, 574. Faun. Suec. 466.

GROENL. *Isakersok.*

DESCRIPT. Vix lineae longitudine, et $\frac{1}{3}$ lin. latitudine. Tota atra, elytris tamen subtestaceis, pedibus et ore magis dilute testaceis. Antennae fractae, apice clauato, claua horizontaliter fissili, pallescente. Caput

breue planiuſculum, medio longitudinaliter ſulcatum. Thorax etiam, qui capite latior, marginatus. Elytra ouata oblonga apice acuto dependente, extus marginata, glabra et quidem nudo oculo laeuia; ſi autem recte attendas, longitudinaliter punctato-ſtriata. Oculi nigri.

HABITAT in quisquiliis non infrequens, ibique ſe callide condere ſciens.

133. COCCINELLA TRIFASCIATA.

Coccinella coleoptris rubris faſciis nigris tribus.

Coccionella 3-faſciata, Syſt. nat. I, 580. Faun. Suec. 475.

GROENL. *Amillerak.*

DESCR. Long. 3 et lat. 2 lin. — hinc inter mediocres numeranda, vulgaribus ſtatura omnino ſimilis. Caput, thorax, pedes et tota ſubtus nigra, nitida; ſed in thoracis angulo antico pone oculos vtrinque macula quadrata albo-flauicans; in capite inter oculos 2 puncta eiusdem coloris. Oculi nigri. Elytra rubro-flauicantia nitida faſciis 3 transuerſis latiuſculis nigris: quarum anterior elytra ambo coniungit, et angulo acuto medio in thoracem extenditur; media minor, fere ouata, margini interiori propior, non tamen illum attingens; poſtica media maior rhomboidalis, et margini exteriori propior: ſic duae vltimae faſciae in medio abruptae, nec vlla omnium marginem exteriorem elytri attingit. Antennae annulato-clauatae pallide teſtaceae, claua tamen obſcuriore. Alae atrae.

134. ALTICA HELXINES.

Altica viridi-aenea, antennis pedibusque omnibus teſtaceis.

Chryſo-

Chryſomela Helxines, Syſt. nat. I, 594. Faun. Suec. 540.
Altica Helxines, Müll. prodr. 929.

GROENL. *Pikſikſartok.*

HABITAT in parietibus terreis domuum groenlandicarum.

135. ALTICA OLERACEA.

Altica ouata vireſcenti-coerulea, antennis nigris.

Chryſomela oleracea, Syſt. nat. I, 593. Faun. Suec. 534. Faun. Fridr. 75.
Altica oleracea, Müll. prodr. 921.
Jordloppe, Atl. Dan. 670, 18.
Guldſmed, Ström, I, 173. (prior.)
Hopper, Bom. III, 483.

GROENL. vt antecedens.

Vidi illam numeroſam ſatis in oleribus hortuli mei ad coloniam Friderichshaab.

136. CVRCVLIO NODOSVS.

Curculio breuiroſtris piceo-caneſcens, femoribus muticis ferrugineis, elytris nodulis minimis ſtriatis.

Curculio nodoſus, Müll. prodr. 948. Faun. Frid. 118.
Silakepr, Ol. 600.

GROENL. *Siutiſiortok-Angmalortok.*

DESCR. Longitudo 4 lin. et latitudo trans elytra 2 lin. Totus piceus nitidus, exceptis pedibus, qui quoad omnes partes, etiam vngues, ferruginei, et antennis fuſcis apice pallidioribus. Tomenta etiam rara caneſcentia

tia in toto corpore paſſim nigredinem mixtam faciunt *). Oculi fuſceſcunt. Roſtrum breue (non tamen breuiſſimum), craſſum (apice obtuſo et craſſiore), decliue, ſupra planiuſculum punctatum carinatum. Caput (roſtro excepto) breuiſſimum inter oculos conuexum, laeue, ſine tomentis. Thorax conuexo-teres, medio latior, longitudine caput roſtrumque ſimul ſumta aequat, punctis eminentibus vbique inaequalis. — Abdomen ouatum, ano dependente acuto, ſubtus punctis minutiſſimis excauatis notatum, inciſuras 4 habet, quarum 2 mediae minimae, antica latior, poſtica longior. Elytra, latera abdominis etiam tegentia, nodulis minutiſſimis ſtriata. Alas nullas detegere poteram; ſed elytra ſubtus glaberrima, albida punctis nigris lineata. Antennae fractae, baſi ſ. dimidia parte vsque ad genu integra, terete, extrorſum craſſiore, parte vero exteriore ſubdiuiſa in 7 articulos minores, et terminatur claua oblonga annulata. Femora ſimplicia, nec dentata, nec poſtica reliquis craſſiora. Plantae ſubtus villoſae albidae.

HABITAT in plantis montanis, etiam in gramine obuius, minus frequens.

137. CVRCVLIO ARCTICVS. *

Curculio breuiroſtris piceus, femoribus muticis concoloribus, elytris laeuibus **).

Silekiæp,

*) Tomenta haec forſitan arctius exemplar Müllerianum veſtiuerunt, igitur ab illo ll. cc. dictum caneſcens, reliquis, vt videtur conuenientibus: in quibusdam tamen haec canities fere nulla, ideoque pro nota characteriſtica non apte ponitur, ſi alias illius cum mea ſpecies eadem ſeſt; de islandico minus haereo.

**) Inter breuiroſtres notos quidem dantur varii meo ſimiles, e. gr. cloropus et ater Syſt. nat. 82 et 86, ſed magnitudo nimis parua maxime obſtat. Ab initio etiam illum pro curculione acridulo (Syſt. nat. 13. et Müll. prodr. 993.) habui, ſed roſtrum huius longum minime quadrat.

Silekiæp (*den glatte*), Ol. 600.

GROENL. vt antecedens.

DESCRIPT. Statura antecedentis, ſed minor, $3\frac{1}{2}$ lin. longitudine et $1\frac{1}{2}$ latitudine non ſuperans. Roſtrum multo breuius et inter breuiſſima numerandum, ſuperne non carinatum, apice incraſſato, bifido dentibus 2 ſpuriis. Corpus poſtice eminentius, quam in antecedente, et totum piceum nitidum, femoribus etiam tibiisque concoloribus, plantis ſolis antennisque ferrugineis. Tam caput, quam thorax et elytra punctis minutiſſimis excauatis notata, elytra vero vix notabiliter ſtriata, nec tomenta in corpore obuia. Reliqua vt in antecedente, cum quo habitat, forſitan diuerſus ſexu.

138. DYTISCVS MARGINALIS.

Dytiſcus flauicans; ſupra nigro-vireſcens, marginibus thoracis omnibus elytrorumque extimis flauis.

Dytiſcus marginalis, Syſt. nat. I, 665. Faun. Suec. 769. Müll. prodr. 663. Faun. Frid. 186.

Vandkalv, Atl. Dan. 676. n. 4.

Brunnkluka, Ol. 600.

GROENL. *Minguk.*

DESCR. Long. $6\frac{1}{2}$ lin. lat $3\frac{1}{2}$ lin. — Corpus oblongum, depreſſo-conuexum, vndique glabrum. Caput nigrum, roſtro, palpebris et linea verticali lunari interrupta ſulvis. Oculi albicantes. Thorax flauus medio transuerſaliter nigro (quae nigredo in quibusdam omnino deeſt). Elytra vireſcenti-nigra, margine antico et laterali flauis; ſi recte attendatur, ſtriae minutae ramoſae et confertiſſimae transuerſales nigredinem in elytris alias flauis efficere conſpiciuntur; 2 etiam lineas longitudinales vix manifeſte punctatas obſeruaui. Alae albae. Abdomen nigrum; ſed

ſed anus et margo trium antecedentium inciſurarum flavi. Pedes omnes fului.

HABITAT frequens in aquis, rarius in mari ad oſtia fluuiorum.

VESCITVR inſectis ad ſuperficiem aquarum vibrantibus et in aquis ipſis obuiis; piſces infeſtare non audiui.

Raro volat, ſemel tamen volantem vidi de aqua in aquam: ſub volatu arefactus non ſine moleſtia ſe ſubmergere potuit; inter aquam et littus ſe penetrans, bullam aeream albam poſt anum trahebat.

A Groenlandis noxius pronunciatur: illo enim cum aqua ab homine inhauſto, dicunt ventrem inflari et mortem praeſagire, dum inteſtina omnia corrumpat morſu ſuo. Ad illum expellendum, oleum permultum bibendo vomitum excitare ſolent.

Eſt mira antipathia inter illum et cancrum pulicem (Syſt. nat. I, 10, 5). Hoc ſcientes Groenlandi in aquam dytiſcis infectam cancros pulices immittere ſolent, quo facto ſe inuicem occidunt, et aqua purgatur.

139. TENEBRIO FOSSOR.

Tenebrio alatus piceus, tibiis anticis palmato-digitatis.

Tenebrio foſſor, Syſt. nat. I, 675. Faun. Suec. 817. Müll. prodr. 793.

GROENL. *Siutiſiortok.*

DESCR. Longitudo $4\frac{1}{2}$ lin., latitudo $1\frac{1}{2}$ lin. — Corpus oblongum, planiuſculum. Caput et thorax exacte nigri; elytra autem et abdomen fuſceſcunt. Linea longitudinalis profundior in medio thoracis. Palpi et pedes exactius ferruginei; antennae vero magis nigricant, moniliformes, 11 articulis conſtantes. Oculi albicant. Alae albae. Reliqua vt in Faun. Suec. l. c.

HABI-

HABITAT in terra non infrequens, etiam hieme in domibus groenlandicis obuius.

Dicunt Groenlandi, illum aures hominum ingredi, periculosum satis, vnde eius nomen groenlandicum, quod significat *aures frequentantem*; expellitur autem oleo phocarum.

140. STAPHYLINVS BALTEATVS.

Staphylinus niger, pubescens fasciis cinereis; Müll. pr. 1114.

Staphylinus maxillosus, Syst. nat. I, 683. Faun. Suec. 341. Act. Nidr. III, 403. von Würm. p. 146. n. 48. Faun. Frid. 222.

Jöt-oxeun, Jatte-Stud, Ol. 600.

GROENL. *Tipitok.*

DESCRIPTIO data Act. Nidr. l. c. optime conuenit. In exemplari meo abdominis duae vltimae incisurae inferne murini coloris.

HABITAT sub lapidibus minus frequens.

141. STAPHYLINVS FVSCIPES.

Staphylinus niger, elytris tibiisque fuscis.

Staphylinus fuscipes, Syst. nat. I, 685. Faun. Suec. 857. Atl. Dan. 678. n. 7.

GROENL. *Pikſikſak.*

DESCR. Pediculo paulo maior. Nigra sunt caput, pectus, femora et abdominis pars superna, infra enim hoc magis fuscescens. Thorax fere circularis, etiam niger; sed margines laterales pallescentes. Elytra fusca. Antennae, palpi et tibiae flauicantes. Anus albicat. Alae albae. Est fere linearis.

Hunc semel tantum vidi in domo groenlandica.

142. STA-

142. STAPHYLINVS LIGNORVM.

Staphylinus fuſcus, elytris, ſutura, abdomine pedibusque ferrugineis.

Staphylinus lignorum, Syſt. nat. I, 684. Faun. Suec. 848. Müll. prodr. 1120.

GROENL. vt antecedens.

DESCR. Praecedenti ſimilis, ſed minor. Elytra tota, anus, pedes, antennae, palpi, et tota inferior pars fulua, reliquis nigris — Alae albae. — Scutellum minutiſſimum. Abdomen ſubouatum ano acuto. Puncta duo excauata in thorace non obſeruaui.

HABITAT in domibus groenlandicis, de lignis putridis tecti frequenter decidens.

143. PAPILIO TVLLIA.

Papilio alis rotundatis flauis, ſubtus faſcia vndata alba, margineque poſteriorum ocellis ſeptem.

Papilio Tullia, Müll. prodr. 1319. Faun. Frid. 332.
Gebbe Schmetterling, Cr. 105.
Kaupmans - Fidrilde, Ol. 602.?

GROENL. *Sullernek;* larua *Kugluiak.* Quae nomina comunia habet cum ſequentibus phalaenis.

DESCR. Inter mediocres numeranda, vix 9 lineas longitudine ſuperans. Corpus brunneo-nigricans; thoracem tamen caputque veſtiunt pili magis brunnei nitidi. Oculi pallide teſtacei. Antennae obſcuriores claua albicante. In fronte criſtae 2 erectae, ſub oculis radicatae, compreſſae, piloſae fuluo-flauicantes, pro palpis habendae. Lingua ſpirilinguis fulua, pedibus concolor; femora tamen media nigricantia. Pedes antici minutiſſimi, ſemper attracti ſub pectore latent: hinc tetrapus. Alae erectae,

erectae, integrae, rotundatae. Primores angulo summo prolongatiores inferioribus, supra aureae, basi, venis, marginibus, et maculis nigris, quae maculae mediae quadrangulares, posticae triangulares; marginem posticum cingunt cilia alba nigraque alternatim per maculas dispositа; — infra aureae, maculis rarioribus nigris linearibus vel virgatis, parte prolongata flauae mixtura fulua, et maculis fuluis quibusdam marginalibus. Secundariae magis rotundatae, et angulo postico longiores: supra primoribus fere concolores, basis tamen nigra in his amplior et totum tractum inferiorem occupat, maculae nigrae etiam pauciores; infra vero ex fuluo, flauo alboque varie mixtae. Basin occupat quinquefolium fulvum, maculis 2 albis oblongis insignitum; hoc cingit fascia maior alba 3-foliata *), reliquo ex flauo fuluoque sine ordine mixto vsque ad marginem posticum, qui maculis 7 albis subquadratis cingitur.

HABITAT in interioribus tractibus graminosis sinuum, iuxta riuulos raro obuia mense Iulio.

144. PHALAENA GRAMINIS.

Phalaena Bombyx spirilinguis, alis depressis griseis, linea trifurca punctoque albidis.

Phalæna graminis, Syst. nat. I, 830. Faun. Suec. 1140. Müll. prodr. 1376. Faun. Frid. 375.

Huius tantum laruam nigram pulcre lineatam vidi **). Magna copia anno 1772 omne gramen consumsit in sinu dicto *Angmakſivik* e regione boreali coloniae Friderichshaab. Omni consumto, se in mare et aquas propinquas plures

*) Hanc fasciam pro fascia vndata Müll. l c habui; in quo si erro, mea auis alia euadit et sine dubio hactenus ignota.

**) Paucas etiam alias larvas conspexi, quas, quorsum sint referendae incertus, praetereo.

plures praecipitarunt. Groenlandi illos faſtidientes, dum tentoria illorum intrant metamorphoſeos gratia, pellere conantur incendio graminis, illis nulli vſui.

145. PHALAENA LVCERNEA.

Phalaena noctua ſpirilinguis laeuis, alis cinereis immaculatis, ſtrigis tribus repandis albidis, collari bifido.

Phalæna lucernea, Syſt. nat. I, 837. Faun. Suec. 1152.

Lios-Fluga, Ol. 60.

HABITAT in domibus minus frequens.

146. PHALAENA BRASSICAE.

Phalaena noctua ſpirilinguis criſtata, alis depreſſis cinereo-nebuloſis, vnco nigro ſupra maculam priorem.

Phalæna Braſſicæ, Syſt. nat. I, 852. Faun. Suec. 1205. Müll. prodr. 1414. Faun. Frid. 403.

DESCRIPTIONEM vide in Faun. Suec. Mea puncta 4 alba marginalia habebat.

Vnicum exemplar mihi obuium fuit in habitaculo meo: igitur de loco eius haereo; forſitan de hortulo meo cum braſſica fuit introductum.

147. PHALAENA MYRTILLI.

Phalaena noctua ſpirilinguis criſtata, alis griſeis albo-variis, inferioribus antice albis poſticeque nigris.

Phalæna myrtilli, Syſt. nat. I, 853. Faun. Suec. 1168.

Paucas vidi in vaccinio vliginoſo.

148. PHA-

148. PHALAENA DEPVNCTA.

Phalaena noctua ſpirilinguis criſtata, alis griſeſcentibus lituris marginalibus nigricantibus, ſtrigaque poſtica punctata.

Phalæna depuncta, Syſt. nat. I, 858. Faun. Suec. 1214.

Punctum ſub alis nigrum non obſeruaui; reliqua cum Faun. Suec. l. c. conueniunt.

149. PHALAENA TRISTATA.

Phalaena geometra ſeticornis, alis omnibus nigris albo ſubundatis, faſciis duabus albis undatis nigro punctatis.

Phalæna triſtata, Syſt. nat. I, 869. Faun. Suec. 1277. Müll. prodr. 1465. Faun. Frid 440.

HABITAT in betula nana et aliis fruticibus montanis, numeroſa ſatis.

150. PHALAENA HASTATA.

Phalaena geometra ſeticornis, alis omnibus nigris albo maculatis, faſciis duabus albis immaculatis haſtato-dentatis.

Phalæna haſtata, Syſt. nat. I, 870. Faun. Suec. 1276. Müll. prodr. 1470.
Gras-Fidrilde, Ol. 602.?

Frequenter obuia menſibus Iunio et Iulio in graminibus et muſcis montanis, praecedentis ſocia, cui ſimilis, ſed maior.

151. PHALAENA VNCANA.

Phalaena tortrix, alis fuſcis margine exterio-

re albido, medio ramum recuruum album introrſum exſerente.

Phalæna vncana, Syſt. nat. I, 875. Faun. Suec. 1305. Müll prodr. 1495. Faun. Frid. 455.

HABITAT inter frutices ad ripas riuulorum.

152. LIBELLVLA VIRGO.

Libellula alis erectis ſubfuſcis puncto marginali albo, corpore viridi-coeruleo.

Libellula virgo, Syſt. nat. I, 905. n. 20. γ. Faun. Suec. 1470, γ. Müll. 1638, b. Faun. Frid. 552, γ.

GROENL. *Tukturſak.*

Hanc ſemel vidi ad riuulum inſulanum.

153. PHRYGANEA RHOMBICA.

Phryganea alis flaueſcentibus deflexo-compreſſis, macula rhombea laterali alba.

Phryganea rhombica, Syſt. nat. I, 909. Faun. Suec. 1486. Müll. prodr. 1659. Faun. Frid. 562.

Act. Nidr. IV. 55. tab. XVI. f. 18.

GROENL. *Sullernek.*

DESCRIPTIO, quae habetur in Faun. Suec. l. c. optime conuenit; quae autem in Act. Nidr. l. c., minus bene: in mea enim thorax non ſanguineus, ſed reliquo corpori concolor, ſubfuſcus, abdomine cum pedibus magis teſtaceo. Alae poſticae aqueae immaculatae.

HABITAT ad aquas non infrequens.

OBS. Ad hoc genus referenda eſt (ſenſu Linnaeano Syſt. nat. 908 in nota ſubiecta,) larua, intra tubulos cylindricos mobiles ex mica arenaque conſtructos habitans.

Ugg v. *Vaskalv*, Ström, I, 212. n. 3. Bom. VIII. 270.
Sprok, Atl. Dan. 690.

GROENL. *Polik.*

Eſt larua ipſa cum tubulis ſuis vix 8 lineis longior, et $1\frac{1}{2}$ lin. craſſa, antica parte magis cruſtacea, fuſcaque, poſtica vero mollior albaque, pedibus 6 breuibus, et maxillis forcipatis, capiti concoloribus inſtructa.

Numeroſam vidi tam vernali tempore in limo aquarum, quam hiemali ſub glacie in fundo riuorum, praecedentem tubulum ſuum poſt ſe trahentem. Inde ſuſpicor, phryganeam quandam tempore autumnali in aqua oua ſuo depoſuiſſe, origines huius laruae, habitaculum ſuum fluore bituminoſo ſibi proprio conſtruentis. Vix tacta tubulum intra ſe retrahit.

Aeſtiuo tempore domicilium ſuum relinquit magis declarata aptera, libera, agilis in aqua velociter ſatis circumnatans, forſitan tamen non niſi pro pupa ſemicompleta imaginis cuiusdam habenda, licet metamorphoſin vlteriorem fruſtra exſpectauerim.

Multa ſimilia tunc habet cum inſecto aquatico *Knibe* Pont. II, 80. c. fig. et cum *ſquillis aquaticis* Ionſt. inſ. tab. XXVII, praeſertim fig. 2; ſed eſt multo minor et in variis diuerſa. Anne *Vaskottur* Ol. 601?

GROENL. *Pamiortok.*

DESCR. Long. 9 lin., lat. 2 lin.; dantur tamen minores, maioresque. Corpus articulare, elongatum, ſupra conuexiuſculum, infra ſubcanaliculatum lateribus deflexis, antice latius, verſus poſtica ſenſim gracilius. Praeter caput conſtat articulis ſ. ſquamis dorſalibus imbricatis vndecim, quarum 1 reliquis longior, 2 et 3 ſequentibus vix longiores, 4 et 5 breuiſſimae, 6 - 9 longiores et fere aequales: hae 9 dorſum tantum veſtiunt, abdomine molliori inciſuris transverſis tantum notato; ſed ſquamae 10. 11 cylindricae,

ambientes, vltima magis attenuata, caudam efficiunt, terminatam setis 2 rectis longitudine fere caudae ipsius. Caput corpore paulo angustius, planiusculum, ore maxilloso, et papillis 4 articularibus breuibus, inferioribus breuissimis. Oculi laterales minuti tuberculati capiti concolores. Pedes 6 mediocres (posticis longioribus,) graciles, hirti, aculeis 2 longis terminati, sub pectore contigui. Tota fusca.

Per totam aestatem occurrit in aquis montanis in consortio Dytisci marginalis; alia insecta in superficie aquae obvia de fundo agiliter ascendens maxillis suis validis prehendit consumitque voracissima.

Tam larua quam magis declarata salmoni riuali, vt esca praecipua, inseruit. Anne potius larua et pupa Ephemerae cuiusdam? Cf. *Dognflue* Bom. II, 53.

154. ICHNEVMON MODERATOR.

Ichneumon niger, abdomine petiolato compresso, ore palpato, pedibusque pallidis, aculeo corpore subbreuiore.

Ichneumon moderator, Syst. nat. I, 935. Faun. Suec. 1617. Müll. prodr. 1815. Faun. Frid. 617. *Stechfliegen*, Cr. 105.

GROENL. *Kiktoriak* v. *Kiktorejak*.

DESCRIPTIO ichneumonis moderatoris ll. cc. obvia non quidem in omnibus quadrat, nec tamen alia magis. Primo illum pro ichneumone manifestatore habui; (cf. Müll. prodr. 1809.) sed hoc deinde viso per comparationem aliter conuictus sum. An igitur sit ichneumon groenlandicus hactenus ignotus, determinabit descriptio sequens. Longitudo 6 linearum absque aculeo, qui abdomine vix longior. Thorax notatur sulcis 2 lateralibus postice in angulum fere coeuntibus. Palpi longiusculi, setacei, articulati. Antennae thorace longiores erectae, setaceae

ſetaceae ex annulis minutis compoſitae, apice curuatae, baſi clauatae. Abdomen petiolatum, ſubfalcatum, fere cylindricum, apice tamen acuminato. Vaginae aculei flexiles conglomerari poſſunt. Alae erectiuſculae, hyalinae venis ferrugineis, et macula nigra ad coſtam. Pedes ſatis longi. Tibiae ſubtus terminantur aculeis duobus, femora baſi clauata. Color capitis thoracisque niger, abdominis vaginarumque ater, aculeo intermedio obſcure ferrugineo; antennarum, oculorum ſtemmatumque fuſcus; pedum pallide ferrugineus, ſed baſes clauatae femorum antennarumque nigerrimae glabrae. Variat alter ſexus non aculeatus 2 lineis frontalibus et maxillis flauicantibus.

HABITAT paſſim in ſinubus, imprimis in empetro nigro menſe Iunio obuius, non tamen numeroſus. Alas ſuas erigens continuo motitat abdomenque incuruat.

155. APIS ALPINA.

Apis hirſuta nigra, thorace antice poſticeque abdominisque baſi flauis.

Apis alpina, Syſt. nat. I, 962. Faun. Suec. 1719.
Humle, Eg. 36. Cr. 105.
Apis fragrans, Pall. It. Ruſſ. I. app. p. 22.?

GROENL. *Egytſak.*

DESCR. Fateor, deſcriptionem Apis alpinae l. c. non in omnibus quadrare; nec tamen ob differentiam vilem vnicae tantum a clar. Linnaeo lectae, nouam ſpeciem fingere lubet. Plures a me viſae toto corpore hirſutiſſimae, ſubtus tamen pilis rarioribus et lateribus pedum valde compreſſis nudae erant, inter maiores numerandae, long. 13 lin. et lat. $5\frac{2}{3}$ lin. Nigra ſunt: tota inferior pars corporis, caput, antennae et cingulum thoracis inter alas. Flaua ſunt: reliquum thoracis, et dimidium anticum abdominis. Reliquum abdominis quidem

nigrum; si autem recte attendatur, pili flaui nigris intermixti sunt, praesertim ad margines incisurarum fascias obsoletas formantes. Anus posticae parti concolor. Tarsi luteo tincti. Oculi fuscescentes. Aculeus oris ferrugineus. Antennae fractae, fractura superiore minore integra, inferiore longiore 11 partibus minoribus constante. Alae breues sulcatae sulaescentes venis obscure ferrugineis.

HABITAT passim, in sinubus frequentior, mel suum ex plantis sedulo sub stridore colligens in fauos suos subterraneos, vbi hibernat. Groenlandi mel eius inuentum fugere solent, nec tamen magni habent.

156. TIPVLA RIVOSA.

Tipula alis hyalinis, riuulis fuscis maculaque niuea.

Tipula riuosa, Syst. nat. I, 971. Faun. Suec. 1758. Müll. prodr. 1944. Faun. Frid. 664.
Tipula maxima, Ol. 603?

GROENL. *Tukturſak.*

DESCR. Inter maximas numeranda, 11 lin. longitudine plerumque tenet; mas tamen paulo minor. Color totius corporis cinereo-fuscus, sed a tergo thoracis linea tenuissima media et arcus lateralis longitudinales testaceae; latera thoracis ante alas etiam testacea. Oculi nigri. Antennae breues nigricantes pectinatae, constantes 13 articulis cylindricis basi setis 4 breuibus cinctis. Palpi breues nigricantes articulati 8 articulis, quorum 4 extimi tenuiores, reliqui a basi ad medium sensim crassiores, quarto fere monstrose incrassato. Caput paruum petiolatum rostrum fert capite longius cylindricum, supra terminatum acumine medio prominente proboscidem inferiorem tegente. Thorax gibbus subtomentosus pilis cinereis, qui etiam in capite, rostro, pectore et basibus femorum praesertim ad incisuras conspiciuntur. Abdomen laeue cylin-

cylindricum elongatum, octo - articulatum. Supra anum proſtant vaginae 2 teſtaceae compreſſo - ſerratae, ſurſum arcuatae, quae membra genitalia. Alae patentes abdomine ſublongiores, exalbidae venis et riuulis fuſcis modo in Faun. Suec. l. c. indicato procedentibus; potius tamen dicerem maculas 2 obſolete fuſcas ad coſtam et totidem in medio alarum; praeterea maculae dantur circiter 5 niueae in ſingula ala *): ſc. 3 minores ad coſtam, 1 paulo maior lunata in medio, et 1 maxima ſub ramificatione fuſca, baſi marginique interiori propior. Halteres fuſceſcentes apice albido. Pedes longiſſimi, poſticis corpore fere duplo longioribus. Omnes teſtacei geniculis tarſisque nigricantibus. Sic *foemina*.

Mas differt abdomine magis teſtaceo, breuiore, ano obtuſo, antennis palpisque longioribus. Articulus incraſſatus palporum in illo minus monſtroſus. Antennae magis pectinatae, ſetae enim articulorum longiores, et ſingulus articulus latere inferiore dupliciter, baſi ſcilicet medioque, tuberculatus. exceptis tamen 2 infimis et extimo, qui ſimplices.

HABITAT frequens ſatis menſibus aeſtiuis in littoribus graminoſis riuorum.

Miro gradu coitum appetentem vidi: poſt plures enim dies foemina acu transfixa et pro mortua habita, ob maris viui etiam transfixi penem fortuito tangentem, po-

 ſtica

*) In Syſt. nat. et Faun. Suec. ll. cc. de vna tantum macula memoratur; ſed ſine dubio maxima ſub ramificatione intelligitur, reliquis minoribus neglectis: ſynonyma igitur ex Raj. inſ. et Act. Upſ. in Syſtemate allata magis quadrant. Forſitan tamen groenlandica ob maculas niueas ſparſas ad Tipulam hortorum Syſt. nat. 6. referri debet, quod ex deſcriptione, quam igitur magis completam dedi, eruditioribus facile elucebit; obſtare tantum mihi videntur maculae obſcurae marginales, quibus Tipula hortorum Faun. Suec. 1741. carere dicitur.

ſtica ſua mouendo libidinem ſuam ſatis indicauit, ceteris partibus immobilibus *).

157. TIPVLA REGELATIONIS.

Tipula alis hyalinis nitentibus, corpore cinereo-fuſco.

Tipula regelationis, Syſt. nat. I, 973. Faun. Suec. 1754. Müll. prodr. 1962. Faun. Frid. 678.

Vængdila-fluga, Ol. 603?

GROENL. *Ytsukpalluak.*

HABITAT in habitaculis Groenlandorum, frequens ſub vaſis aquariis in terra humida; alibi non vidi.

158. TIPVLA MONOPTERA.

Tipula nigra, pedibus palpisque pallidis.

Tipula monoptera, Syſt. nat. I, 973. Faun. Suec. 1756. Müll. prodr. 1964. Faun. Frid. 679.

GROENL. *Umarſoroluk.*

HABITAT inter culices menſibus Iulio et Auguſto frequens. Hieme etiam in domibus groenlandicis occurrit. Menſe Octobri foemina acu perfoſſa peperit catenam ouorum 20 alborum cylindricorum.

159. TIPVLA PENNICORNIS.

Tipula antennis bipectinatis, corpore atro, halteribus albis.

Tipula pennicornis, Syſt. nat. I, 979. Faun. Suec. 1777. Müll. prodr. 1978. Act. Nidr. IV, 353.

GROENL. vt antecedens.

DESCR. Eſt omnium facile minima, antennas habens villoſiſſimas, quas gerit vt plumulas albidas rachi nigra.

*) Inde forte deduci poſſet, vitalitatem inſectorum in partibus genitalibus diutius durare; habui etiam Phalaenas poſt aliquot dies in acu adhuc parientes.

nigra. Alae albae pellucidae. Pedes fuſco-nigricantes longi. Reliqua vt in Act. Nidr. l. c.

HABITAT cum praecedentibus frequens, praeſertim circa veſperam choreas agens.

160. TIPVLA ATRA.

Tipula thorace gibbo atro, pedibus poſticis magnis.

Empis pennipes, Faun. Suec. 1896. β.
Den ſorte Myg, Ström, I, 191. n. 4.

GROENL. vt antecedens.

DESCR. Varietate pennipede Faun. Suec. l. c. α. memorata nunquam viſa, hanc potius inter Tipulas ob palpos articulatos referam, neque omnino certus, an reuera eadem cum citata. Talis erat mea: Magnitudine fere Monopterae. Caput minutum nutans. Thorax gibbus, laeuis. Abdomen cylindricum 10 annulis conſtat. Alae deflexae vt in phalaenoide, ſed magis elongatae, albae, ſupra diſtantes lineam dorſi nudam relinquunt. Pedes longiſſimi, praeſertim poſtici, qui etiam reliquis craſſiores. Antennae moniliformes ſubpectinatae, breves, retrorſum curuatae. Palpi 3-articulati, deorſum flexi. Oculi obſcure brunnei. Halteres cineraſcentes. Tota nigerrima.

HABITAT cum praecedentibus.

161. MVSCA STERCORARIA.

Muſca piloſa griſea, hirta, alis puncto obſcuriore.

Muſca ſtercoraria, Syſt. nat. I, 996. Faun. Suec. 1811, Müll. prodr. 2071. Faun. Frid. 744.
Skarnfluen, Ström. I, 168. n. 3.
Sekretfluen, *Mögfluen*, Bom. VII, 126.

GROENL.

GROENL. *Annariak.*

HABITAT in ſtercore, minus frequens.

162. MVSCA SCYBALARIA.

Muſca piloſa rufo-ferruginea, hirta, alis puncto obſcuriore.

Muſca Scybalaria, Syſt. nat. I, 996. Faun. Suec. 1860. Müll. prodr. 2069. Faun. Frid. 743.
Anariak, Gl. 94.
Mykefluga, Ol. 605.

GROENL. vt antecedens; larua *Pamiortok.*

DESCRIPT. Parum differt a deſcriptione Faun. Suec. l. c. Anaſtomaſin enim obſcuram in alis duplicem vidi: alteram in medio minorem magisque nigricantem; alteram exteriorem marginique inferiori propiorem, quae longior transuerſalis, ſed magis ferruginea. Alae nitentes flauicant, praeſertim ad baſin et coſtam, quae ſubtiliter ſerrata retrorſum. Frons ſaturatius rufo-, pedes thoraxque ferrugineo-flauicantes; abdomen obſcure flauicat magisque pubeſcens. Pili nigri non tantum ad os, ſed etiam in capite, thorace, pedibus. Oculi nigricantes. Antennae ferrugineae ſeta laterali nigra. Totum corpus alias hirſutiſſimum lanugine flauicante.

HABITAT cum praecedente magis frequens. Parit in ſtercore humano.

163. MVSCA CLOACARIS. *

Muſca piloſa, hirta, thorace griſeo, abdomine atro, alis impunctatis.

GROENL. vt antecedens.

DESCRIPT. Stercorariam refert, ſed minor. Tota quidem hirta, ſed praecipue abdomen pedesque lanu-

lanugine griſeſcente tecti; pili rariores nigri in thorace, capite, pedibus. Latera thoracis et pectus fere nuda, atra. Caput ſupra griſeum, fronte fulua et ore albido. Oculi ferrugineo-fuſci ſuperciliis eleuatis. Antennae fuſcae ſeta nigra laterali. Thorax gibbus griſeus, ſcutello nigricante. Abdomen breue cylindricum, gracile, atrum, 7-articulatum, tribus vltimis articulis inflexis minutis. Pedes longi, praeſertim poſtici, (hinc inceſſus altus dorſo incuruato,) fuſco-ferruginei, femoribus nigris. Alae, quas gerit vt Scybalaria, hyalinae nitentes, baſi coſtaque vix flauicantibus. Nullum hic adeſt punctum obſcurius, licet venae ſatis ſint notabiles. Coſta vix notabiliter ſerrata.

HABITAT cum praecedentibus, rarius in domibus groenlandicis.

164. MVSCA RORALIS.

Muſca piloſa aterrima.

Muſca roralis, Syſt. nat. I, 993. Faun. Suec. 1846. Müll. prodr. 2060. Faun. Frid. 739.

GROENL. *Niviugak.*

DESCR. Tota atra glabra, thorace tamen, capite pedibusque magis nigris, minusque glabris. Antennae ſeta ſimplici laterali nigrae. Oculi brunnei. Corpus piloſum, praeſertim in abdomine pedibusque. Frons quidem nigra; ſed certo reſpectu candida apparet, quaſi membrana diaphana tecta. Halteres nigri; ſquamae autem halterum duplicatae magnae albae, marginibus ciliatae. Alae aqueae ſubnitentes, venis ſubteſtaceis, coſta vix ſerrata. Statura et magnitudine fere refert domeſticam, ano tamen magis acuminato.

HABITAT inter frutices. In hortulo coloniae etiam ſuper olera illam reperi.

165. MV-

165. MVSCA VIVAX. *

Muſca pubeſcens atra nitens; abdomine ſubtus lamella, ſupraque faſciis, argenteis laeuigatis.

GROENL. *Milluiarſuk.*

DESCR. Inter minimas numeranda eſt, vix $2\frac{2}{3}$ lineas longitudine ſuperans. Corpus pubeſcens lana rara albida, atrum glaberrimum, laminae ferreae pice obductae concolor, certo reſpectu ex viridi nitens; abdomen vero ſubtus obducitur lamella argentea nitente, nec tamen ibi caret notis inciſurarum, et ſupra notatur faſciis 4 liuido-argenteis ad inciſurarum marginem anteriorem, quarum priores medio ſubinterruptae. Antennae ſeta laterali ſubferrugineae. Oculi brunnei. Pedes fuſci, combinatura femorum tibiarumque ferruginea. Alae hyalinae aeneo-viridi nitentes, venis fuſcis et macula oblonga teſtacea ad coſtam. Statura refert ichneumonem minorem, abdomine ouato-acuto, antice attenuato, poſtice acuminato, 6 articulis conſtante.

HABITAT paſſim in floribus, viuaciſſima. Continuo volitat ſaliendo cadendoque alis vibratis, quaſi florem ſcrutans, antequam illi ſe committit.

166. VOLVCELLA MORTVORVM.

Volucella piloſa, thorace nigro, abdomine viridi.

Muſca mortuorum, Syſt. nat. I, 989. Faun. Suec. 1830. Faun. Frid. 729.
Volucella mortuorum, Müll. prodr. 2100.
Fluer, Eg. 36.
Schmeisfliegen, Cr. 105.

GROENL. *Niviugak*; larua *Koperdluk*: quae nomina communia habet cum ſequentibus volucellis.

DESCRIPT.

DESCRIPT. Antennae fuſcae pluma laterali nigra. Oculi brunnei. Caput nigrum fronte oreque brunneis, ſed certo reſpectu candidis apparentibus, ceu membrana diaphana obductis. Thorax pedesque nigri. Abdominis articulus penultimus viridis, reliqui coeruleo-aenei, nitentes. Ceterum ſequenti ſimilis, ſed maior.

HABITAT numeroſiſſima in cadaueribus, praeſertim in carne phocarum ſuper rupes exſiccanda, vbi oua ſua parit; larua deinde carnem conſumente: hinc Groenlandis admodum noxia, quibus curae eſt, laruas ouaque iugiter perdere.

167. VOLVCELLA VOMITORIA.

Volucella piloſa, thorace nigro, abdomine coeruleo-nitente.

Muſca vomitoria, Syſt. nat. I, 989. Faun. Suec. 1831. Faun. Frid. 730.
Volucella vomitoria, Müll. prodr. 2101.
Spicflue, Bom. VII, 545. Ström, I, 168. n. 7.
Madka-fluga, Ol. 605.

DESCRIPTIO conuenit cum Faun. Suec. et Bom. ll. cc.

HABITAT cum praecedente aeque frequens et noxia.

168. VOLVCELLA CAESAR.

Volucella piloſa viridi-nitens, pedibus nigris.

Muſca Cæſar, Syſt. nat. I, 989. Faun. Suec. 1828. Faun. Frid. 727.
Volucella Cæſar, Müll. prodr. 2098.

Hanc, ni fallor, cum praecedentibus vidi, licet illis multo rariorem.

169. VOLV-

169. VOLVCELLA LAPPONA.

Volucella ſubtomentoſa nigra, abdomine faſciis tribus ſubinterruptis luteis, ano pedibusque fuluis.

Muſca lappona, Syſt. nat. I, 983. Faun. Suec. 1794. Act. Nidr. IV, 353.
Volucella lappona, Müll. prodr. 2092.

GROENL. *Milluiarſuk.*

DESCRIPTIO conuenit Act. Nidr. et Faun. Suec. ll. cc.

HABITAT cum Sp. 165. minus frequens.

170. TABANVS GROENLANDICVS. *

Tabanus oculis fuſcis, ſcutello ferrugineo, abdominis lateribus fuluis et bis tribus arcubus dorſalibus fuluo-albis.

Randa-fluga, Ol. 605 minor?

GROENL. *Milluiak.*

DESCRIPT. Tenet longitudinem $5\frac{1}{2}$ lin. et 2 lin. latitudinem; ſic inter minutos numerandus. Oculi ex fuſco virescentes maximam partem capitis occupant, vertice interſtitium minutum tantum relinquentes, quod nigrum, et vt totum corpus pubeſcens. Stemmata albida. Frons alba membranacea pubeſcens, roſtrum vero ipſum nigrum glabrum. Antennae breuiſſimae obtuſae fuſceſcentes. Thorax reliquis pubeſcentior niger, lana flaua tectus, lineis 4 albis longitudinalibus notatus, quarum 2 mediae notabiliores, 2 autem marginales minus viſibiles. Scutellum teſtaceo-ferrugineum. Abdomen ſatis depreſſum, nigrum, glabrum (praeſertim ſubtus), 5-articulatum, ſupra in 2-4 articulis vtrinque arcus albus, qui in tertio articulo baſin lateralem habet ful-

fuluam, itidem in fecundo, fed latiorem, vt vix apex albus innoteſcat; ſubtus latera antica fulua, poſtica vix flauicant et margines articulorum albicant. Pedes nigri genubus et tibiarum parte ſuperiore fuluis, tarſis poſticis ſubtus flauicantibus. Alae hyalinae, macula teſtacea ad coſtam minus notabili. Halteres albidi. Squamulae flavicantes, margine ciliis longis. Facies omnino Tabani, ſed palpi, qui fului, minus notabiles.

HABITAT in floribus, praeſertim leontodontis taraxaci et potentillae aureae, menſibus Iunio et Iulio, in ſinubus interioribus obuius, non tamen numeroſus. Sub volatu ſtridorem edit vt apis, diuque in aere vibrare ſolet antequam flori ſe committat.

171. CVLEX PIPIENS.

Culex cinereus, abdomine annulis octo fuſcis.

Culex pipiens, Syſt. nat. I, 1002. Faun. Suec. 1890. Müll. prodr. 2144. Faun. Frid. 772.
Myg, Eg. 36. Ström, I, 191. n. 2. Gmel. I, 199. Bom. V, 481.
Mükken, Cr. 105. Horr. 277.
Mebenk, Pont. II, 77.
My, Ol. 712.
Zhiuoik, Leem, III, et not. 19.
Myggor v. *Tjueika*, Högſtr. 362. c.
Muſquetoes, Kalm II, 268.

GROENL. *Epernak* v. *Eperngak*; larua *Erkiſavak*.

DESCR. Exemplaria, quae poſſideo, omnia margine tenuiore et venis ſuperioribus alarum ciliata ſunt, vnde concluderem eſſe culicem ciliarem Syſt. nat. n. 2. ſed cetera non quadrant. Habent enim mea, vt pipiens, zonas nigricantes cinereasque alternas in abdomine; thoracem nigrum pilis cinereis hirſutum, etiam ſubtus; pedes longos fuſco-cineraſcentes; antennas, palpos ro-

ſtrumque nigricantia. Minus probabiliter culex flauicans Müll. prodr. 2145 (quem eundem cum Linnaei ciliari eſſe putat,) huc pertinet. Alius igitur determinabit, quinam groenlandicus ciliatus. *) Perticeri non debet, quod in deſcriptione exemplaris viui, quam in Groenlandia moratus feci, nil de ciliis alarum annotatum reperio.

HABITAT magna copia menſibus aeſtiuis praeſertim in ſinubus interioribus, morſu ſuo moleſtiſſimus et venenoſus. Pluuia, frigore vel procella inſtante ſub ramis fruticum et in rimis rupium ſe condit, illis autem ceſſantibus cum calore prodit reuiuiſcens. Larua eius apus, viridis, in aquis continuo ſe curuando prodit.

Inſeruit cum larua ſua vt eſca frequentiſſima ſalmoni riuali.

172. CVLEX REPTANS.

Culex niger alis hyalinis, pedibus nigris annulo albo.

Culex reptans, Syſt. nat. I, 2003. Faun. Suec. 1893. Müll. prodr. 2149.
Mockere, Leem, not. 19.
Moſchi, Gmel. I, 202.
Knart v. *Maochis*, Högſtr. 362. c.

GROENL. *Unnuariak.*

DESCR. Differt annulis pedum 2 albis et fronte albicante. Reliqua vt in Faun. Suec. l. c.

HABITAT cum praecedente menſe Auguſto, circa veſperam maxime infeſtans.

173. CVLEX

*) Poſt haec ſcripta in Pall. It. Ruſſ. I. app. p. 23 legi deſcriptionem Culicis caſpii, quae meo optime omnium conuenit.

173. CVLEX PVLICANS.

Culex alis hyalinis maculis tribus obſcuris.

Culex pulicans, Syſt. nat. I, 1003. Faun. Suec. 1892. Müll. prodr. 2150.
Svidknot, Leem, not. 19.
Hya v. *Muciva*, Högſtr. 362. c.

GROENL. vt antecedens.

DESCR. Alae meorum punctis tantum duobus notatae; reliquis ſatis cum Faun. Suec. conuenientibus.

HABITAT cum proxime praecedenti, aeque irritans.

174. EMPIS BOREALIS.

Empis antennis filatis nigra, alis ſubrotundis fuſco-ferrugineis.

Empis borealis, Syſt. nat. I, 1003. Faun. Suec. 1895. Müll. prodr. 2143.

GROENL. *Epernak.*

Rariſſime conſpicitur.

175. PODVRA PLVMBEA.

Podura teres, fuſco-coerulea nitida.

Podura plumbea, Syſt. nat. I, 1013. Faun. Suec. 1930. Müll. prodr. 2163. Faun. Frid. 795.
Blyefarvige Springluus, Bom. VII, 554.

GROENLAND. *Irpſub-koma.*

HABITAT ſuper terram minus frequens.

176. PODVRA AQVATICA.

Podura nigra aquatica.

Podura aquatica, Syſt. nat. I, 1014. Faun. Suec. 1934. Müll. prodr. 2165. Atl. Dan. 698.

Vandloppe, Bom. VII, 555. et VIII, 363. Descr. vltima.

Vatsblaame, Ol. 607?

GROENL. *Ervngub-koma.*

HABITAT in ſtagnis.

177. PODVRA AMBVLANS.

Podura alba, cauda bifida extenſa obtuſa.

Podura ambulans, Syſt. nat. I, 1014. Faun. Suec. 1936. Müll. prodr. 2168. Faun. Frid. 796.

GROENL. *Irpſub-koma.*

HABITAT frequens in arena littorali ſub fungis nodoſis putridis; alibi mihi non obuia.

178. PODVRA PVSILLA.

Podura cylindrica aenea, furca alba.

Podura puſilla, Syſt. nat. I, 1014.

GROENL. *Pikſikſartok.*

HABITAT in parietibus domuum groenlandicarum ex terra lapidibusque confectis, ſolique obuerſis. Optime exſultans, vix obſeruanda.

179. PODVRA MARITIMA. *

Podura teretiuſcula verſus anum craſſior coeruleo-nigricans, abdomine albido.

Podura ambulatoria coerulea, cauda carens, Act. Hafn. IX. p. 582. Tab. V?

GROENL. *Imab-koma.*

DESCRIPTIO Strömii Act. Hafn. l. c. omnino quadraret, niſi quod illi tribuatur cauda furca carens, quod in mea non itidem. Furcam ipſam quidem non vidi, ſed

ſed de illa nullus dubito, dum inſectum bene ſatis ſaltare vidi. Erant viſae ſupra coeruleo-nigricantes, poſticis pallidioribus, ſubtus albidae. Aliae erant toto corpore pallidae, capite ſolo obſcure coeruleo.

HABITAT frequens ad littora ſuper aquam marinam in cauernis rupium aeſtu remanentem, vbi continuo ſalit, non tamen ſe ſubmergens. Sub fluxu maris litora petit, mare pacatum exſpectans.

180. PODVRA HVMICOLA. *

Podura fuſco-coerulea, antennis breuibus craſſis, corpore cylindraceo verſus anum craſſiore.

Podura viatica, Faun. Suec. 2320.?
Jordkrut, Bom. VII. 555.?
Blaamor, Ol. 607 (quae in viis obuia dicitur)?

GROENL. *Jrpſub-koma.*

DESCR. Praecedenti ſimilis, ſed multo craſſior et terreſtris, dum illa aquatica. Caput breue tereticuſculum, poſtice craſſius, antice terminatur roſtro acuminato ſubtus. Antennae breues vix capitis longitudine, craſſae, 4-articulatae, articulo extimo longiore tenuiore. Oculi 2 verticales, nigri, quales, inter quos punctum eleuatum. Corpus plano-teres, verſus poſtica craſſius, 9 habet inciſuras, quarum 1 breuiſſima vt collare, 2-5 longiſſimae, 6-8 latiſſimae, 9 analis minuta prolongata cono breui horizontaliter fiſſo, vbi anus; inciſurae maiores lateribus impreſſae, et in dorſo ad combinaturam ſuam 2 puncta eleuata habent, quae 2 lineas longitudinales formant. Pedes ſub tribus articulis anticis locati, breues, retro ſenſim longiores vngue ſolitario et baſi clauata. Furca breuis, ſub abdomine inflexa, ad inciſuram ſeptimam incipit baſi plana, et cruribus parallelis ſetariis pedes poſticos fere attingit; extenſa vix extra anum conſpicitur. Inter illam et pedes in abdomine

area eleuata, quasi sulcata. Vix lineam longitudine, et $\frac{2}{3}$ latitudine excedit. Color ex coeruleo et fusco mixtus, subtus et ad incisuras candidior. Quaedam fere rubicundae vix coeruleſcentes, rostro, abdomine pedibusque albicantibus. Totum corpus villosum lanugine breui.

HABITAT in humo sub lignis putridis et lapidibus cateruatim.

Raro salit, nec alte. Tarde incedit. Super aquam missa incedere quidem, licet difficulter, non vero salire potest, nec illic diu viuens: hinc aqua non elementum eius.

181. TERMES DIVINATORIVM.

Termes abdomine transuersim sulcato, ore fusco, oculis nigris.

Termes divinatorium, Müll. prodr. 2179.

DESCRIPT. Statura pediculi oblongi auium. Totum animal pallidum s. albicans, ore fusco, oculis nigris et ano obscuro. Caput conuexo-planum, subouatum, magnum satis, postice gibbosius, antice praecisum; sub capite sulcus longitudinalis; os anticum papillis s. maxillis 2 crassiusculis subclauatis; ad antica capitis antennae setaceae corpore sublongiores. Thorax oblongiusculus, antice angustior. Pedes 6 sub pectore, femoribus crassis, apicibus setaceis fere: 4 priores subaequales, 2 posteriores longiores. Abdomen subouatum postice angustius, supra infraque transuersim sulcatum sulcis 6 vel 8, et margine pilosum. Ad basin antennarum oculi notabiles satis, sed margini capitis contigui.

HABITAVIT in libris meis antiquis: hinc incertus sum, an extra Groenlandiam domi habeat.

Insectum viuacissimum, celerrime currit, solitarie vivit, saltem pauca in consortio. Si tangatur, momento locum mutat, vt electricum, se protrudendo non tamen saliendo.

182. PEDI-

182. PEDICVLVS HVMANVS.

Pediculus ſordide albidus, capite teretiuſculo, abdomine elliptico, limbo humiliore lobato.

Pediculus humanus, Syſt. nat. I, 1016 Faun. Suec. 1939. Müll. prodr. 2180. Faun. Frid. 798.
Pediculus manſuetus, Ionſt. inſ. 120.
Lauſen, Cr. 106.
Luus, Gl. 94. 192. Ol. 606.
Menniſke-Luus, Bom. V, 175.

GROENL. *Komak*; ouum *Erkek*.

HABITAT copioſiſſime in capite veſtimentisque Groenlandorum, morſu ſuo praeſertim exteris moleſtus: in veſtibus enim depoſitus diu famelicus exſpectans, ſi denuo corpus attingat, valde mordet. Videtur groenlandicus eſſe varietas: colorem enim habet plerumque rubro-fuſcum, forſitan de ſanguine obſcuriore incolarum.

Editur a Groenlandis vt delicatulus, et capitur ramento pellis canini vel vrſini ſub veſtimentis agitato.

183. PEDICVLVS CANIS. *

Pediculus albidus macula oblonga nigra, capite planiuſculo poſtice dilatato, abdomine ſubovato, margine ſerrato ſetoſo.

Pediculus canis familiaris, Müll. prodr. 2182.

GROENL. *Kemmib-koma*.

DESCR. Nec poteſt eſſe Acarus reduuius Syſt. nat. n. 3, nec acarus ricinus, ib. n. 7, qui alias, teſte Linnaeo, in canibus habitant: caret enim quarto pari pedum et antennis pediformibus; et tota ſtatura oſtendit, illum ad pediculos pertinere, pediculo humano non abſimilem, licet paulo minorem. Caput planiuſculum thorace

latius, poſtice dilatatum in lobum lateralem rotundatum, antice attenuatur in roſtrum ſubcylindricum linea nigricante laterali notatum. Oculi 2 magni nigri ſupra verſus thoracem. Antennae ante lobum lateralem locatae, longitudine pedum anticorum, fractae, parte extima craſſiore, antrorſum tendente. Thorax capitis longitudine, gracilior, integer, teretiuſculus, ſub quo pedes 6, vt in congeneribus ordinati, ſed longiores, extus incraſſati, apice ſummo tamen ſetaceo, 4 poſtici approximati, 2 antici capiti contigui. Abdomen magis ouatum ac in pediculo humano, ventricoſum, margine ſerratum, ſerris retro ſpectantibus, ſetoſis, reliquo corpore laeui albidoque, excepta macula oblonga nigra in medio abdominis ſupra infraque. Continet abdomen $\frac{3}{5}$ partes, caput thoraxque reliquas $\frac{2}{5}$ longitudinis totius.

HABITAT in canibus familiaribus famelicis et pullis tantum, copioſus ſatis.

Optime currit inter pilos; extra quos non ita.

184. PEDICVLVS STRIGIS.

Pediculus capite triangulari teſtaceo, abdomine oblongo lobato piloſo, diaphano, macula oblonga nigra.

Pediculus Strigis, Müll. prodr. 2189. Atl. Dan. 699. tab. XXX.

Ugle-Luus, Gl. 92.

GROENL. *Opib-koma.*

DESCRIPTIONEM vide Atl. Dan. l. c. quae cum figura optime conuenit quoad minores; maioribus autem caput, maculaque abdominalis rubicunda erant.

HABITAT in Strige nyctea, inter plumulas celerrime curſitans.

185. PEDI-

185. PEDICVLVS CORVI.

Pediculus pilosus cinereus, limbo nigro-arcuato, capite postice dilatato, abdomine ouali.

Pediculus corui, Syst. nat. I, 1018. Faun. Suec. 1950. Müll. prodr. 2190. Faun. Frid. 806.
Fugle-Luus, Bom. V, 181. (*Ravnens.*)

GROENL. *Tullukab-koma.*

DESCRIPTIO data Faun. Suec. l. c. quadrat, cui addenda sequentia: Magnitudo pediculi humani. Caput thorace latius, planum, cinereum nigredine cinctum, postice dilatatur in marginem rotundatum, acutum, album rostro attenuato apice albo. Oculi 2 minuti verticales nigri. Thorax integer cinereus, planus, vix capite longior, retrorsum latior. Pedes concolores apicibus nigris; ceterum vt in Pediculo canis. Abdomen ouale, reliquis latius, supra planum, infra ventricosum, margine integro acuto, cinereum, medietate pallidiore et vtrinque ad marginem 10 lunulis nigris transuersalibus, quae limbum nigrum formant, postica coeunte. Anus prominens, quasi bifidus. Totus pilosus setis longis albis, attamen glaber. Proportio partium vt in pediculo canis, sed pedes antennaeque multo breuiores.

HABITAT in coruo corace, viuaciſſimus, tenaciſſimusque.

Tempore procelloso Corax supra montes huius causa volitare creditur, vt se ab illo liberet.

186. PEDICVLVS CLANGVLAE.

Pediculus albicans linea obscura abdominali, capite obtuso, abdomine oblongo transuersim sulcato, margine setoso.

An *Pediculus Querquedulae*, Syst. nat. 20?

GROENL. *Kærtlutorpiarſub-koma.*

DESCR. Longitudo pediculi humani, multo vero anguſtior. Caput thorace maius, antice praeciſum; thorax breuis, gracilis: vterque ſetoſus. Antennae breviſſimae. Abdomen oblongum pluribus ſulcis transuerſis; ſeta ſolitaria marginali ad inciſuram ſingulam, et duae ceteris longiores caudales. Oculi antennis contigui. Pedes graciles. Color totius albicans, ſola linea obſcura longitudinali in medio abdominis. In reliquis a praecedentibus non multum differt.

HABITAT in anate clangula, viuaciſſimus; etiam acum erectum aſcendere valuit.

187. PEDICVLVS GRYLLE.

Pediculus niger faſciis albis, abdomine ouato.

Pediculus Colymbi grylle, Müll. prodr. 2206.
Kofu-Luus, Ol. 606.

GROENL. *Serbab-koma.*

Hunc ſemel tantum in Vria grylle inueni, et breuiter tantum, vt ſupra, in ſchedula deſcriptionis auis annotatum reperio. An ab islandico, qui in pullis tantum occurrit, (meus enim in vetere,) diuerſus?

188. PEDICVLVS BASSANI. *

Pediculus fuſcus capite rotundato, abdomine oblongo-ouato.

Pediculus Baſſani, Müll. prodr. 2193.

GROENL. *Kukſub-koma.*

DESCR. Facies et magnitudo formicae minoris. Totus fuſcus, ſ. ex brunneo nigricans. Caput paruum rotundatum; thorax gracilis; abdomen maximum fere ouatum. Pedes 6.

HABI-

HABITAT in Pelecano Baſſano.

Tam retrorſum quam antrorſum incedere valet.

Obſ. De Pediculo pelecani carbonis etiam memorant Groenlandi ſub nomine *Okaitſub-koma*, quem eundem eſſe cum deſcripto ſubſumo, non autem videre contigit.

189. PEDICVLVS LARI. *

Pediculus niger macula pallida abdominali, capite triangulari; abdomine ouato transuerſim ſulcato, margine crenulato lanuginoſo.

GROENL. *Najab-koma.*

DESCR. Magnitudo pediculi humani mediocris. Totus niger excepta macula abdominali ſupra infraque. Caput triangulare, ſupra planum, ſubtus concauum, marginibus acutis, antice acuminatum roſtro bifido. Antennae breuiſſimae capillares. Thorax breuiſſimus, anguſtiſſimus. Pedes breues ordinati vt in congeneribus. Abdomen ceteris partibus multo maius, ouatum, ſubtus carinatum, ſupra ſulcis transuerſis, marginibus crenulatis lanuginoſis. Anus parum prominet.

HABITAT in laro glauco, et quidem macro. In reliquis laris non vidi.

190. PEDICVLVS TRINGAE. *

Pediculus albus, puncto rubro abdominali, capite rotundo, abdomine ſuborbiculari.

GROENL. *Sargvarſub-koma.*

DESCR. Magnitudo capituli acus minoris. Antennae minutiſſimae capillares. Thorax oualis. Abdomen fere orbiculare. Totus planus albus, excepto puncto rubro in medio abdominis.

HABITAT in Tringa ſtriata.

191. PEDI-

191. PEDICVLVS HIATICVLAE. *

Pediculus murinus, capite triangulari, abdomine ſublineari.

Pediculus Charadrii, Syſt. nat. n. 26.?

GROENL. *Tukagvajuk-koma.*

DESCR. Magnitudine fere praecedentis. Totus planus murinus. Caput triangulare thorace latius, lateribus acutis. Antennae breuiſſimae, fere frontales. Thorax minutiſſimus, cui pedes inſident breuiſſimi, curui, capillares. Abdomen oblongum, fere lineare, margine acuto, latitudine capitis.

HABITAT in Charadrio hiaticula.

192. PEDICVLVS LAGOPI.

Pediculus pallidus limbo fuſco-faſciato, capite obtuſo, abdomine ſubouato, margine ſetoſo.

Pediculus lagopi, Syſt. nat. I, 1020. Faun. Suec. 1962. Müll. prodr. 2200.

GROENL. *Akeikſib-koma.*

DESCRIPT. Magnitudo pediculi humani minoris. Pediculo corui affinis. Caput antice parum attenuatum, roſtro tamen obtuſo, albidum fuſco cinctum. Oculi poſtici approximati brunnei. Antennae breues, filares, retro ſpectantes, biarticulatae. Thorax capite breuior, anguſtior. Pedes cineraſcentes. Abdomen ouato-oblongum, capite latius, $\frac{2}{3}$ corporis occupat, album margine fuſco, introrſum ſerrato, ſubtus albidum, ſupra medium abdominis ſulco in aream ſubouatam formatur. Totus depreſſus, glaber, margine ſetoſus. Pulli pallidiores.

Inter iam deſcriptos in eadem aue etiam vidi varietatem albam macula abdominali brunnea, licet aequae magnitudinis, in reliquis tamen ſimilem.

HABITAT in Tetraone lagopo, velociſſime currens.

193. PV-

193. PVLEX IRRITANS.

Pulex ater proboſcide corpore breuiore, capite laeui *).

Pulex irritans, Syſt. nat. I, 1021. Faun. Suec. 1965. Müll. prodr. 2208. Faun. Frid. 813.
Pulex, Ionſt. inſ. 123.
Loppe, Bom. V, 128.
Loppon, Kalm Am. II, 490.

GROENL. *Ukalib-koma*, *Pikſikſak*.

HABITAT copioſe in Lepore timido, non autem in hominibus vel domibus, vt recte dicitur Cr. 106. Idem de Lapponia teſtatur Linnaeus Faun. Suec. l. c.

194. ACARVS SIRO.

Acarus lateribus ſublobatis, pedibus quatuor poſticis longiſſimis, femoribus capiteque ferrugineis, abdomine ſetoſo.

Acarus ſiro, Syſt. nat. I, 1024. Faun. Suec. 1975. Müll. prodr. 2214. Act. Nidr. III, 430.
Oſt-midde, *Meelmidde*, Bom. V, 369.
Skab-orm, ib. VII, 197.
Krid-orm, *Ringorm*, Atl. Dan. I, 699.
Syro, Ionſt. inſ. 122.

GROENL. *Okok*; ſcabiei *Killib-Innua*.

HABITAT in veſicula ſcabiei Groenlandorum, qui, illum acu apte eximere ſcientes, mihi miranti, vt vivum animal incedentem oſtenderunt. En Groenlandos Entomologos!

Varie-

*) Sic illum determinare neceſſum habui: detexi enim in Noruegia ſuper *picum viridem* aliam ſpeciem pulicis albicantem nigro-faſciatam, cui caput auriculatum et anus appendiculatus, ciliatus, vulgari minorem.

Varietatem farinae quidem etiam in farina mea vidi: an vero in Groenlandia domi habeat, incertus ſum, dum Groenlandi farinaceis non vtuntur.

195. ACARVS CADAVERVM.

Acarus albus ouatus, ſetis raris, pedibus poſticis breuiſſimis.

Acarus cadauerum, Müll. prodr. 2230.
Fisk-Maur, Ol. 607. tab. XLIV.

GROENL. *Okok.*

HABITAT in ſiccatis, praeſertim piſcibus, Groenlandorum. Noxius ſatis. Praecedenti affinis.

196. ACARVS HOLOSERICEVS.

Acarus abdomine cordiformi tomentoſo, pedibus primis longioribus.

Acarus holoſericeus, Syſt. nat. I, 1025. Faun. Suec. 1979. Müll. prodr. 2216. Faun. Frid. 819.
Buſteluus, *Rödluus*, Act. Nidr. IV, 360. Bom. I, 486. Ström, I, 196.
Acarus coccineus, It. Oel. 84.

GROENL. vt antecedens.

Raro occurrit in terra ambulans.

197. ACARVS AQVATICVS.

Acarus abdomine ſanguineo depreſſo tomentoſo, poſtice obtuſo.

Acarus aquaticus, Syſt. nat. I, 1025. Faun. Suec. 1978. Müll. prodr. 2215. Faun. Frid. 818.
Rödluus, Ström, I, 196. n. 1.
Midde i ſtilleſtaaende Vande, Bom. V, 370.

GROENL.

GROENL. *Imak-boma.*

DESCR. Vix 1 lin. longus et $\frac{2}{3}$ latus. Corpus habet ſemiorbiculare antice parum anguſtatum et vtraque extremitate obtuſum, ſupra depreſſum, 4 lineis punctorum impreſſorum, mediis antice concurrentibus, (quod optime in macris, qui in riuulis exſiccatis occurrunt, obſeruatur;) margine laterali ſupra pedes etiam punctatum, infra verſus anum magis conuexum. Frons vtrinque impreſſuram habet, roſtrum medium nutans formantem. Oculi 2 obſcuriroes pone impreſſuras diſtantes. Antennae breues articulatae ſub roſtro. Pedes 8, quorum 2 poſtici longiſſimi retrouerſi, (hos incedens plerumque poſt ſe trahit;) 4 medii breuiores, fere aequales, antici omnium breuiſſimi, et omnes obtuſi ſine vngue notabili. Color totius ſanguineus, pedibus antennisque pallidioribus. Tomenta rara in corpore pedibusque.

HABITAT in aquis, riuulis, etiam in mari ad oſtia fluviorum.

198. ACARVS MVSCORVM.

Acarus abdomine rufo, pedibus poſticis longiſſimis filiformibus.

Acarus muſcorum, Syſt. nat. I, 1025. Faun. Suec. 1981. Müll. prodr. 2217.

GROENL. *Merkub-koma.*

HABITAT in Muſcis.

199. ACARVS GYMNOPTERORVM.

Acarus abdomine rubro, lateribus punctis binis coccineis.

Acarus gymnopterorum, Syſt. nat. I, 1026. Faun. Suec. 1982. Müll. prodr. 2219. Faun. Frid. 820. *Spindel*

Spindel paa fluen Anariak, Gl. 94.
Midde paa Fluer, Bom. V, 370.

GROENL. *Anarirſab-koma.*

HABITAT in muſca ſcybalaria.

200. ACARVS COLEOPTRATORVM.

Acarus rufus, ano albicante.

Acarus coleoptratorum, Syſt. nat. I, 1026. Faun. Suec. 1973. Müll. prodr. 2218. Faun. Frid. 821. Act. Nidr. III, 431.
Midde paa Heeldækvingede Inſecter, Bom. V, 370.

GROENL. *Egytſab-koma.*

Hanc non in coleoptratis, ſed in ape alpina reperi, quae illo maxime laborat.

201. ACARVS LONGICORNIS.

Acarus abdomine oblongo rubro, antennis apice biſetis.

Acarus longicornis, Syſt. nat. I, 1026. Faun. Suec. 1985. Müll. prodr. 2221.
Smaae blodröde Spindeler paa Steene, Gl. 94.
Rödluus, Ström, I, 196. n. 2.
Steina-Luus, Ol. 608. b. (poſterior.)

GROENL. *Ujarkab-koma.*

DESCR. Eſt minimus, longitudine $\frac{1}{3}$ et latitudine $\frac{1}{6}$ lin. vix ſuperans, teretiuſculus, oblongus, antice poſticeque acuminatus, ſupra inaequalis impreſſuris obſcurioribus. Antennae roſtro longiores, notabiles ſatis, pedibus tertiis ſublongiores, articulatae, apice, vt videbatur, bifidae. Pedes 8, quorum antici longiſſimi, poſtici ſubbreuiores; tunc ſecundi et dein tertii breuitate ſequuntur; intermedii

termedii reliquis craſſiores obtuſioresque, omnes ſub abdomine approximati. Totus glaber, licet tomentis raris albis, rubicundus; roſtro, pedibus, antennisque albidis. In dorſo etiam duo puncta obſcura obſeruaui, altero antice, altero poſtice. Anus parum nutat.

HABITAT in rupibus.

202. ACARVS LITTORALIS.

Acarus fuſco-rufus, pedibus ſanguineis.

Acarus littoralis, Syſt. nat. I, 1026. Faun. Suec. 1986. Müll. prodr. 2222.
Rödluus, Ström, I, 196. n. 3.
Steina-Luus, Ol. 608. b. (prior.)
Liten röd acarus, It. Oel. 96.

GROENL. *Sirkſab-koma.*

HABITAT in littoribus.

203. PHALANGIVM OPILIO.

Phalangium abdomine ouato, ſubtus albo.

Phalangium Opilio, Syſt. nat. I, 1027. Faun. Suec. 1992. Müll. prodr. 2292. Faun. Frid. 823. Pall. IX. p. 38.
Græs-Spindel, Ström, I, 177.
Markſpindel, *Höſtmand*, Bom. II, 121.
Phalangium, Ol. 608. b.?

GROENL. *Niutôk.*

HABITAT minus frequens in gramine.

204. ARANEA BIPVNCTATA.

Aranea abdomine globoſo atro, punctis duobus excauatis.

Aranea bipunctata, Syſt. nat. I, 1031. Faun.

Suec. 1997. Müll. prodr. 2304. Act. Nidr. III, 432.

Kleine Spinnen, Cr. 105.

Dordingul-Fiskekarl, Ol. 609.

GROENL. *Nikſoarſuk.*

DESCRIPT. Tota atra nitida, abdomine foeminae pallidiore, pedibus teſtaceis nigro punctatis ad articulos. Minuta tantum mihi occurrit.

HABITAT in domibus et tentoriis groenlandicis. Rete artificioſum non vidi, ſed filum ſolum demiſſorium, quo ſub tectis pendere ſolet.

205. ARANEA NOTATA.

Aranea abdomine ouato fuſco, lineis albis transuerſis arcuatis.

Aranea notata, Syſt. nat. I, 1033. Faun. Suec. 2008.

GROENL. vt antecedens.

DESCR. Abdomen ſubgloboſum, nitidum, fuſcum, ſupra 4 flammis transuerſis albis, infra punctis totidem. Pedes griſeſcentes, punctis minutis nigris et ſetis rariſſimis. Subtus ab baſin abdominis tuberculum coccineum habet. Pectus gibboſum. Minuta.

HABITAT cum praecedente.

206. ARANEA RVFIPES.

Aranea abdomine fuſco, pedibus rufis.

Aranea rufipes, Syſt. nat. I, 1033. Faun. Suec. 2009. Müll. prodr. 2311. Faun. Frid. 833. Act. Nidr. III, 432.

GROENL. vt antecedens.

DESCRIPT. Tota nigra glaberrima, pedibus palpis

que

que teſtaceis ſ. ſubferrugineis. Thorax abdomenque fere eiusdem magnitudinis in mare; foeminae vero thorax minutus gibbus, abdomenque magis globoſum. Puncta 2 excauata in abdomine vidi, vix tamen viſibilia, ante quae 2 adhuc minora; omnia facile transeunda. Magnitudine pulicem vix ſuperat.

HABITAT ſub lignis putridis et aliis locis humidis.

207. ARANEA SCENICA.

Aranea ſaliens nigra, lineis ſemicircularibus tribus albis transuerſis.

Aranea Scenica, Syſt nat. I, 1035. Faun. Suec. 2017. Müll. prodr. 2318. Faun. Frid. 838. Atl. Dan. 700.

GRŒNL. *Auſiek.*

DESCR. Thorax abdomine paulo breuiõr poſtice rõtundatus, antice transuerſim rectus ſ. praeciſus, ſuprà planiuſculus, ſubtus inter femora conuexior, ſubtomentoſus, nigro-murinus, marginibus maculisque duabus obliquis vtrinque albis. Oculi 8: ſc. 2 maiores frontales, 2 minores in angulis anticis, 2 verticales illis fere aequales, et 2 minimi inter verticales et angulares ſiti; omnes nigri nitidi. Antennae albicantes tomentoſae. Papilli nigri nitidi ſubtus ad os. Pedes mediocres, (quorum par primum longius craſſiusque, tunc ſecundum, quartum tertiumque,) vnguibus breuiſſimis, tomentoſi, cinerascenti-nigri. Abdomen teres ellipticum nigro-murinum, faſciis tribus albis obliquis vtrinque verſus medium retrò tendentibus; baſis abdominis etiam alba. Inter mediocres numeranda.

HABITAT raro in parietibus ſoli maxime obuerſis. Tacta mire ſalit horizontaliter, et contra appropinquantem caput erigit, comica: ſic obſeruator et inſultor egregius, ſine dubio rapinae ſuae inſilit more

tigridis. Multum perturbata sese demittit, filum post se trahens.

208. ARANEA SACCATA.

Aranea abdomine ouato ferrugineo-fusco.

Aranea saccata, Syst. nat. I, 1036. Faun. Suec. 2021. Müll. prodr 2321. Faun. Frid. 840.
Edderkop, Eg. 36. Bom. II, 139. n. 4.
Store sorte Spindel med hvid Streg paa Ryggen, Gl. 94.
Kongle, Ström, I, 178. n. 4.
Hnoda-kongullo, Ol. 608. d.

GROENL. *Ausiek.*

DESCR. Inter maiores numeranda tota tomentosa. Thorax antice parum angustatus, quasi in caput, vbi oculi 8 albicantes, sc. 4 verticales maiores distantes, et 4 minores frontales linea recta margini antico insidentes. Abdomen ouatum teres. Variat colore magis minusque nigro et lineato. Exemplar, quod possideo, thoracem habet nigricantem lineis 2 albis ad marginem et alia media, quae breuiore in abdomine prolongatur. Abdomen magis fuscum. Pedes fusci fasciis nigricantibus. Ouarium albicans orbiculare depressiusculum.

HABITAT copiose in campis montibusque, semper ouarium suum circumferens, nec relinquens, licet quam maxime cruciata, in agone adeo mortis adhuc amplectans. En caritatem in progeniem suam etiam animalium minimorum!

209. ARANEA CRVCIGERA. †

Aranea abdomine ouato, fericeo albo nigroque elegantissime picto. Müll. prodr. 2334.

Fjalla-kongullo, Ol. 608.

GROENL. vt antecedens.

De

De tali audiui, quam incolae dicunt maximam pulcherrimamque inter montes ſinuum remotiores habitare, et rete ſuum artificioſe in fiſſuris rupium aptare; nec dubito eandem eſſe cum islandica, licet de non viſa nil certi determinare queam.

210. *) PYCNOGONVM GROSSIPES.

Pycnogonum laeue, corpore cylindrico gracili, tubuli apice incraſſato, pedibus longiſſimis.

Phalangium groſſipes, Syſt. nat. I, 1027. Müll. prodr. 2291.

Sol-Spindel, Ström, I, 208. tab. 1. fig. 16. Bom. VII, 514.

GROENL. *Niutôk*.

DESCRIPTIONEM huius ſatis bonam dedit Ström l. c.; attamen ob pauca in illa deficientia, et vt eo melius a ſequente ſpecie diſtinguatur, exactiorem hic ſubiungere non ſuperfluum erit. Maxima, quae vidi, $\frac{1}{2}$ vnc. longitudine tenebant, et pedes transuerſim extenſi 3 vncias efficiebant, licet corpus ipſum vix $\frac{1}{4}$ lineae latitudine ſuperaret: hinc reſpectu pedum gracillimum dici poteſt. Corpus eius cylindricum, vtrinque 4 locis inciſum (ſ. crenulatum), quae inciſurae, ſulcis anterioribus transuerſis minus notabilibus, 4 articulos corporis, praeter caput, formant, ſupra parum, infra vero minus eleuatos. Ex his primus maximus, reliqui retro ſenſim anguſtiores;

*) Hoc genus in Brünnichii Entomologia pag. 84. ita determinatur: Pedes ambulatorii octo. Oculi 4 verticales. Corpus inciſum tuberculatum. Os tubuloſum productum: quod pro 3 ſequentibus ſpeciebus ſatis inter ſe affinibus, ſed tam ab acaris, quam phalangiis, araneisque diuerſiſſimis, cancris cognatioribus,) aſſumere congruum habeo.

in dorso primi acumen erectum, ad cuius basin vtrinque oculi 2 minuti (sic 4 numero) nigri, medio albi; de vltimo prostat cauda breuis horizontalis erectiuscula, s. cylindrus extremitate parum attenuatus et foramine termitali, quod sine dubio anus. Pedes octo veros habet longos, tenues, fere eiusdem longitudinis, de latere singuli articuli corporis vtrinque vnus, 8 articulis constans, sc. 2 minutis radicalibus globosis, quas sequuntur 2 paulo longiores, subouati, dein 3 multo longiores compressiusculi, fere aequales, exterioribus tamen sensim vix notabiliter decrescentibus; extimus s. octauus, vix quarti longitudine, multo autem gracilior, lunaris, vngue albo mobili acutissimo $\frac{1}{3}$ breuiore terminatur. Caput (i. e. quintus s. anticus articulus corporis, secundo fere similis,) magis distat petiolo s. collo postice angustiore, et prolongatur tubulo subnutante, extus crassiore, qui orificio subtriangulari terminatur: quae partes simul sumtae 3 articulis corporis sunt aequales. Palpi 2 cheliferi ad basin tubuli radicati, biarticulati, incuruati ita, vt apice suo in os cadant, hinc tubulo paulo longiores; articulus imus cylindricus, longior, extimus parum crassior multoque breuior manui cancri similis, terminatus enim forcipe, digitis aequalibus, inferiore mobili. Subtus ad basin palporum antennae 2 illorum longitudinis, setaceae obtusae, sursum curuatae, 4-articulatae: articulis 2 imis longioribus extimis breuioribus, subaequalibus; sed articulus fundamentalis iterum ex 5 minoribus annulis constare videtur. Ad basin colli subtus locati sunt pedes 2 spurii filiformes, pedibus graciliores, 10-articulati, (sc. 3 articuli fundamentales breuissimi crassi, 2 longissimi, graciles, 2 multo breuiores, et 3 paulo breuiores, quos sequitur vnguis terminalis acutissimus,) corpore duplo longiores, abdomini incumbentes, iuxta anum flexi, apice tam antrorsum, quam extrorsum vergente curuo; sunt hi reuera fila ouifera, et eidem vsui, ac pedes spurii caudales cancris: illis enim affixa sunt ouaria, reliquo molliora, subgloboſa, incerto

certo loco et numero (1-7) oua minuta numerosa cancrorum similia continentia. Totum insectum vestit membrana laeuis duriuscula, vt in squillis, multo tamen debilior. Color variat, iam rubicundior, iam albidior, raro viresćens vel canescens, ouariis rubris, viridibus, pallidis vel corpori concoloribus. In aliis nulla fila ouifera detegere potui, quae igitur pro maribus habui. Notandum etiam, quod raro exemplar perfectum obtineatur: ob debilitatem enim leui tactu plerumque mutilatur pedibus, antennis palpisque, vnde facile differens descriptio euadere poterat. Mutilatur etiam in libertate sua, redintegrandum tamen: vidi enim, in quo pedes breuissimi iuxta longiores enascentes, velut in asteriis, cancris aliisque redintegratis.

Varietas. Inter iam descripta occurrit minus, cui caput non petiolatum articulo corporis primo adnatum, et vix ab illo distinctum, nec antennis, licet palpis et interdum filis ouiferis, praedito. Hanc varietatem in ceteris omnino similem pro pullo habui, subsumens collum palposque cum aetate excrescere.

HABITAT inter vluas capillares, conferuas et sub lapidibus littoreis; maiores etiam in profundo ad radices vluarum maximarum.

VESCITVR insectis et vermibus marinis minutis; quod autem testas mytilorum exhauriat, mihi ignotum est, dum nunquam intra testam mytili illud inueni, licet sit verosimile satis.

Tardissime incedit, omni occurrenti vnguibus suis adhaerens.

GENERATIO. Mense Octobri oua ouario, s. sacculo tenuissimo, inclusa et filis dictis arcte agglutinata reperi; Decembri autem oua maiora, nuda, facile decidua: hinc suspicor, tunc temporis metamorphosin oui in animal viuum instare.

211. PYCNOGONVM SPINIPES.*

Pycnogonum corpore cylindrico gracili, tubuli apice angustiore, pedibus longissimis spinosis.

GROENL. vt antecedens.

DESCR. Magnitudine et statura non multum a grossipede differt, ita vt primo intuitu pro varietate eiusdem haberetur; sed differentia in partibus non leuis contrarium ostendit. Corpus cylindricum, gracile, laeue minus tuberculatum, 4-articulatum, articulis fere aequalibus, excepto vltimo minuto et humiliore, terminato cauda suberecta, breui, conica, laeui; in antica parte articuli primi supra tuberculus quadratus, in quo oculi 4 verticales, magni satis, nigri pupilla alba. Pedes 8 longissimi, tenues, fere aequales, versus apicem tenuiores, mucronati mucronibus validis, exterioribus articulis tamen margine dorsali tantum serratis, 8 articulis constant, 1. 2. 4 breuissimis ventricosioribus, 3 longiore subarcuato, 5. 6. 7 multo longioribus compressiusculis, 8 s. extimo breui lunari, quem terminat vnguis acutus, albus, mobilis, longitudine fere articuli. Caput intervallo breui tantum a thorace distat, nec articulus verus dici potest, dum basis palporum tantum eminentior conspicitur; extra quam tubulus breuis nutans, subconicus, apice attenuato. Palpi 2 cheliferi biarticulati, crassi, tubulo longiores, retro flexi, articulo imo tenuiore cylindrico mucronato, basi cingulo eleuato spinoso, chelis ventricosis ouatis, subtomentosis, apice ferrugineis, pollice solitario flexili in marginem anticum acuminatum, intusque acumine breuissimo terminatum. Pedes spurii 2 ouiferi, vt in praecedente, ad basin colli locati, filiformes, scabriusculi, 10-articulati, articulis etiam eiusdem proportionis, excepto septimo, qui sequentibus s. exterioribus vix maior; incuruantur hi sub latera abdominis versus anum deorsum arcuati, apicibus autem suis denuo

versus

verſus caput ſurſum flexis tubulum cingunt: ſic articulus quintus terminatur ſub medio abdominis, qui antice prolongatur appendicula lineari perpendiculariter deorſum pendente et conniuente quaſi pediculo ſingulari, quo praecedens ſpecies omnino caret. Oua fulua, minus numeroſa. Antennas in nullo exemplari obſeruare potui, nec rudimenta illarum, hinc de illis haereo; forſitan pedum ouiferorum apices tubulum cingentes functionem illarum occupant. Color albus.

HABITAT cum praecedente ad littora.

212. PYCNOGONVM LITTORALE. †

Pycnogonum abdomine dilatato muricato, roſtro ſubulato.

Phalangium Balænarum, Syſt. nat. I, 1028.
Pycnogonum, Brün. Entom. p. 86. fig. 4.
Mindre Söe-Spindel, Ström, I, 209. tab. I, fig. 17. Bom. VII, 515.

Hoc a Strömio detectum, cum praecedentibus, ni fallor, vidi; ſed tunc temporis nimis ſecurus, non rite contemplatione inſtituta, iamque inter ſpolia maris groenlandici non reperiens, haereo, an pro illo varietatem groſſipedis iuniorem aſſumſerim.

213. CANCER ARANEVS.

Cancer brachyurus, thorace hirſuto ſubouato, tuberculato, roſtro bifido conniuente acutiuſculo, manibus ouatis, cum pedibus mediocribus, teretibus, laeuibus.

Cancer araneus, Syſt. nat. I, 1044. Faun. Suec. 2030. Müll. prodr. 2340.
Klöluus, It. Scan. 312.
Den lille Krabbe, Ström, I, 180. n. 4. Bom. IV, 456.

Garnat, Pont II, 286?
Cancer cordis figura, Ionſt. exſangu. p. 29. tab. VII. fig. 4.?

GROENL. *Arkſegiak*, *Arkſegiangoak*.

DESCRIPTIONES It. Scan. et Ström. ll. cc. optime conueniunt. Corpus elongatius quam ſequentis, poſtice rotundatur, antice attenuatur in roſtrum acutum, longiuſculum bipartitum apicibus conniuentibus. Thorax ſupra ob eminentias et profunditates inaequalis, et, ſi recte attendatur, figura homuncionis brachiis intus flexis, et Turcarum more pileati inſignitus eſt, hinc verſus roſtrum eminentior; locis eminentibus praeterea verrucoſis, verrucis humilibus imprimis ad marginem lateralem notabilibus. Pedes omnes teretes laeues, ſi excipias ſcabritiem punctatam, quae etiam in thorace et brachiis obuia, in pullis minus notabilem. Brachia craſſa, mediocria, articulis inferioribus ſupra infraque verrucoſis, ceterum laeuia. Maximus, quem vidi, 4 vnc. longus, et 3 vnc. latus (poſtice) erat.

HABITAT tam ad littora, quam in locis profundis inter fucos; et frequens occurrit in ventriculis piſcium.

Ob paruitatem eius et a carne vacuitatem incolae illum nihili faciunt, eo magis autem piſces auesque marinae.

214. CANCER PHALANGIVM. *

Cancer brachyurus, thorace obcordato tuberculato, marginibus laterum aculeatis, roſtro bifido patente obtuſiuſculo, chelis teretibus ſubmuricatis et pedibus longiſſimis, ſubcompreſſis, laeuiuſculis.

Krabbe, Eg. 51.
Krabben, Cr. 130.

Marg

Marg fætla, Ol. 306. 996.
Suobbo, Leem, 328.
Rege krabben, Bom. IV, 455.
Meerſpinne, Adel. 378.
Cancer Maja, Ionſt. exſangu. p. 26. tab. V, 5. et VI, 2.?

GROENL. *Arkſegiarſuk*, *Arkſegiarſoak*; mas *Satuak*, *Sartlyoak*; foemina *Teſſiok*.

DESCR. Si cancer hic notus certe cum maia *), cui ſimilis, confunditur, ob differentiam aculeorum et ſpinarum minus recte indicatam, eſt enim maia ſpinoſus, vbi hic aculeatus vel muricatus tantum: differt etiam in multis. Inter maximos numerandus eſt: ſaepe enim $4\frac{1}{2}$ vnc. longitudinem et $4\frac{3}{4}$ latitudinem habet corpus ipſum, pedes vero extenſi 11 vnc. et brachia 9 vnc. longitudine tenent. **) Mas tamen foemina multo maior. Thorax fere cordatus, poſtice dilatatur (ita vt latitudo longitudinem ſuperet,) rotundatus, curuatura laeui marginis ſupra caudam, antice verſus oculos attenuatus in roſtrum obtuſiuſculum, breue, bipartitum, apicibus patentibus. Dorſum planiuſculum inaequale, et, ſi recte attendatur, in medio figuram ſcyphi pedati impreſſam habet; verſus poſtica decliue, capite et lateribus eminentioribus, ceterum multis verrucis quam in praecedente notabilioribus ſcabris obſitum, margines vero laterales aculeati; ſuntque hi margines 4: ſc. ſupremus ſpurius de orbita oculi procedens verrucoſus, et antice aculeo proſtante terminatus; ſecundus ſub illo conuexus, vix capite longior, aculeis minutis; tertius de ore progrediens in partem poſticam decliuem aculeis maioribus, praeſertim 6 poſticis;

*) Syſt. nat. 41. Faun. Suec. 2031. Müll. prodr. 2340. It. Scan. 327. *Troldkrabbe* Pont. II, 286. c. fig. Ström. I, 180. n. 2.

**) Hinc facile pro cancro longimano Syſt. nat. 42. vel longipede ib. 47. haberetur, ſi cetera conuenirent.

cis; denique quartus infimus de basi papillorum totum circuitum cingens, antice laeuis, postice duplicatus, et serratus. Oculi prominuli oblongi nigricantes. Orbitae oculorum postice sinuatae. Antennae 4 breues, inferiores ciliatae. Papilli foliacei ciliati. Dentes validi albi. Brachiorum articuli prismatici; chelae vero teretiusculae subtetragonae, angulis muricatis, reliquo glabro; digiti laeues apice albi, intus curuati, margine interiore dentati, subaequales, pollice tamen longiore: est manus, s. chela, longitudine corporis. Pedes subcompressi laeues supra infraque scabri longissimi; articuli quarti dorso canaliculato, quinti lateribus sulcatis. Cauda incuruata plana cuneata, 7-articulata. Abdomen subtus laeue, lacunosum sub cauda. Ciliae passim, ad articulos et fissuras corporis, praesertim ad os.

HABITAT passim in sinubus profundis; verno tempore littora propius accedit gignendi gratia.

Conspicitur tunc temporis mas manibus suis foeminam prehendens sub obambulando, festiue satis.

Est quidem tardigradus, rapinam autem mire festinando persequi solet.

VSVS. Editur a Groenlandis coctus, estque ac pagurus aeque delicatus.

CAPITVR fuscinis.

215. CANCER GAMMARVS. †

Cancer macrourus thorace laeui, rostro lateribus dentato, basi supra dente duplici.

Cancer gammarus, Syst. nat. I, 1050. Faun. Suec. 2033. Müll. prodr. 2344.

Hummer, Pont. II, 279. Ström, I, 174. Bom. III, 549. It. wgoth. 174. Kalm, Am. 153. et pl. Leem, 328.

Humar,

Humar, Ol. 997.
Aſtacus marinus communis, Ionſt. exſang. p. 17. tab. 2. fig. 2.

GROENL. *Pekkuk.*

Sub hoc nomine occurrit in dictionario groenlandico, mihi nunquam obuius; audiui tamen incolas diſtinguere ſquillas minores ſub nomine *Pekkungoit* a cancris multo maioribus dictis *Pekkuit* ſ. *Pekkurkſoit*, veroſimiliter gammaris.

216. CANCER SQVILLA.

Cancer macrourus thorace laeui, roſtro ſupra ſerrato, ſubtus tridentato, manuum digitis aequalibus.

Cancer Squilla, Syſt. nat. I, 1051. Faun. Suec. 2037. Müll. prodr. 2346.
Ræge, Eg. 51. Ström, I, 196. Pont. II, 287.
Squillen, Cr. 131.
Saltvands Regen, Bom. VI, 505.
Marthvare, Ol. 609. 997. tab. X. f. 11.
Rækor, Kalm Am. I, 64.
Garneelen, Adel. 378? (Figura autem ibi citata minime deſcriptioni conuenit.)
Squilla gibba, Ionſt. exſang. 22. tab. IV, f. 5.?

GROENL. *Pikkutak.*

DESCR. Longitudo $1\frac{1}{2}$ vnc. thorace, abdomine caudaque ſingulo tertiam partem efficiente. Thorax laeuis, oblongo-ouatus, compreſſiuſculus, margine inferiori inflexus; dorſi anticum vix carinatum producitur in roſtrum lanceolatum, ſupra ſerratum ſerris circiter 10, infra 3 minoribus, antrorſum ſpectantibus. Oculi petiolati ad baſin roſtri ſupra antennas, cum quibus radice iuncti, nigri. Antennae triplices conſiderari poſſunt: a) par ſummum immediate ſub oculis, illisque dimidio lon-

longius, 3-articulatum: articulo imo tereti, laeui, cum appendicula foliacea ciliata; medio tuberculato in tres minores subdiuiso; extimo obouato, ventricoso, laeui, apice setaceo; b) sub his par foliorum eiusdem longitudinis, ouatorum, ciliatorum, basi tereti insidentium; illique immediate c) ex eadem radice subiunctae 2 longissimae fere corporis longitudine, setaceae, basi tereti biarticulata laeui subciliata. Pedes 12 versus anteriora tendentes: 2 antici spurii pro palpis habendi, 3-articulati, laeues, medio hirti, versus apicem curui, subfoliacei, attenuati, ciliati; 2 sequentes, qui brachia, reliquis breuiores, crassiores, triarticulati, laeues, manu laeui antice crassiore, digitis aequalibus acutis, apice nigris; tertii longiores, sequentibus autem aequales, laeues, tenues, filiformes, 4-articulati, penultimo 7-partito, vltimo quasi manu cum digitis curuis, altero mobili; (hi a ceteris obteguntur, dum natat animal;) 6 sequentes similes 4-articulati, femore longiore, tibia seta antica laterali, tarso infra serrato, vngue solitario subtus serrato terminati. Pedes hi omnes pectori insident; abdomini vero 10 alii natatorii, breues, 3-articulati, foliacei, ciliati, acuminati, ex quibus 3 paria media longiora, posticum breuius, anticum breuissimum; sub his condit foemina oua sua. Abdomen vndique laeue, dorso convexo; 5 articulis constat: 1 et 3 minuti sub ceteris fere latent, 2 maior lobo laterali acutiusculo, 4 adhuc maior lobo laterali rotundo, (huc ascendit superior pars insecti,) 5 maximus a lobo praecedentis antice recipitur, sed lobo suo longius dependet (hic insectum gibbosius). Cauda 4-articulata: primus articulus minutus, decliuis lobo laterali oblongo sub praecedenti fere tecto; secundus rectus, vix longior, lobo acuto; tertius duplo longior circumcirca membrana tectus, laeuis, subdepressus; quartus pentaphyllus, foliis 1-5 ouatis marginibus incisis, ciliatis, 2-4 similibus, sed magis acutis, (haec 4 radice communi,) 3, s. medio, acuminato, supra conuexo, subtus

tus canaliculato. Color variat brunneo-ruber, vel albidus punctis rubris crebris, vel raro fuscus. Oua alba.

β) *Varietatem*, ni fallor, quasi mediam inter iam descriptam et sequentem speciem vidi, cui rostrum acuminatum aculeatum, et margo anticus thoracis trispinosus vtrinque cum sequenti; lobi vero laterales rotundati laeues, et reliqua fere omnia cum squilla communia.

HABITAT illa in profundo mari copiose inter vluas; haec (β) ad littora inter fucos vesiculosos et lapides rarior.

Mense Decembri oua sua puncto nigro insignita sub abdomine gerit; nec mense Februario illis destitutam vidi: hinc sine dubio tempore vernali tantum pulli nascuntur.

Continuo et vix tacta salit, interdum tamen natando progreditur; quiescens antennas suas frequenter mouet.

Incolae illum non magni faciunt; est autem phocarum pisciumque cibus creber.

217. CANCER ACVLEATVS. *

Cancer macrourus thorace antrorsum aculeato, rostro acuto supra infraque bidentato, aculeis quamplurimis versus inferiora stratis, manuum digitis aequalibus.

Cancer carinatus, Brün. Spol. mar. Adr. 16. huic affinis videtur.

GROENL. *Naularnak.*

DESCR. Magnitudo vulgaris 3 vnc., thorace $1\frac{1}{2}$, abdomine 1, caudaque $\frac{1}{2}$ efficiente; dantur tamen rarius 5 vnciarum longitudine. Est Squillae similis; differt tamen sequentibus. Thorax robustior, marginatus, antice margine vtrinque trispinoso arcuato passim impressus, praesertim in tractibus sub et supra spinas; dorso carinato antrorsum aculeato aculeis 4 validis. Rostrum acutum $\frac{2}{3}$ tho-

race

race longius, terminatum aculeo, ſupra infraque aculeis duobus. Antennae a) ſuperiores thorace breuiores, baſi ſupra aculeo curuo, medio extrinſecus aculeo minore, extremitate ſupra infraque aculeata, terminantur cirris 2 longis mollibus: ſuperiore breuiore annulato, ſubtus foliolis quaſi imbricato, aſpero, apice albo; inferiore longiore tenuiore, molliore, albo annulis fuſcis; (hi cirri viuaciſſimi in toto corpore, in aliis longiores, forſitan diuerſi ſexus;) b) mediae foliaceae baſi ſupra aculeis duobus; c) inferiores longiſſimae minus aſperae, albae annulis brunneis. Pedum 6 paria: quorum primum oblongum, depreſſum, ſupra priſmaticum apice rotundato-ſerratum ſerraturis nigris, baſi ſupra aculeatum, lateribus ciliatum; ſecundum par (ſ. brachia) brunneum annulis albis; tertium laeuiſſimum, glaberrimum pilis raris; quartum poſterioribus longius, tibia aculeata, vngue apice nigro; quintum ſextumque ſenſim breuius. Abdominis lobi laterales in articulo ſecundo biaculeati, in quarto quintoque vniaculeati. Itidem in cauda lobus articuli primi ſecundique aculeis duobus, antico breuiore, recto, poſtico longiore retro tendente; articulus tertius vtrinque terminatur aculeis duobus: radix communis foliorum terminalium ſupra biaculeata, et ſubtus in interſtitio foliorum aculeus; folium medium ſupra conuexum, parum canaliculatum, apice rotundiore terminato ſpina, et margine vtrinque carina ſpinoſa Pedes ſpurii vtrinque 5, quorum 3 pro 3 articulis maioribus abdominis et 2 pro 2 anticis caudae, 4 poſtici foliacei, apice ſimplice rotundo, margine ciliato, fere aequales; ſed anticus breuiſſimus, biſidus lobis acutis (exteriore latiore); inter par vnumquodque aculeus ſubtus in cauitate abdominis. Orificium et dentes tegunt palporum latorum foliaceorum 5 paria, quorum 3 exteriora cirris inſtructa. Color fuſcus lateribus pallidioribus maculis albidis paſſim; alii aliis variegatiores.

Vari-

Variant quidam roſtro breuiore, vel prorſus nullo: hi mutilati; nec rarum eſt, antennas vel pedes deficere.

HABITAT in propinquo littorum maris inter vluas maximas, nec niſi aeſtu maximo ſub lapidibus et radicibus vluarum capi poteſt manibus. Ab incolis auſtralibus lubenter comeditur coctus.

Cancer borealis

218. CANCER HOMAROIDES. *

Cancer macrourus thorace antrorſum aculeato ſubpriſmatico, roſtro planiuſculo apice triangulari ſubtus hamato, manibus ſubadactylis.

Kampalampa, Ol. 998. Müll. prodr. 2356.?

GROENL. *Umiktak.*

DESCR. Magnitudo aſtaci fluuiatilis, abdomine fere thoracis longitudine. Thorax antice vtrinque 2 locis arcuatus, quorum interſtitia acutangulata, ſuperiore infra appendiculam piloſam habente; lateribus ſubpriſmaticus, hiſpidus, flexuoſe tuberculatus, locis duobus ſuperiore aculeo antrorſum vergente terminato, ante quem impreſſura. Dorſum ſubcarinatum, antrorſum aculeatum aculeis tribus. Roſtrum ſimplex latiuſculum, ſupra plano-carinatum, apice triangulari acuto, vnde ſe demittit in aculeum maiorem inter oculos, qui ad latera villoſus. Oculi petiolati nigri. Antennae, vt in praecedentibus, triplices: quarum a) ſuperiores, baſi planiuſcula cum appendicula foliacea, ſcabra, rotundata, 3-articulatae, apice bifidae, laeues, molles, ſubulatae, annulatae, parte exteriore longiore, latiore, obtuſiore; b) mediae foliaceae, ouales, margine ciliatae; c) inferiores baſi oblonga, extus hiſpida, ſcabrae thoracis longitudine, ceterum ſuperioribus ſimiles. Pedum par primum ouatum apice rotundatum, margine villoſum, ante articulum ſingulum ſubtus nodoſum, baſi oblongo-rotundata, et extus pediculo ſpurio biarticulato tenui. Brachia manus habent craſſas, oblongo-rotun-

datas ſubadactylas, pollice mobili in marginem anticum crenulatum ſe demittente intra digitum minutiſſimum; tertium quartumque par brachiis breuius, tenuiſſimum; quintum ſextumque eiusdem longitudinis, craſſius, 6-articulatum hirtum, apice acutiuſculum. Abdomen raro hirtum vel inaequale, lobis rotundis, articulo primo in dorſo obtuſe aculeato, ſecundo etiam, ſed minus notabili. Cauda biarticulata: articulus penultimus canaliculatus ſubtus planiuſculus, lateribus teres terminatur poſtice angulis tribus, ſc. vno ſubtus medio et vno laterali vtrinque; articulus vltimus penthaphyllus: foliis 2 extimis ouatis, ciliatis, ſubtus carinatis; 2 vicinis itidem, et lateribus acuminatis; medio oblongo, ſupra canaliculato, apice terminato aculeis tribus. Pedes ſpurii vt in ſquilla locati, ciliati, foliacei, ſubulati, bifidi. Color ſupra fuſcus, ſubtus pallidus. In ceteris non multum a ſquilla differt.

HABITAT cum ſquilla.

VSVS huius maior, quam praecedentium, in cibum incolarum.

219. CANCER NORVEGICVS.

Cancer macrourus thorace antrorſum aculeato, manibus priſmaticis, angulis ſpinoſis.

Cancer norvegicus, Syſt. nat. I, 1053. Faun. Suec. 2039. Müll. prodr. 2348. Brün. Spol. Mar. Adr. p. 105.

Bogſtavhummer, *Hummerkonge*, Pont. II, 286. c. fig. Leem, 328. (191.) Tab. C. Bom. I, 415.

Spræke, Ström, I, 175.

Käyſer-Hummer, It. Scan. 327.

GROENL. *Naularnak.*

Hunc ſemel in mari vidi, verſus ſuperficiem aquae antennis, brachiisque longis ſuis mire ludificantem.

220. CAN-

220. CANCER ARCTVS. †

Cancer macrourus thorace antrorsum aculeato, fronte diphylla, manibus subadactylis.

Cancer Arctus, Syst. nat. 1053 Faun. Suec. 2040. Müll. prodr. 2349.
Squilla lata s. *Ursa*, Ionst. exsang. p. 21. tab. IV. f. 3. 4. 8. 12.

GROENL. *Pillektoutelik.*

Quam cancri speciem sub nomine vernaculo mihi incolae narrarunt, secundum descriptionem non ad alium quam citatum referre possum, a me tamen nunquam visam.

HABITARE dicitur in alto mari; alcae arcticae praecipuus cibus.

221. CANCER PEDATVS. *

Cancer macrourus, thorace laeui compresso, fronte praerupta, pedibus pectoris duplici serie, manibus adactylis, cauda tereti recta, apice aculeato tetraphyllo.

Hvalaas, Eg. 39. c. fig. Bom. III, 615.
Walfisch-aas, Cr. 144.
Itlarket, Gl. 141.

GROENL. *Illærak.*

DESCRIPT. Inter minutos numerandus est, vix vnciam longitudine et lineam crassitie superans, mollis, elongatus, fere linearis, membranis tenuissimis vestitus. Thorax integer, compressus, laeuis, $\frac{1}{3}$ corporis fere occupat, limbo laterum minus dependente, postice anticeque truncatus sine rostro. Oculi magni respectu corporis, globosi, nigricantes, petiolo longo tereti. Antennae a) sub oculis 2 longae setaceae distantes, extror-

ſum curuae; b) anteriores et inferiores 2 aliae contiguae compoſitae, biſidae in ſetam exteriorem longiorem (antennis primis tamen breuiorem) et ſpinam interiorem, breuiorem apice ſetaceam; c) ſub his 2 foliaceae, oblongo-acutae, margine ciliatae ciliis longis, baſi diſtantes, apice conniuentes. Sub pectore pedes duplici ſerie conſpiciuntur: ſeries interior continet 6 pedes ambulatorios vtrinque, filiformes, compreſſiuſculos, ſimiles, retro ſenſim breuiores patentes, ſubtus dentatos ſerris molliuſculis, terminatos vngue albo antrorſum curvato; ſeries exterior conſtat totidem natatoriis, ſimilibus, ſubaequalibus, ſetaceis, 3-articulatis cum appendicula foliaceae baſeos minuta, retro tendentibus, ita vt extra corpus erigi queant. Ante pedes ſub capite brachia duo breuiſſima, retro tendentia, articulata craſſiora, manu latiore compreſſa, terminata vngue tenui curvo, et margine inferiore bidentato. Praeterea palpi duo adhuc breuiores, villoſi, antrorſum tendentes. Os gibbum foliolis quamplurimis tegitur. Cauda reliquum corporis efficit, recta, teretiuſcula, thorace anguſtior et verſus extremum attenuata, 7-articulata (articulo priore minimo, 5 ſequentibus maioribus aequalibus, ſeptimo autem multo longiore); terminatur ſpinis 2 mediis brevibus, baſi connatis, et foliolis 2 longioribus vtrinque incumbentibus, lanceolatis, ciliatis, inferiore breviore. — Sic cauda primo intuitu apice biſida integra haberetur. Color totus pallidus, inteſtinis flauis transparentibus: linea etiam nigra transuerſalis thoracis radios tenuiſſimos, curuos, antrorſum extrorſumque emittit; praeterea in poſticis thoracis ſtellae 2 nigrae, et in ſingulo articulo caudae vna; baſes foliorum frontis caudaeque etiam nigro punctatae. Sub articulis 6 prioribus caudae adhuc notanda 6 paria filamentorum breuiſſimorum, biarticulatorum, acutorum. Caro eius ſola pinguedo eſt.

HABI-

HABITAT versus superficiem maris groenlandici stupenda multitudine, raro littus vel fundum appropinquans.

Pedes natatorios continuo motitat, ambulatoriis immotis, corpore prono ingrediens, interdum vt squilla salit.

Animal tam paruum dat tamen maximum vsum: est enim cum specie sequente cibus praecipuus balaenae Mysticeti, cf. Sp. 10.

222. CANCER OCVLATVS. *

Cancer macrourus thorace laeui teretiusculo, fronte rotundata, pedibus pectoris duplici serie, manibus vix vllis, cauda tereti flexuosa, mutica, tetraphylla.

Cancer flexuosus, Müll. prodr. 2352?

GROENL. *Irsitugak*.

DESCRIPT. Conuenit cum praecedente in multis; differt tamen sequentibus: Longitudo 14 linearum, et latitudo $1\frac{1}{2}$. Thorax magis teres, elongatus, postice arcuatus, antice inter oculos rotunditate prominet, pone quam incisuram habet laeuem, quasi biarticulatus euadens. Oculi permagni, nigri, ouati, distantes, petiolati, antennis incumbentes. Antennae omnes antrorsum erectae: a) superiores immediate sub oculis sitae basin habent tenuem, apice bisetae, exteriore longiore; b) sub illis foliaceae acuminatae, ciliatae, longiores; c) inferiores 2 aliae setaceae longissimae. Brachia nulla detegere potui. Pedes etiam natatorii ab ambulatoriis magis distant retro tendentes. Cauda $\frac{2}{3}$ partes corporis efficiens, teretiuscula, subtus sulcata longitudinaliter a thorace se deorsum flectit in articulum quintum, deinde recta; articuli 2 priores minuti fere sub thorace teguntur; 4 sequentes longiores subaequeles; sed vltimus multo lon-

gior, terminatus 4 foliis parallelis oblongis margine ciliatis: ſc. 2 vtrinque imbricatis, inferiore longiore; nullas vero ſpinas hic obſeruare contigit. Color totius corporis pallide griſeus.

HABITAT cum praecedente; eidem vſui.

223. CANCER BIPES. *

Cancer macrourus, thorace laeui, roſtro ſubulato, pedibus 2 anticis praeter 10 poſticos natatorios, cauda recta tereti biſeta.

An *Cancer emeritus*, Syſt. nat. I, 1055?

GROENL. — — —

DESCR. Eſt praecedentibus breuior, vix 8 lineas ſuperans; ſed altitudo thoracis 2 lin. — Thorax (qui cum roſtro dimidiam partem corporis fere efficit,) eſt admodum compreſſus, laeuis, membrana ſolitaria tectus, quae margine integro rotundato lateribus ſuis dependet ſubconniuens, modo fere monoculorum. Frons humilior roſtro gaudet ſubulato ſ. ſubconico, breui, recto, membranaceo, laeui, ſupra conuexo, ſubtus fornicato. Oculi duo ad baſin roſtri, globoſi fuſci, ſeſſiles, mobiles tamen, nec teſtae innati. Antennae 2 ſub roſtro procedunt breues, triarticulatae, baſi craſſiore tereti, apice ſetaceo. Sub anteriore parte thoracis pes vnicus vtrinque retro tendens, longitudine fere thoracis, ſetaceus, 4 articulis conſtans; ſub medio thoracis quidem 3 paria adhuc dantur, ſed tam breuia, vt vix apicibus ſuis promineant, hinc ſpuria: ſub his oua ſua condit. Verſus caudam de cauitate thoracis 5 pedes natatorii vtrinque retro tendentes, et ſenſim longiores, biarticulati, apice bifido, lateribus ciliatis. Cauda teres erecta, thorace multo anguſtior, 6 articulis conſtat, 3 anticis minutis, reliquis triplo longioribus aequalibus; terminatur vtrinque ſtylo ſimplici, biarticulato, apice ſetaceo. Color pallide ruber, in aliis vireſcens, inteſtino lon-

longitudinali fuſco perlucente in articulo tertio caudae deſinente.

HABITAT rarus in littoribus arenoſis, praeſertim ad oſtia fluuiorum.

Oua eius concolaria ſub thorace conſpiciuntur tota hieme; menſe vero Aprili organiſatio diſtingui poſſe incipit, et Maio pulli nati viuaciſſimi matri adhaerent, illa ſemimortua.

Pedibus poſticis pronus natare ſolet, anticis vero inſiſtere; minus viuax.

224. CANCER STAGNALIS.

Cancer macrourus articularis, manibus adactylis, pedibus patentibus, cauda cylindrica, bifida.

Cancer ſtagnalis, Syſt. nat. I, 1056. Faun. Suec. 2043. Müll. prodr. 2351.

GROENL. *Teitſim-illærkei*.

DESCRIPTIO in Faun. Suec. l. c. optime conuenit, cui haec addere lubet: Corpus fere filiforme, antice tamen craſſius. Capitis latera conuexa. Antennae duae capillares de fronte horizontaliter proſtant. Oculi petiolum teretem rubicundum habent, ſub antennis locati — De capite verſus os 2 ſtyli perpendiculariter pendent, qui breues, baſi molles, tubulares, apice ſetacei. — Inter illos tegumentum hiſpidum conorificium, ſcilicet maxillae 2 albae inde ab oculis in os curuatae, margine acuto inſtructae, quibus occurrunt palpi breuiſſimi ſub capite pone os. Corpus ipſum, cauda craſſius, 12 articulis conſtat: ſub 11 prioribus totidem pedes vtrinque, biarticulati, baſi compreſſiuſcula, apice bifido in partem interiorem foliaceam villoſam et exteriorem longiorem ſetaceam. — De articulo duodecimo corporis ſubtus 2 globulos albos petiolatos gerit, inter quos retro tendit ouarium teres multo longius moleculis griſeis mobilibus impletum.

pletum. Cauda dimidium insecti efficit, 6-articulata, articulis 2 posticis longioribus, reliquis aequalibus, terminatur seta vtrinque. Membranae totius corporis admodum debiles. Color frontis rubicundus puncto nigro, dorsi fuscus, abdominis sanguineus, pedibus setisque caudae albidis.

Mas differt a *foemina* maior, ouario carens, et pro globulis ani membrum hamatum habens; (forsitan igitur hoc membrum virile, et globulus membrum foeminipum, genitale?) styli etiam oris illius longiores, annulis 3, praeter tubulum et setam terminalem, constantes.

HABITAT in stagnis montanis soli obuersis, multa copia superficiem aquae fere tegens.

Natat supinus pedibus omnibus simul motis, fundum vero attingens se vertit.

Mense Augusto ouarium eius moleculis plenum inueni.

Est cibus vulgaris anatum et colymborum.

225. SQVILLA LOBATA.

Squilla corpore filiformi, pedibus decem vnguiculatis, lobis intermediis quatuor.

Squilla lobata, Müll. prodr. 2359.
Cancer filiformis, System. natur. I, 1056. Pall. IX. p. 112.

GROENL. *Napparsariak*.

DESCRIPT. Longitudo interdum 2 vnc., sed crassities vix lineam superans. Constat 7 articulis, capite simul sumto. Articulus primus, in quo caput, secundo paulo breuior, antice obtusus crassior, postice attenuatus; secundus omnium longissimus, medio incrassatus; tertius et quartus aequales, breuiores, crassiores, cylindrici; quintus fere eiusdem longitudinis antice angustatus, postice incrassatus; sextus minutus tuberculatus; septimus s. vltimus

vltimus paulo longior tenuiorque. In capite duo puncta nigra ſupera, quae oculi, teſtae innati. Antennae frontis 4, quarum 2 ſuperiores longiores 3 articulis cylindricis praeter apicem capillarem; 2 inferiores dimidio breuiores ſimiles, ſed 2 tantum articulis cylindricis ſetoſis. Subtus os 6 papillis vnguiculatis cinctum. — Pedes 14 triarticulati chela ſublunari et vngue mobili terminali inſtructi: 2 primi ſub capite minores; 2 ſequentes ſub articulo ſecundo longiores pro manibus habendi, chelam enim incraſſatam habent prae ceteris et margine arcuato ſerratam; tertium et quartum par ſub articulo quinto et ſexto primo paulo longiora; ſextum par ſub articulo vltimo longiſſimum omnium; verguntque 6 vltimi retro, et 4 priores antrorſum. — Inter pedes 2 poſticos anus nudus. Sub tertio et quarto articulo lobi 4 ouati membranacei compreſſi inflabiles (hinc duplicati): certis enim temporibus globoſi ſunt, plenique humore granulato; hinc ſine dubio ouaria ſunt. Colore variat fuſca, rubens, griſea, albidaque reſpectu fundi, inteſtino obſcuriore de capite in caudam plerumque perlucente.

HABITAT in vluis fucisque maris tam profundi, quam ad littora.

Sub natando extremitates ſuas incuruat; ſub incedendo pedes anticos folio affigit, corpusque attrahit, poſticis anticorum locum occupantibus: ſic cito ſatis progreditur, et aeque bene retrogreditur. Interdum etiam velut hiſtrio ſe circumuertit; nec raro pedibus poſticis inſiſtens erecta antennas ſuas mire vibrat.

Menſe Decembri lobos abdominales plenos vidi, et ſuſpicor, oua per canalem de abdomine in lobos transgreſſa fuiſſe, poſteaque illis maturis factis lobos rumpi.

226. ONISCVS PSORA.

Oniſcus abdomine ſubtus nudo, cauda ſemiouali acuta.

Oniſcus Pſora, Syſtem. nat. I, 1060. Faun. Suec. 2054. Müll. prodr. 2374.
Fiskebjörn, Ström, I, 165. n. 2. Tab. I. fig. 2, 3. Pont. II, 87. c. fig. Bom. II, 400. n. 2.
Seewantze, Cr. 133.
Oscabjörn, Ol. 610. e.

GROENL. *Terkeingak*, *Saraulib-koma*.

DESCRIPT. Longitudo maxima 20 lin. et latitudo 9 lin. Totus fere ouali, ſupra infraque conuexiuſculus, laeuis glaber, 12 articulis conſtat, capite foliisque caudae exceptis. Color rubro-flauicans, abdominis vero limbique corporis, marginisque poſtici articulorum albus. Caput reliquo anguſtius, breue, rotundatum, Antennae frontis 4 verſus latera tendentes, moniliformes, baſi 3-articulata, ſuntque 2 inferiores duplo longiores. Oculi 2 magni ouales teſtae innati, diſtantes. Os ſub capite conſtans 2 maxillis et dente medio tegunt 6 palpi foliacei poſtici imbricati, et 2 laterales longiores capillares. Truncus ſupra veſtitur teſtis 7 imbricatis, transuerſim fere linearibus, conuexis, cum appendicula acuminata retrouerſa vtrinque: ex his 3 anticae latitudine accreſcunt, ſubtus concauae (pro thorace habendae), et 4 poſticae aequales (pro abdomine) ſubtus plenae. Abdomen ſubtus veſtit cutis nuda, continens ſuccum brunneum, (qui auctoribus lapis Petri,) per cuius medium inteſtinum vnicum rectum de capite in anum procedit. Pedes 7 vtrinque, vt articuli corporis proportionati, albi, apice nigro: tres priores reliquis craſſiores, vngue maiori inſtructi. Cauda trunco anguſtior compoſita eſt ex 5 articulis breviſſimis, planis, vtrinque in acumen retrouerſum exeuntibus, excepto vltimo. Terminatur cauda lobo latiore, ciliato, rotundato in acumen medium, cui vtrinque 2 foliola ouata ciliata annexa, et ſubtus ano incumbunt 10 alia bifida 2 ſeriebus. Anus in articulo extimo caudae.

HABITAT in profundo, gados maxime infeſtans, prae-

praesertim pinnis eius affixus. Pedibus 8 posticis incedit, et 6 anticis rapinam prehendit, tam arcte se affigens vnguibus suis, vt difficulter a pisce dirimatur.

227. ONISCVS AQVATICVS.†

Onisscus lanceolatus, cauda rotundata stylis bifurcis.

Onisscus aquaticus, Syst. nat. I, 1061. Faun. Suec. 2061.

GROENL. *Teitsib-Terkeinga.*

HABITAT in aquis dulcibus.

Hunc secundum incolarum effatum affero, a me ipso nunquam visum.

228. ONISCVS ASELLVS.

Onisscus ouatis, cauda obtusa stylis simplicibus.

Onisscus asellus, Syst. nat. I, 1061. Faun. Suec. 2058. Müll. prodr. 2369. Faun. Frid. 352.

Benkebider, Atl. Dan. 700.

Skrukketrold, Ström, I, 202. Bom. VII, 318.

Lodpurka, Ol. 714.

GROENL. *Kerksub-koma.*

DESCRIPT. Longus $5\frac{1}{2}$, latus $2\frac{2}{3}$ lin. — Supra conuexiusculus punctis minutis scaber; subtus concauus, vbi receptaculum pedum, sub cauda vero conuexitas parva. Figura fere elliptica, antice tamen obtusior. Caput paruum fere quadrangulare, fronte in lobos 3 suberectos incisa, medio acuminato, lateralibus rotundatis. Oculi laterales ouati concolores scabri. Antennae 5-articulatae duae, longitudine 4 articulorum corporis, retrouerti possunt. Truncus 7 articulis constat, qui in dorso totidem testis fere aequalibus (primo tamen paulo maiore) vtrinque

vtrinque retro acuminatis imbricati ſunt. Articuli caudae 5 minuti illis in corpore ſimiles, 2 tamen primis non acuminatis. Terminatur cauda ſtylis 2 breuibus ſimplicibus biarticulatis, interiecto breuiore, magis acuto, horizontaliter fiſſo. (An igitur varietas?) Pedes vtrinque 7 vnguiculati, tibiis ciliatis, femoribus ſulcatis, ſub abdomine recipi queunt, vt tali ſtatu apus videatur. Color griſeus, ſubtus pallidior.

HABITAT rarus ſub lignis putridis, ſemel tantum a me viſus.

229. ONISCVS MARINVS.

Oniſcus ſemicylindricus cauda ouato-oblonga integra.

Oniſcus marinus, Syſt. nat. I, 1060. Faun. Suec. 2057. Müll. prodr. 2373.

Oniſcus ſemicylindricus, caudae ſegmento ouato oblongo integro, It. Wgoth. 190.

Oniſcus fuſcus, Ol. 610. F.

(Linnaei *oniſcus aſſimilis*, Syſt. nat. I, 1061, forſitan nullus alius.)

GROENL. *Sirkſab-koma.*

DESCRIPT. Praecedenti ſimilis, vt primo intuitu pro eodem habeatur, attamen diuerſus. Maximus 4 lin. longus, et 1½ latus. — Dantur autem, qui vix pediculo humano maiores. Figura oblonga ſemicylindrica, antice poſticeque obtuſe rotundata. Frons integra. Antennae pedibus longiores duae, diſtantes, triarticulatae, articulo primo maiore cylindrico, medio minore conico, extimo filiformi tenuiſſimo et longiſſimo. Puncta 2 nigra pone antennas, quae oculi. Truncus 7 articulis laeviuſculis, margine ſubrotundis, ſubciliatis conſtat, ſupra conuexus, ſubtus concauus, vbi pedes 14 longiuſculi, tenues, articulati, minus acuti, margine vero inferiore ſubſerrati.

ſerrati. Cauda indiuiſa ex vnico articulo oblongo-ouato conſtat, ſubciliata et extremitate inciſuram vix notabilem viſam habens, de qua ſtyli 2 breuiſſimi acuti diſtantes. Anum obducunt foliola duo. Color variat, griſeus, fuſcus, niger, vireſcens, maculatus et immaculatus, fronte et partibus inferioribus ſemper albis. Dantur nigri macula vnica alba in dorſi medio; nigri vel griſei maculis 2 albis quadratis verſus poſtica; albi vel flauicantes poſtico capitis et articulo primo, ſexto ſeptimoque tantum nigris, qui pulcherrimi.

HABITAT ſine numero ad littora inter fucos lapidesque.

Aeſtu maris inſtante ſe condit in fiſſuris rupium, ne aqua careat, neque hieme ex gelu moriatur. Curſitat egregie in fundo maris; natantem autem non vidi. Interdum ſub arena cuniculos facientes gyrum aquae ſupra cauſantur. Arefactus ſtatim moritur. Eſt hic cum oniſcis cancriformibus ſequentibus cibus praecipuus anatis boſchadis et tringae ſtriatae.

230. ONISCVS CETI.

Oniſcus ecaudatus, ſegmentis diſtinctis, pedibus tertii quartique paris linearibus mollibus.

Oniſcus ceti, Syſt. nat. I, 1060. Faun. Suec. 2056. Pall. IX, 108. tab. IV. fig. 14.

Hvalfiſk-laus, Eg. fig. ad p. 37. Bom. III, 615 (vit.)

Walfiſchlaus, Cr. 134. Adel. 379. tab. XVII. fig. 11.

GROENL. *Arberub-koma.*

Hunc tam accurate deſcripſit cl. Pallas l. c. vt ſuperflua foret amplior deſcriptio. Obſeruandum tantum, quod color ab auctore non memoratus in meorum parte dimidia

dimidia antica fuſcus, poſtica albus ſit; caput etiam magis anguſtatum, et femora poſtica biaculeata.

HABITAT in balaenis, praeſertim ad pinnas pectorales, aures, vmbilicum et genitalia. Mea exemplaria accepi in balaena boope.

Tam arcte ſe cuti affigit, vt ſine mutilatione vix dirimi queat, niſi mortuus.

231. ONISCVS PVLEX.

Oniſcus cancriformis, compreſſus extremitatibus attenuatis, pedibus 4 anticis cheliformibus laeuibus, antennis ſummis longioribus, caudae dorſo ſpinoſo.

Cancer pulex, Syſt. nat. I, 1055. Faun. Suec. 2041.

Oniſcus Pulex, Müll. prodr. 2366. conf. Pall. IX. p. 79.

Marſlue, Ström, I, 188. Bom. V, 235.

Marſlo, Ol. 609.

Sanähara, It. Scan. 125.

Cancer pulex fluuiatilis, It. Oel. 42. 96.

Cancer Locuſta, Syſt. nat. I, 1055. Faun. Suec. 2041. iudice Pallade l. c. etiam huc pertinet; et certum eſt, deſcriptionem cancri coerulei It. Gothl. 260. ibi citatam Oniſco pulici omnino conueuire; licet ab autore ipſo pro diſtincto habitus.

GROENL. *Kinguk.*

DESCR. Hoc cum aliis cancriformibus facile confuſo, praeſertim in ſcriptis Linnaeanis diuerſe deſcripto, ampliorem delineationem dare lubet, vt eo facilius a ſequentibus diſtingui queat. Datur interdum magnitudine ſquillae; vulgo autem 19 linearum longitudine et 2 altitudine. Corpus habet compreſſum, dorſo tamen conuexiuſculo

xiuſculo et lobis lateralibus ſubtus patentibus, antice poſticeque attenuatum, extremitatibus ſubaequalibus, laeve, articulare; conſtans, praeter caput caudamque, articulis 10 imbricatis membranaceis, vtrinque lobo laterali prolongatis: articuli 4 antici ſimiles, minimi, lobos habent oblongos femoribus pedum ex parte annexos; 3 ſequentium ſenſim maiorum lobi breues rotundi a corpore ſeparati et femoribus annati; 3 vltimi maximi aequales lobis gaudent ſibi fixis magnis, antice rotundatis, poſtice angulatis. Caput articulo ſequenti paulo longius attenuatur in frontem rotundatam, non roſtratam, lobisque lateralibus carens. Oculi 2 lunares nigri, cruſtae pallidae innati, ad radices antennarum. Antennae 4 erectae, quarum 2 ſuperiores longiores, longitudine fere 7 articulorum corporis, conſtant 3 articulis ſenſim tenuioribus teretibus ſetis raris, et apice capillari longiori, cui ſeta breuior ad baſin; 2 inferiores breuiores, ſed craſſiores, magis curui, carent ſeta laterali, et ad baſin aculeo breuiſſimo gaudent, ceterum ſimiles. Os ſub capite gibbum obducitur papillis 2 poſticis oblongis baſi iunctis, totidem anticis, et 4 lateralibus lanceolatis vtrinque, ſub quibus maxillae 2 bidentatae, labium anticum cruſtaceum, et acumen poſticum; de ore gula nigra producitur inteſtino nigro lineari in articulo decimo deſinente et transparente. Pedum 7 paria ſub articulis 7 prioribus locata: quorum 2 antica chelifera ceteris breuiora et multo craſſiora, tribus articulis teretibus ciliatis praeter manum ſubouatam laeuem incraſſatam margine poſtico acuto ciliato, et digitum terminalem mobilem; par prius tamen breuius et manus minus incraſſatas habet: brachia haec plerumque ſub capite recepta ſunt; par tertium et quartum veri pedes, longiores, tenues, compreſſi, ciliati, 4-articulati cum vngue acuto retro curuato, antrorſum vergunt; quintum et ſextum ſimilia ſenſim longiora et craſſiora, ſed retro tendunt et femora habent magna oblonga compreſſa ciliata, articulis etiam 2 extimis biaculeatis, et vngue terminali

minali molliore minus acuto, margine verſus apicem ſetoſo: hinc pedes hi bifidi apparent; par ſeptimum brevius, ceterum ſimile. — Praeterea ſub articulis 3 ſequentibus 3 paria pedum natatoriorum abdomini incumbentia retrouerſa, biarticulata, tenuia, acuta, laeuia; pone par vltimum ſubtus anus. Inter brachia ſubtus in abdomine membranulae duae. Cauda compoſita eſt ex 3 articulis, quorum 2 priores in dorſo tricarinati ſpinoſi et ſubtus ſtylo bifurco vtrinque inſtructi, (ſic 2 paria ſtylorum, poſticis breuioribus et cornu interius furca longius habentibus,) tertius ſ. vltimus longior, anguſtior, ſupra planiuſculus ſpina breui vtrinque, et ſubtus totidem pro furca; terminatur foliis 2 intermediis minutis lanceolatis ciliatis, quae incumbunt aliis maioribus, ſc. 1 vtrinque biarticulato, apice diphyllo, extimo longiore. Color variat admodum pro fundo, dum alii obſcure vireſcunt, alii fuſci (qui vulgatiſſimi), brunnei nigricantes, pallide coerulei, et pauci albidi; ſemper autem vnicolores vidi.

HABITAT ad littora et ſcopulos maris ſtupenda copia inter fucos veſiculoſos et in fundo arenoſo, etiam in oſtiis fluuiorum.

Lateribus vel dorſo innatat; brachiis interea receptis et pedibus 6 poſticis in latera caudae erectis quaſi rectricibus, 4 intermedios et 6 natatorios, cum foliis caudalibus continuo motitat, et ſic cito ſatis ingreditur. In fundo etiam pedibus 6 poſticis, et furcis caudae incedere valet. Mari aeſtuante gregatim ſub lapidibus ſe condit.

Edit omne occurrens, praeſertim piſces mortuos, cadauera et pelles eiectos. — Etiam alia inſecta marina infeſtat; nec rarum eſt videre rapinam ſuam circumferentem: imo nec parcit congeneribus, (exque illis praecipue oniſcum cicadam *) pati obſeruaui,) nec confratribus, maior minorem ſemper conſumens nullo alio obuio. More

*) Vide infra Sp. 233.

More ſquillarum oua ſua ſub pedibus natatoriis circumfert, et tempore vernali parit.

De antipathia inter illum et dytiſcum antea memoratum eſt ſub Sp. 138.

Eſt ipſe cibus vulgaris anatibus, tringae ſtriatae, charadrio hiaticulae, cottis blenniis, actiniis, echinis, et aliis molluſcis.

232. ONISCVS MEDVSARVM.

Oniſcus cancriformis, compreſſiuſculus, fronte obtuſa antennis breuiſſimis nutantibus, manibus 4 compreſſo - inciſis *).

Cancer Meduſarum, Müll. prodr. 2355.
Marſlue vnder goplen, Ström, I, 188. tab. I. fig. 12. 13. Bom. V, 235.

GROENL. *Urkſurſak.*

DESCR. Longitudo vix 10 linearum, ſed 4 linearum altitudo. Corpus praecedenti minus compreſſum habet, antice craſſius, poſtice attenuatum, ſupra conuexum, laeue. Caput obtuſum ratione altitudinis oblongum dici poteſt, inferne anguſtatum in os tribus papillis mobilibus et maxilla antica immobili cinctum. Frons impreſſa, vbi iacent 2 breues antennae deorſum tendentes, capillares, os attingentes, quibus ſubiectae 2 aliae minutiſſimae iuxta os. Oculi 2 lineares arcuati pallide coerulei, lateribus frontis innati. Color totus flauicanti albidus, linea longitudinali nigra a capite in caudam, quae ſine dubio inteſtinum transparens. Truncus conſtat 7 articulis, minutis aequalibus. Pedes 14, quorum 8 antici antrorſum, 6 poſtici retrorſum tendunt; ſunt 10 poſtici ceterum

*) Hic aequo iure, ac cancer pulex, Oniſcis aſſociandus videtur; cf. Müll. prodr. p. XXVIII et Pall. IX. p. 77. vbi hoc genus determinatur.

rum ſimiles 3-articulati (femore compreſſo, tibia tereti tenuiore, apice acuto longiori curuo); 4 antici, pro manibus habendi, breuiores, biarticulati, articulo ſecundo etiam compreſſo, margine inferiore bis inciſo et vngue terminali mobili. Cauda 5-articulata attenuatur prae corpore; articulos autem longiores habet: ſub 4 anterioribus pedes 8 ſpurii ſ. natatorii biarticulati, lingulati; poſtremus autem exit in lingulas duas laterales cum breviore acuto intermedio; his ſubiecta ſunt foliola 2 bifida ſuperne non viſa.

HABITAT ſub filamentis meduſae capillatae, alibi non viſus; forſitan meduſae huius eſca.

Vt praecedens natat.

233. ONISCVS CICADA.*

Oniſcus cancriformis, compreſſus fere linearis, manibus 4 ſpuriis, antennis ſummis breuioribus, caudae dorſo laeui.

GROENL. *Kingungoak-aukpilartok.*

DESCRIPT. Longitudo vulgo 5 lin. et altitudo 1 lin. — Eſt Oniſco pulici ſimilis; tamen corpus antice latius et minus anguſtatum differt ſequentibus: Color totus pulchre rubicundus, oculis ſanguineis, et inteſtino longitudinali obſcuro. — Antennae 4 erectae biarticulatae (baſi nempe conica et apice ſetaceo); ex illis 2 ſuperiores ſunt breuiores, et baſin craſſiorem habent. Articuli 3 antici corporis aequales, quartus autem maior, et 3 ſequentes adhuc maiores coaequales. Pedes 14 omnes laeues compreſſi, non ciliati, praeter 6 ſpurios ſub cauda. Pedes 4 antici breuiſſimi brachiorum locum quidem occupant, ſunt autem pro more illorum admodum tenues, filiformes et compreſſi, breues; 2 antici breuiſſimi extremitate obtuſa cum vngue minuto; 2 poſtici tenuiores, longiores, (vt videtur,) moniliformes, manu magis in-

craſſata

craſſata terminati cum vngue mobili magis notabili. Hos ſequuntur 4 alii longiores capillares, apice curuo acuto; 6 ſequentes retro verſi femora lata ſuborbicularia habent et vnguem acutiorem, ſunt etiam craſſiores. Caudae articuli 3 priores praecedentibus longiores, ſed magis anguſtati coaequales; quartus etiam laeuis ſine ſpinis aut ciliis; vltimus minutus cylindricus laeuis terminatur ſtylis 2 biarticulatis, articulo extimo breui diphyllo lanceolato ciliato. — Sub extremitate caudae ſtyli bifurcati 4, ſimiles foliis caudalibus, ſublongiores.

Varietatem maiorem cum iam deſcripto vidi, cui oculi nigri iride ſanguinea, et antennae fere aequales, ſuperioribus tamen breuioribus 3-articulatis, inferioribus 4-articulatis; cetera vero conueniebant.

HABITAT in libero mari, raro inter fucos, potiſſimum ad oſtia riuorum in fundo arenoſo, non tamen numeroſus.

Natare ſolet (more praecedentium) verſus ſuperficiem maris, et ſubmergi volens ſupinus quieſcit, grauitate ſua fundum petens. Interdum duo coniuncti conſpiciuntur in ſuperficie aquae. Oniſco pulici, hoſti ſuo, non facile ſe aſſociat; nec tamen aeque cautus reſpectu alius hoſtis, qui Beroe (Müll. prodr. 2817): illi enim appropinquans tentaculis eius irretitur.

Hic prae ceteris ſanguinem haurire amat: phocae enim occiſae ſanguine in littora profluente ſtatim plures ſe congregant hauriendi cauſa, ſicut ſcarabaei in fimum equinum. Dicunt etiam Groenlandi, illum vulgari magis noxium eſſe.

234. ONISCVS ARENARIVS. *

Oniſcus cancriformis, antice depreſſiuſculus, poſtice carinato-ſubſerratus, pedibus 4 anticis cheliformibus laeuibus, antennis ſubaequalibus.

Cancer macrourus articularis, manibus adactylis, dorso carinato serrato, spinis caudae bifidis, Act. Hafn. X, 5. tab. II. f. 1 - 8. et Müll. prodr. 2358.?

GROENL. *Kinguk*, *Kinguſak.*

DESCR. Habet etiam hic multa communia cum Oniſco pulice; differt tamen in pluribus. Color griſeo-cineraſcens. Longitudo 8 lin., latitudo $1\frac{1}{2}$ lin. et altitudo $1\frac{2}{3}$. Caput rotundatum antice inter antennas terminatur acumine minuto, quaſi roſtro ſpurio. Corpus diſtantia 6 articulorum priorum (qui breuiores ſubaequales) ampliatum eſt, depreſſo-conuexum et minime carinatum nec ſerratum, teſtis omnibus laeuibus imbricatis, in ſequentibus vero 5 articulis carina dorſalis notabilis eſt, quae ad combinationem articulorum paulo prominens ſerraturam laeuem facit: ſunt etiam teſtae articulorum horum margine poſtico laterali arcuatae; in articulo ſeptimo corporis gibboſitas maxima: lobi laterales notabiles, et quidem articuli quarti maximus, ſubcordatus, quinti vero margine inferiore ſinuatus. Oculi nigricant lunati, cruribus antrorſum vergentibus. Reliqua quoad antennas, pedes et caudam cum deſcriptione Strömiana Act. Hafn. l. c. conueniunt; niſi quod ſtylos 4 bifurcos ſubcaudales, pro lingulis caudalibus aſſumſerit, et cum illis numerauerit; ſunt autem hi ſtyli magis acuti, quam lingulae. Memorat etiam 4 articulos caudales, extimum autem tantum deſcribere videtur; in fig. 8. tamen omnes 4 conſpiciuntur. Quadraret ſic deſcriptio eius, ſi non dorſum articulorum anticorum carinato-ſerratum pronunciaſſet, quod de parte poſtica mei tantum valet; in hoc igitur auctore non fallato exemplar eius forſitan alia eſt ſpecies, ſaltem varietas.

HABITAT in littoribus arenoſis, praeſertim, vbi vlua vmbilicalis creſcit, in qua mihi ſaepe obuius.

Oniſci pulicis mores habet; minus vero noxius.

235. ONI-

235. ONISCVS STROEMIANVS *).

Oniſcus cancriformis compreſſus, pedibus 4 anticis cheliformibus ſubdentatis, antennis ſummis breuiſſimis.

Cancer macrourus articularis, manibus adactylis, femoribus poſticis orbicularibus, ſpinis caudae bifidis, Act. Hafn. IX, 588. tab. VIII. Müll. prodr. 2357.

GROENL. *Kingurkſoak - Tungiortok; Kingupek.*

DESCR. Eſt oniſco pulici ſimilis, plerumque autem maior et colore violaceo. Differentiam optime oſtendit ven. Strömius in Act. Hafn, l. c.

HABITAT rarior inter vulgares.

236. ONISCVS ABYSSINVS.*

Oniſcus cancriformis ſubcylindricus, pedibus 4 anticis cheliformibus, dente vnico, antennis ſubaequalibus ſetiferis margine baſeos interiore ſerratis.

GROENL. *Kingungoak.*

DESCRIPT. Eſt hic omnium minimus graciliſſimusque; longitudine tantum 4 lin. latitudine ½ lin. et vix altior. Totus laeuis glaber elongatus, linearis, et fere cylindricus, lateribus tamen parum compreſſis. Caput vt in oniſco arenario. Oculi fuſceſcentes oblongi, latere poſteriore ſubarcuati, teſtae innati, margini frontali contigui. Antennae 4 longae dimidium corporis ſuperantes, ſubaequales, tribus articulis cylindricis, ſenſim extus breuioribus tenuioribusque, latere interiore ſerratis conſtant, praeter ſetam longiſſimam terminalem. Pedes 4 antici cheliformes, ſed admodum breues, praeter baſin

*) Sic in memoriam detectoris illum nominare liceat.

(vbi par ſingulum connatum,) conſtant 2 articulis, cylindrico nempe breui, apice ſubtus dentato, et manu craſſiuſcula oblonga, cum vngue mobili verſus dentem dictum ſe flectente; eſtque par prius poſteriori breuius. Quoad reliquos pedes et articulos corporis oniſco cicadae maxime conuenit; ſunt tamen pedes longiores, teretiores, vngueque validi. Cauda terminatur lingula acuta breui media et 2 longioribus lateralibus duplicatis ciliatis. Sub cauda pedes natatorii et ſtyli bifurcati, vt in congeneribus. Color flauicat, cum linea obſcura longitudinali, vt in ceteris, interdum etiam faſcia nigra transuerſali.

HABITAT in profundo ſuper vluas maximas, vix littus aggrediens.

Natat tamen vt congeneres.

237. ONISCVS SERRATVS. *

Oniſcus cancriformis ventricoſus, dorſo carinato-ſerratus, roſtro corniformi deflexo, manibus 2 ſpuriis, antennis ſummis ſublongioribus.

GROENL. *Kingungoak-kappinartolik.*

DESCR. Eſt quidem longitudine praecedentis, ſed 2 lin. altus et fere totidem latus. Corpus qua truncum, ſiue 7 priores articulos, latera habet ventricoſa; poſtica pars vero compreſſa, et dorſum totum in carinam acuminatum eſt, quae in articulis 4 anticis inarmata, in 6 ſequentibus autem armata mucrone valido retroflexo: ſic dorſum ſerratum apparet. Caput minutum in fronte terminatur mucrone valido, iis, qui ſunt in dorſo, longiore, deflexo inter antennas, quaſi roſtro ſ. cornu ſubtus fornicato. Antennae 4, quarum 2 ſuperiores paulo longiores, tenues ſenſim attenuantur in apicem ſetaceum, ceterum vt in oniſco cicada formatae. Oculi teſtae innati laterales, vt puncta nigra eminentia conſpiciuntur. Corpus teſtis glaberrimis durioribus, quam congenerum, et

arctiſſi-

arctiſſime imbricatis veſtitum, vt facile pro teſta vnica habeantur. Lobi laterales arcuato-acuti, 3 poſtici laterales deſinunt mucrone maiore retro curuato. Articuli 3 priores corporis minuti. Brachia breuiſſima manibus ſpuriis gaudent, retracta ſub teſta fere teguntur, vnguis apice tantum conſpicuo, qui ſatis magnus; deinde 2 paria pedum longiora et graciliora vngue terminato; denique 3 paria retro tendentia, paulo craſſiora, ſed, vt videtur, breuiora. Verſus os ſubtus membranae 2 imbricatae. Pedes etiam in hoc 6 natatorii acuti ſub cauda. Caudae articuli 2 in dorſo minus carinati, ſed ſingulus 2 mucronibus ſublateralibus armatus; lingulae terminales admodum acutae, fere vt in praecedente. Corpus totum ex albo croceoque faſciatum, mucronibus dorſi albis; antennae albae zona terminali crocea; pedes antici albi, poſtici loris croceis; os croceum: hinc pulcherrimus omnium. Nitor talis tenebris deſtinatus!

HABITAT enim cum praecedenti in locis profundis.

Egregie ſaltat in aqua, ſaepius etiam ac congeneres pronus natat. Pedes, antennas et caudam ſic ſub abdomine condere valet, vt nil niſi teſtae et ſpinae dorſi conſpiciantur, hinc primo intuitu facile pro concha habeatur; ſine dubio tali modo ſe contra hoſtes ſeruare conatur.

238 DAPHNE PVLEX.

Daphne cauda inflexa, teſta poſtica mucronata.

Daphne Pulex, Müll. prodr. 2400.
Monoculus Pulex, Syſt. nat. I, 1058. Faun. Suec. 2047. Faun. Frid. 849. Atl. Dan. 700.
Vandloppe, Ström, I, 210. n. 1. Bom. VIII, 362.

GROENL. *Taitſim-illærangoa*, *Taitſib-koma*.

DESCR. Vix pulice maior, rubicundus, ouatus, poſtice latior, compreſſus, ſubtus ventricoſior, magisque ro-

tundatus, dorso compressior rectior acumine terminatus. Pedes natatorii sub testa conditi transparent. Cauda inflexa. Caput minutum album oculo vnico frontali nigro. Antennae setiformes dichotomae.

Variant quidam dimidio postico nigro, ceterum similes.

HABITAT numerosus satis in aquis stagnantibus, etiam hieme sub glacie, qua fracta in conspectum venire solet.

Saltat egregie in aqua. Quiescens antennas continuo motitat.

239. BINOCVLVS PISCINVS.

Binoculus oculis marginalibus, testa oblongo-cordata plana, cauda abbreuiata, appendiculis 2 teretibus corpore longioribus *).

Binoculus piscinus, Müll. prodr. 2408.
Monoculus piscinus, Syst. nat. I, 1057.
Fiskeluus, Ström, I, 167. n. 1. 2. tab. I, f. 4-6. Bom. II, 405.

GROENL. *Netarnab-koma.*

DESCR. Longitudo 5 lin. (exceptis ouariis), latitudo maxima 2 lin. Caput minutum fronte incisum, vtrinque emittit antennam acutam apice setaceam, breuem. Oculi oblongi marginales testae innati, vix notabiles. Thorax,

*) Sic illum determino, vt distinguatur a simili, qui in salmonibus occurrit, descriptus Faun. Suec. 2045. et Act. Hafn. X, 23. tab. VII, non in Groenlandia visus. Hos enim systematici minus recte combinasse videntur. Ambas species possideo, et vidi differentiam respectu caudae notabilem satis, dum in salmonaea elongata tetraphylla, in groenlandica autem breuissima apice bifido; in vtraque autem ouaria 2 longa, quibus Lernaeis affinis.

Thorax, ſub quo pedes, maximam partem efficit, ſupra conuexo-planus, ſubtus concauus, figura oblonga, margine poſtico arcuata. Pedes formati et ordinati vt in Binoculo ſalmonaeo Act. Hafn. l. c.; praeterea 3 furcae minutae. Abdomen thorace anguſtius breuiusque conſtat 1) duabus lamellis, ſuperiore quadrata de inciſura thoracis poſtica prolongata, et inferiore latiore rotundata de cauitate thoracis emiſſa; poſtice hae duae lamellae ſolutae ſunt nec cohaerent cum 2) interiecta parte anguſtiore, quae a lamella inferiore tegitur, non vero a ſuperiore, eſtque magis teres; 3) ſequitur illam extremitas paulo latior ventricoſa, teretiuſcula, oblonga, ſulcis 2 longitudinalibus in 3 eminentias conuexas diuiſa: ex illis pars media in caudam breuem conicam prolongatur filamentis 2 acutis ſimplicibus, non longis, terminata. Ad latera huius in extremitate abdominis ſubtus radicatae ſunt appendiculae caudales (forſitan ouaria) 2 teretes molles corpore longiores, quae in quibusdam ramoſae. Os ſubtus in combinatura capitis thoracisque. Anus ſub extremitate abdominis. Color maiorum rubro-flauicans, ouariis pedibusque albis; iuniorum albidus. Ouaria non in omnibus: ſaepiſſime enim his mutilatur; nec raro vnicum tantum conſpicitur.

HABITAT in Pleuronecte hippogloſſo, cuius dorſo ſe arcte affigit parte antica.

Cito currit ouaria poſt ſe trahens, nec retrogredi cogi poteſt.

Mucus Pleuronectis videtur eſſe eſca eius.

240. CYCLOPS BREVICORNIS.

Cyclops antennis (mari) vnguiculatis, ſetis caudae binis longiſſimis.

Cyclops breuicornis, Müll. prodr. 2414.
Eenöyet Söcloppe, Act. Hafn. IX. 590. tab. IX.

GROENL. *Ingnerolanek.*

DESCR. Eſt ſufficienter deſcriptus in Act. citatis. Qualis mihi nudis oculis conſpicuus erat, corpus habebat ouali-cylindricum, poſticis attenuatis, caudam ſetis longiſſimis terminatam, antennas mediocres, et oculum ſolitarium aeneum nitidiſſimum frontis. Colore erat pallido, linea longitudinali obſcuriore.

HABITAT in freto Dauidis per multas myriades.

Noctu lucet phosphoricus: quod obſeruaui, dum aquam marinam lucentem introduxi, nec aliud quam hunc monoculum detegere potui; poſtea tali in tenebras educto oculus eius fulgore ſuo aeneo ſe indicauit. Hic igitur tam copioſe obuius in mari forſitan cauſa praecipua phosphori marini.

Eſt hic cibus oniſcorum et vermium molluſcorum quam plurimorum.

VI.

VERMES.

241. GORDIVS MARINVS.

Gordius filiformis plano ſpirali conuolutus.

Gordius marinus, Syſt. nat. I, 1075. Müll. prodr. 2578.

Queiſe, Ström, I, 194. Bom, VI, 436. Müll. v. Würm. 112.

Meerwurm, Ionſt. inſ. tab. XXV.?

GROENL. *Kumak*; ſpeciatim reſpectu piſcium, in quibus habitat: *Saraulib-kuma*, *Okotab-kuma*, *Okabkuma*, *Angmakſab-kuma*, *Sullupaukab-kuma.*

DESCR. Longitudo $\frac{2}{3}$-$1\frac{1}{2}$ vnc. craſſities $\frac{1}{4}$-$\frac{2}{7}$ lin. Teres, filiformis, extremitate altera attenuata, quam pro cau-

cauda habeo, dum oppoſita eſcam perfodiens ſemper interior et occultata, haec corpore reliquo vix anguſtior, amputata, vbi orificium, quod viſui ſe ſimpliciſſimum offert. Cutis exterior membranacea laeuis, minus annulata, quaſi tubulus interne ſeruat inteſtinum mollius, quod ex tubulo protrahi poteſt; ſi etiam tubulus antice mutilatur, inteſtinum hoc apice ſuo prominere ſolet: hinc ibi non connexi videntur; et ſubſumo, tubulum extremitate ſua in exemplaribus integris ſeparatim prominere, intra quem apex inteſtini propria apertura terminali inſtructus protrudi et retrahi poteſt: difficilime autem in hac re certum quid determinatur. Color totus albidus, nitidus, in maioribus tantum interanea granulata lucidiora transparent, extremitate poſtica obſcuriore. Semper in plano ſpirali conuolutus eſt, membranula tenuiſſima communi ſuperne, quaſi tecto, obductus, ex qua non raro cauda prominet.

Varietates duas huius vidi:

β) multo maiorem magnitudine lumbrici terreſtris minoris, viuaciorem et totum griſeum, cuius extremitas antica quaſi fiſſa; in ceteris ſimilem.

γ) magnitudine et ſtatura vulgari griſeam, cingulo albo (non tamen eleuato) verſus antica.

HABITAT in hepate, nec non ſuper inteſtina, et in carne ipſa, piſcium.

Vulgaris α) mihi obuenit in hepate *gadi callariae* et *barbati*; inter inteſtinula coeca, quae appendices pylori in *gado barbato;* in humore ſanguineo ſuper inteſtina *ſalmonis arctici*, et in carne intra cutem abdominis *Pleuronectis plateſſoidae*, frequens.

Varietas β) tantum ad inteſtinula coeca *gadi harbati* *); γ) vero ibidem tam in illo, quam in *perca Norvegica*, huiusque hepate. Sub

*) Poſthac haec varietas numeroſa mihi occurrit in gado islandico ſalſo et planato (vulgo *Klipfiſch*), et quidem in carne

Sub tecto suo immobilis est, et vix pro viuo haberetur; exemtus autem, et in aquam missus variis motibus se torquet, nec facile locum mutans.

242. GORDIVS LACVSTRIS.

Gordius plano spirali conuolutus, vtrinque attenuatus.

Gordius lacustris, Syst. nat. I, 1076. Müll. prodr. 2579.

GROENL. *Kakilliſab-kuma.*

DESCRIPTIO Syst. nat. l. c. conuenit. Exemplar meum vix capillo crassius.

HABITAT in intestinis gasterostei aculeati.

Melius ac praecedens procedere potest medium curvando et postica in anticorum locum mutando, licet satis inepte, se etiam in gyrum conuoluit vt ille.

243. GORDIVS GLOBICOLA. *

Gordius antice obtusior subbifidus, globulum membranaceum inhabitans.

Vermis Bellonii in Cernuis obuius, Ionst. inf. 183. huc pertinere videtur.

GROENL. vt praecedens.

DESCR. Vix 4 lin. longior et $\frac{1}{3}$ lin. latus. Totus gelatinosus, laeuis, planiusculus, antice latior, postice attenuatus (non tamen acutus). Color aqueus, extremitatibus et linea longitudinali dorsi lacteis. Sic lactea pars antica vt caput considerari potest subtus rimam amplam habens, quae in fronte fissuram minus notabilem format.

carne ipsa, vbi adhuc viua, licet cum pisce tam validam pressuram subiens; quod de viuacitate eius satis testatur.

format. Plerumque intra globulum membranaceum convolutus est, interdum cauda exserta, raro nudus.

HABITAT tam nudus, quam globulis suis in *gasteroſteo aculeato*, cuti exteriori ventriculi adhaerens. *) Si nudus, tam curuatam, quam erectam figuram habet, caput suum intestino piscis inserens; si obtectus, per canalem tenuissimam de globulo in intestinum victum suum accipere videtur, estque ipse globulus materia mucosa impletus.

244. GORDIVS INTESTINALIS. *

Gordius linearis flauicans, linea longitudinali rubra in extremitate altera.

Vix *gordius argillaceus*, Syst. nat. I, 1075. Faun. Suec. 2069. Müll. prodr. 2577.

GROENL. *Kumak.*

DESCRIPT. Longitudinem pedis interdum attingit vix latior $\frac{2}{3}$ lin. Totus laeuis, mollis, parum mucosus, intestinali tenacitate et figura, vt primo intuitu pro tali habeatur, planiusculus, filiformis. Color pallidus tinctura flaua, et in extremitate altera linea longitudinalis rubicunda, ante medium desinens, conspicitur; forsitan haec ductus gularis et sic in extremitate antica: quod tamen difficulter determinatur extremitatibus similibus, nec orificio visibili.

HABITAT in littoribus maris, vbi fundus ex argilla et sabulo mixtus est.

In

*) Similem etiam postea inueni in Norwegia super ventriculum salmonis Lauareti; et, me iudice, hi tres (241-243) a ceteris gordiis diuersi, tam ob tegumentum suum, quam quia pisces inhabitant, facile genus distinctum efficere poterant, cuius adhuc quartam speciem sanguineam *piscicolam* detexi, piliformem massam inhabitantem,

In fundo ipſo occultatus iacet, nec aperturam vel tumulum ſuperum vidi. Interdum ex parte ſuper fundum conſpicitur, extremitatibus tamen ſemper inſertis, et figuras varias formans, vt facile pro pluribus habeatur. Extra elementum ſuum extremitates quidem prolongare poteſt, non vero procedere medio immobili, tandemque feſſus in gyrum ſe inuoluit: ſi vero terreum quid attingere poteſt, extremitates ſtatim inſerit; et ſi plures tumulos terreos, omnes perfodit, ex parte tectus, ex parte nudus; demum acquieſcit.

245. GORDIVS CINCTVS. *

Gordius albus, dorſo cinguloque antico griſeis.

GROENL. *Kumangoak* (quod nomen etiam competit 2 ſequentibus).

DESCR. Eſt 4 lin. longus et tantum craſſitie ſetae ſuillae. Totus laeuis, teres, nitidus, filiformis vix apicibus attenuatis, membranaceus. Color abdominis et extremitatum albus, dorſi vero griſeus, qui antice, vbi terminatur, cingulo lato etiam abdomen ambit; dico haec antica: nam hac extremitate praeſertim ſe mouet et fundum perfodere quaerit; inque ſummo apice punctum candidius conſpicitur, quod ſine dubio orificium.

HABITAT in fundo marino arenoſo ad littora. Semper plures inter ſe contortuplicati ſunt. Solitarium etiam inter cirros lumbrici cirrati captum vidi: ſine dubio igitur illi vt eſca inſeruit.

246. GORDIVS CAPILLARIS. *

Gordius totus albus, filiformis, graciliſſimus.

DESCR. Longitudo interdum 2 vnc. et vix pilo humano craſſior, poteſt autem ſe contrahere vt 1 vnc. aequet.

quet, tunc craſſitie pili ceruini. Totus eſt albus, laevis, mollis, et exacte filiformis; extremitatibus minime attenuatis. Niſi moueretur, vix obſeruaretur.

HABITAT in ſabulo ſub lapidibus littoreis.

In aqua flexuoſe ſe mouet. Sine mutilatione mire extendi poteſt.

247. GORDIVS LACTEOLVS. *

Gordius extremitatibus attenuatis, albidus interaneis lacteis interruptis.

DESCR. Eſt omnium minimus, vix 3 lin. longior, nec craſſior pilo muſtelae. Color albidus, ſed in tractu medio corporis interanea lactea paſſim interrupta transparent. Teres eſt mollisque, vtraque extremitate acuta ſimili.

HABITAT in baſi calcarea Tubiporae ſerpentis, poros minutos ibi obuios implens.

248. ASCARIS VERMICVLARIS.

Aſcaris cauda ſetacea.

Aſcaris vermicularis, Syſt. nat. I, 1076. Faun. Suec. 2071. Müll. prodr. 2585. Ej. Verm. 165.
Smaa Spolorme, Bom. VII, 550.
Vermes hominum aſcarides, Ionſt. inſ. p. 185. tab. XXIV (minimi).

GROENL. *Koartak.*

Exacte deſcripta eſt a Müll. Verm. l. c.

HABITAT in inteſtinis puerorum. Vidi matres infantes ſuos illis priuare, anum acu luſtrando.

249. ASCARIS LVMBRICOIDES.

Aſcaris apice trinodi.

Aſcaris

Aſcaris lumbricoides, Syſt. nat. I, 1076. Faun. Suec. 2072. Müll. prodr. 2586. Ej. Verm. 166.

Börne orm, *Skolorm*, Bom. VI, 41.

Vermes hominum teretes, Ionſt. inſ. p. 185. tab. XXIV, n. 1.

GROENL. *Innub-kuma*, *Kumarkſoak*.

DESCRIPT. $6\frac{1}{2}$ vnc. longam vidi, in qua rugae annulares ſatis conſpicuae. In viua etiam inteſtinum rubrum longitudinale transparens vidi.

Reliqua vide Müll. Verm. l. c.

HABITAT in inteſtinis humanis. Praecedente rarior.

250. ASCARIS PHOCAE. *

Aſcaris pallida, inteſtino lacteo ſpirali.

Aſcaris Neitſib, Müll. prodr. 2590.

GROENL. *Neitſib-kuma*.

DESCR. Teres eſt vtraque extremitate attenuata, poſtica tamen magis exacte acuminata ſimulque adunca. Tota pellucida membranacea, pallida, ſed interanea lactea ſpiralia transparent. Subtus ad apicem anticum rima transuerſalis. Longitudo plerumque $3\frac{1}{2}$ vnc., et latitudo 1 lin.; vidi autem 8 vnc. longam.

HABITAT in inteſtinis *phocarum*, *groenlandicae* et *foetidae*.

Vermiculis his quam plurimis fere conſumtum vidi cor phocae foetidae attamen viuae; cor autem antea harpagine vulneratum erat. *)

251. ASCA-

*) Huius et ſequentium aſcaridum deſcriptiones exactiores cum figuris exſpectari poſſunt in faſciculo quodam Zoologiae danicae, vel alia occaſione.

251. ASCARIS TVBIFERA. *

Aſcaris, antice roſtro cylindrico quaſi prolongata.

Aſcaris Urkſuk, Müll. prodr. 2591.

GROENL. *Urkſub-kuma.*

DESCRIPT. Eſt minuta, vix 1 vnc. longa, et $\frac{1}{2}$ lin. lata antice. Poſtica pars enim exquiſite attenuatur ſetiformis; antica prolongatur roſtro cylindrico anguſtiore. Tota glabra, albida.

HABITAT in ventriculo *phocae barbatae.*

252. ASCARIS BIFIDA. *

Aſcaris poſtice fuicata, antice curua ſetiformis.

Gordius Atak, Müll. prodr. 2592.

GROENL. *Atab-kuma.*

DESCR. Magnitudo fere Aſcaridis phocae. Teres, laeuis, membranacea, antice roſtro curuo acutiſſimo inſtructa, ad cuius baſin porus; exque hoc proboſcidem breuem, vt ſetam graciliſſimam emitti vidi. Poſtice vix attenuatur, extremitate autem bifida. Color pallidus, inteſtinis lacteis contortuplicatis.

HABITAT in inteſtinis phocae groenlandicae.

253. ASCARIS RAIAE. *

Aſcaris poſtice attenuata integra, antice ſetiformis ſubcurua.

Aſcaris Rajae, Müll. prodr. 2593.

GROENL. *Taralikkiſab-kuma.*

DESCR. Praecedenti ſimilis. Magnitudine et colore conueniunt; ſed haec poſtice attenuatur extremitate

integra (ſine furca) et quaſi abrupta. Roſtrum longius, compreſſum, linea longitudinali quaſi fiſſum, baſi impreſſum, et pone apicem ſetam emittens.

HABITAT in ventriculo Raiae fullonicae.

254. ASCARIS PLEVRONECTIS.*

Aſcaris roſtro attenuato poſtice cingulo elevato terminali.

Aſcaris Pleuronectis, Müll. prodr. 2594.

GROENL. *Okotáb-kuma.*

DESCRIPT. Longa $2\frac{1}{2}$ vnc. lata $1\frac{1}{4}$ lin. Similis eſt quidem duabus praecedentibus, quod teres, laeuis et eiusdem coloris ſit: ſed extremitatibus ſuis differt, dum antica craſſior roſtro attenuato obtuſiuſculo breui, ad cuius baſin orificium profundius cum puncto eminente medio; poſtica autem attenuatior cingulo eleuato terminata, in cuius medio anus.

HABITAT in ventriculo *Pleuronectis plateſſoidae.*

255. ASCARIS GADI. *

Aſcaris vtrinque pinna laterali deſinente ante anum prolongatum.

Aſcaris gadi, Müll. prodr. 2595.

GROENL. *Okab-kuma.*

DESCR. Longitudine praecedentis, ſed paulo gracilior ſenſim retro attenuatur, non tamen ante medium notabiliter. In extremitate antica roſtrum prominulum breue, acutum, ſubcuruum, ad cuius curuaturam ſubtus orificium retuſum, quorſum tendit intus linea alba curua, quaſi guttur, ex orificio tamen non prominens. Poſtice non exquiſite acuta, ſed cono minuto quaſi prolongata; ante quem incipit membranula ſ. pinna ſpuria lon-

longitudinalis vtrinque, antrorſum ſenſim gracilior, et verſus antica vix notabilis. Ceterum teres eſt, glabra, ſubmembranacea, cinereo-fuſca interaneis albis contortuplicatis; poſtica pars vero lactea.

HABITAT in ventriculo *gadi barbati.*

256. ASCARIS VERSIPELLIS. *

Aſcaris rugoſa, compreſſiuſcula, ſubobtuſa, antice ſubtus orificio lunari.

Aſcaris verſipellis, Müll. prodr. 2596.

GROENL. *Okab-kuma.*

DESCRIPT. Contracta plerumque 1 vnc. non multum ſuperat longitudine, 1 lin. lata; tunc rugae permultae conſpicuae ſunt, magisque compreſſam figuram habet: extendere autem ſe valet in 3 vnc. longitudinem, tunc laeuior, teretior, et multo gracilior; antica pars tamen non multo nec facile attenuatur, vbi roſtrum protractum obtuſum habet, et ſubtus orificium lunare, e quo proboſcidem teretem curtam protrudere poteſt, haecque inde in inteſtinum rectum totum corpus percurrens producitur. Poſtice obtuſa eſt ano humiliore, qui in candidis puncto croceo ſignatur. Eſt haec mollior praecedentibus. Color variat reſpectu fluidi, in quo ſe volitat, iam albidus inteſtino griſeo, iam griſeus, fuſcus, flauus, fuluus, croceus, rubicundus, violaceus, et ſemper linea laterali candida.

Ob hanc proprietatem ſuſpicor, *Clypearum Rödaat* (Ström, I, 160.) eſſe hanc, vel ſaltem cognatam aſcaridem, collatis dictis Müll. von Würm. p. 116. 117. *)

HABITAT in inteſtinis *gadi barbati.*

*) Vermis autem, qui eodem ſcripto p. 118. tab. III, fig. 1-3. occurrit, eſt ab hoc diuerſiſſimus, de quo infra ſub titulo *Planaria fuſca* Sp. 306.

257. ASCARIS ALCE. *

Aſcaris antice ſubtus rugis lateralibus mediatatem eleuatam includentibus.

Aſcaris Alcæ, Müll. prodr. 2597.

GROENL. *Akpab-kuma.*

DESCR. Tenet interdum longitudinem 4 vnc. ſed praecedente vix craſſior. Eſt teretiuſcula, antice acutiuſcula, ſubtus planata rugis ſ. plicis lateralibus interſtitio longitudinali eleuato, ante quod orificium. Poſtice ſubprismatica, extremitate exquiſite acuta. Color albus, linea longitudinali nigra in dorſo.

HABITAT in inteſtinis *alcæ picæ.*

258. LVMBRICVS TERRESTRIS.

Lumbricus ruber octofariam aculeatus.

Lumbricus terreſtris, Syſt. I, 1076. Faun. Suec. 2073. Müll. prodr. 2602. Ej. Verm. 157. Ionſt. inſ. 186.

Erdwurm, Cr. 105. Müll. v. Würm. 161. not. 53.

Jordorm, *Regnorm*, *Jordmak*, Bom. VI, 55. And. 100.

Regenwurm, Horr. 277.

Aamumadkr, *Aanamadkar*, Ol. 220. 714.

GROENL. *Pullateriak.*

DESCR. Lumbrici groenlandici, inter minores numerandi, ſunt magis fuſci quam rubri; ceterum conueniunt deſcriptioni, quam exactam habemus Müll. Verm. l. c.

HABITAT in terra, et praeſertim ad littora aquarum.

Saepius vidi hunc vermem ſub tactu in duos euadere, minorem nempe de maiore prehenſo cadere. Hoc

ſciunt

ſciunt Groenlandi id me docentes, qui putant maiorem pullum parere; quod etiam non abnuerem: erant enim ambo integri.

Hic etiam lubet afferre obſeruationes inſtitutas in Lumbrico (non groenlandico, ſed) noruegico. Erat hic in terra pingui paſtus, et maximus, quem vidi, circiter pedem longus et craſſitie pennae cygneae, vt tam annulos quam aculeos nudis oculis conſpicere poſſem. Aculeorum 2 paria erant vtrinque verſus abdomen, ſic octofariam in omnibus annulis, excepto cingulo, quod magis inaequale et poroſum, nec multum eminens. Annulos numeraui 143: ſc. ante cingulum 31, in cingulo 6 et pone cingulum 106; et in verme contracto ſingulus annulus ſubdiuiſus erat ruga minori. In articulo 15to verruca pallida cum foramine vtrinque, vt ſcribit cel. Müllerus; ſed praeter illam 25to et 26to duae verrucae minores in conſpectum venerunt, ante quas in articulo 24to membrum laxum propendebat antrorſum tendens, ſimile cuticulae albumen oui veſtienti, quod humorem cryſtallinum continebat impreſſura ex apice profluentem. — An membrum genitale maſculum? Talem vidi tempore matutino ſuper terram ſoli obuerſam.

259. LVMBRICVS VERMICVLARIS.

Lumbricus albus bifariam aculeatus aequalis.

Lumbricus vermicularis, Müll. prodr. 2603. Ej. Verm. 158.

GROENL. *Kumangoak.*

DESCRIPT. Extremitas antica vix craſſior dignoſcitur difficulter impreſſione orificii ſub apice ſ. roſtro attenuato breuiſſimo; ſi igitur reſpectu oris abdomen determinatur, aculei nitidi exſerendi corporis abdomini ſunt propiores et retro tendunt. Praeter inteſtinum ſordibus repletum etiam in quibusdam lacteum quid mobile

interaneum ad antica vidi, forsitan ouarium. Reliqua dat Müll. Verm. l. c.

HABITAT cateruatim in ligno humido domuum groenlandicarum.

260. LVMBRICVS RIVALIS. *

Lumbricus albidus, linea longitudinali flauicante.

An Lumbricus ille, qui in societate Lumbrici tubicis habitare dicitur Müll. Verm. Vol. I. P. II. p. 28?

GROENL. *Kumangoak.*

DESCRIPT. Vix 4 lin. longior et crassitie tantum fili tenuioris. Corpus teres, filiforme, extremitatibus subattenuatis, praesertim postica, (quam secundum motum determino, sub quo illa semper postica,) pluribus segmentis annularibus nudo oculo etiam conspicuis constat, (tales 30 numeraui,) et vtrinque versus abdomen aculeis exserendis armatum. Color albidus, intestino flauicante serpentiformi transparente, ante extremitates tamen desinente.

HABITAT in paludibus et riuis inter radices plantarum.

Plerumque radices et caules, quousque humidos, spiraliter ambit, illosque tali statu ascendere solet; in plano autem et aqua minus progredi valet.

261. LVMBRICVS LINEATVS.

Lumbricus albus, linea longitudinali rubra.

Lumbricus lineatus, Müll. prodr. 2606. Ej. Verm. Vol. I, P. II, p. 29.

Der Faden-Wurm, Müll. v. Würm. p. 110. Tab. III, fig. IV, V.

GROENL.

GROENL. *Kumak.*

Eſt ſufficienter deſcriptus ll. cc. Multos vidi linea fulua notatos.

HABITAT ad littora ſub fucis de mari proiectis.

262. LVMBRICVS MARINVS.

Lumbricus papillis dorſalibus geminatis ſetigeris.

Lumbricus marinus, Syſt. nat. I, 1077. Faun. Suec. 2074. Müll. prodr. 2609. It. Wgoth. 189. tab. III. fig. 6.
Orm, It. Scan. 315.
Fjæremak, *Sandmak*, Ström, I, 187. Bom. VII, 101.
Fjörumadkur, *Beitumadkr*, Ol. 71. 611. 714. T. X. f. 8.

HABITAT ſub arena littorea.

Ab incolis non adhibetur.

263. LVMBRICVS CAPITATVS.*

Lumbricus ruber quadrifariam aculeatus, antice incraſſatus, poſtice graciliſſimus.

Lumbricus littoralis minor, Ol. 611, b.

GROENL. *Pullateriak.*

DESCRIPT. Longitudine fere lumbrici terreſtris. Teres, (ſubtus tamen planiuſculus, ſubcanaliculatus,) annulatus ſulcis profundis. Segmenta corporis 42 - 82: quarum 7 antica incraſſata et roſtro breui acuminato terminata; reliqua retro lente attenuantur, vt extremitas poſtica valde tenuis euadat, craſſitiem fili tenuioris tantum habens, non tamen acuta; ſuntque haec segmenta fragiliora, oblongiora et quaſi catenata. Totus ſupra

infraque 2 ordinibus (subtus magis approximatis) maxillas minutas habet setigeras, quae in articulis 7 prioribus vix notabiles, cum setis maioribus semper visibilibus, nec (vt videtur) retractilibus; in reliquis vero maiores cum setis inclusis exserendis. Os foramen impressum subtus ad basin rostri. Color anticae partis ruber, (in quibusdam parum liuens,) posticae vero variegatus ex albo, rubro griseoque (interdum virescenti), extremitate tamen plerumque alba.

HABITAT in sabulo littoreo et sub lapidibus.

Sub fundo de sabulo tubulos minus continentes sibi format, supra fundum vix conspicitur; per foramen superum tamen arenam in tumulos spirales protrudit.

264. LVMBRICVS ARENARIVS.*

Lumbricus albidus, interaneis rubris, cingulo eleuato antico pallidiore, bifariam ad ventrem aculeatus.

Lumbricus arenarius, Müll. prodr. 2614.

GROENL. vt antecedens.

DESCR. Est longitudo plerumque 14 lin. et crassities $\frac{1}{2}$ lin.; sed se extendendo fit multo longior tenuiorque. Teres, extremitatibus attenuatis segmentis annularibus minutis (54-76) constans, laeuis, glaber. Pone 8 segmenta antica sequitur cingulum longum ex 3 segmentis constans, reliquo eleuatius. Versus ventrem 2 ordines setarum breuissimarum, etiam in cingulo exserendarum. Est admodum fragilis. Color albo-rubicundus, intestino sanguineo serpentino longitudinaliter transparente; cingulum eleuatum pallidius, intestinis sanguineis tenuissimis contortuplicatis.

HABITAT in sabulo arenoso, vel argillaceo, marino gregatim.

Socia-

Sociabilis quidem; in communi tamen gleba ſingulus proprium habet cuniculum flexuoſum: hinc gleba fracta diuerſae partes corporum diuerſorum in conſpectum veniunt. Interdum dimidia parte ſuper fundum prominet. In aqua etiam motu flexuoſo protendit.

265. LVMBRICVS MINVTVS.*

Lumbricus rubicundus, cingulo eleuato pallido, fere medio, ventre bifariam aculeato.

Lumbricus minutus, Müll. prodr. 2616.

GROENL. *Sirkſab-kumangoa.*

DESCRIPT. Longitudine $\frac{1}{3}$ vnc. tantum aequat, praecedente tamen vix gracilior. Teres, extremitate poſtica leniter attenuata, annulatus ſegmentis (24 circiter) minutis; 8 priora ſequitur cingulum eleuatum longum ſatis, in medium vermis fere continuatum, ex 3 annulis vix viſibilibus conſtans. Subtus 2 ordines approximati ſetarum breuiſſimarum; in cingulo tamen illas non obſeruaui. Color rubicundus ſ. inteſtinum rubicundum recta per totum corpus procedit, pro ſingulo ſegmento dilatatum parietibus pellucidis; cinguli autem tertia pars ſaturatius rubra, reliquis duabus vix coloratis interaneis albis contortuplicatis.

HABITAT inter lapides et radices fucorum veſiculoſorum, tam alte, vt a mari etiam leuiter decidente relinquatur, et quidem ſuper fundum. Sociatim viuit; ſine inceſſu vero ſuper fundum ſe voluere tantum ſolet.

266. LVMBRICVS CIRRATVS.

Lumbricus quadrifariam aculeatus, cirrisque vtrinque longiſſimis, ad antica faſciculatis.

Lumbricus cirratus, Müll. prodr. 2608. Ström, I, 188. Müll. v. Würm. 193 (4). Act. Nidr. IV, 427. T. XIV. f. 7. Bom. VI, 57.

Lumbricus marinus cirris longiſſimis, Martini Naturlex. II. 482. t. E. f. 6.
Fjæremak behængt med lange Traade, Act. Hafn. X, 26. Tab. VIII.

GROENL. *Nyaurſelik.*

DESCR. Qui antea hunc deſcripſerunt, mutilatum tantum viderunt; quod patet tam ex deſcriptionibus, quam figuris datis. Multos vidi viuos, tam mutilatos, quam integros; et ſecundum hos deſcriptio ſequens ſine microſcopio facta eſt. *) Plerumque 2 vel 3 vnc. longitudine tenet, craſſitie terreſtris mediocris. Totus teres, extremitatibus parum attenuatis, obtuſis. Conſtat pluribus ſegmentis annularibus (64 praeter caput caudamque numeraui,) ſatis notabilibus, verſus caudam tamen minutis. Antice ſegmento maiore terminatur, quod anguſtato-rotundatum caput refert, laeue, pallidum, vertice linea lunata nigra vtrinque quaſi oculo ſignatum, ſingulo in 4 minores (vt videtur,) faſciis albis interrupto. Sub capite os ſ. apertura parua cum operculo rotundato antico. Caput ſequuntur 2 ſegmenta alba, vtrinque cirris multis albis filiformibus, mollibus, faſciculatis, baſi tamen interſtinctis, antrorſum vergentibus cincinnata, quos numerare non potui, nec credo ſemper eundem numerum ſeruare. Dein ſegmenta 13 ſenſim creſcentia longitudine et latitudine, ſupra planiuſcula, albido-flauicantia, infra vero hepatis colore interſtitiis dorſo concoloribus. Iam 6 ſegmenta maiora et latiora, aequalia, ventricoſa, hepatica interſtitiis albis (ſic albo faſciata pars illa); poſt illa 11 alia 13 illis anticis ſimilia, ſenſim retro minora; iterum 6 vt 6 priora, et 26 vt 13 antica formata, planiora

*) Miror igitur, quod reuer: Strömius Act. Hafn. l. c. dicat, nihil in viuo accurate conſpici poſſe; mortuum in ſpiritu vini contemplatus eſt, vbi vermes deformantur: hinc non mirandum, ſi fallatur.

niora tamen et magis retro diminuta. Caudam dico ſegmentum extremum poſticum, oblongum, album, apice perforatum ano notabili. Abdomen dorſo magis planatum, ſulco longitudinali medio. In vtroque latere corporis 2 ſeries aculeorum breuium non multum diſtantes; ſic 4 aculei in ſingulo ſegmento: et ſuper ſeriem ſuperiorem, dorſo propius, totidem cirri longiſſimi verſus latera tendentes, plerumque autem inter ſe contortuplicati; ſic 2 cirri in ſingulo ſegmento, de quibus aeque bene, ac de aculeis, conuictus ſum; ſunt hi cincinnis graciliores, obſcure rubri, et magis attenuati. Caput, 2 ſequentia ſegmenta et cauda nec aculeata, nec cirrata. Inteſtinum vidi de ore in anum productum tenue, locis amplioribus ampliatum, ſpiralique conuolutum ſorde griſea particulis arenae mixta impletum, iuxta quod arteria ſanguinea tenuiſſima.

Variant quidam capite hepatico et corpore magis obſcuro; alii cirris pallidioribus et cincinnis rubro ſparſis.

Vix integrum exemplar accipitur, niſi maxima praecautione adhibita: cirris enim et cincinnis mollibus, qui lapidibus vel ſabulo adglutinati, facile mutilatur.

HABITAT in ſabulo marino ſub et inter lapides littoreos, et quidem talibus locis, qui non niſi aeſtu maris maximo aqua deficere ſolent.

Maxime quieſcit cirris ſuis veſtitus, et cincinnis caput tegens. In aquam miſſus lente mouetur extremitates flectendo.

267. LVMBRICVS PAPILLOSVS.*

Lumbricus violaceo-viridis, toto corpore papillis, et 2 ordinibus faſciculis cirrorum aculeorumque ſimul inſtructus.

Lumbricus papilloſus, Müll. prodr. 2615.

GROENL. *Inellualerak*.

DESCR.

DESCR. Nomen hic Gigantis inter lumbricos facile meretur: eſt enim vulgo 6. vnc. longus, et $\frac{1}{2}$ vnc. craſſus. Totus teres, antice craſſior, quatenus aculeatus, poſtice vero gracilior. Segmenta annularia arcte nexa 186, quae tamen rugoſa difficulter numerantur. Extremitas antica anguſtato-obtuſa terminatur ſupra roſtro breui foliato trifido, intra os fere retractili, cui ad baſin appendicula minuta vtrinque. — Sub hoc orificium rugoſum dilatabile, e quo proboſcidem maiorem tubularem, verſus apicem craſſiorem, vbique eminentiis viridi-brunneis punctatam emittere ſolet. Sulcus abdominalis nudus longitudinaliter totum percurrit. In dorſo vtrinque faſciculi 19 aculeorum exſerendorum, ſurſum tendentes. In ſingulo faſciculo aculei circiter 10, albi nitidi, intra receptaculum molle album laterale connexi; ſegmentum corporis ante et pone tales verſus abdomen reliquis ſemper eminentius, interſtitio fuſco quaſi rima. Pone ſingulum faſciculum (6 prioribus exceptis) cirrus mollis, caſtaneus, ramoſus ramis 8, ſitus, aculeos fere obducens; ſuntque tam aculei quam cirri ſenſim retro maiores, ſicque ordinati: in ſegmentis 10 anticis nullus faſciculus, ſed inter 10 et 11 primus, deinde poſt ſingulum 6tum talis, donec plenus ſit numerus. Reliqua poſtica papillis minutis innumeris, antica vero lamellis quadratis, veſtita ſunt; ſic etiam in tractu faſciculato, ſed maioribus et magis ſparſis. Pars antica poſticaque, quae non aculeata, griſea eſt et ſericea, (quaſi conferua, digitis adhaerente, obducta,) media vero violaceo-viridis pulcherrime magisque nuda. Ceterum totus vermis ſacculo ſericeo-mucoſo tenuiſſimo ſe cingere ſolet, qui facile detrahitur. Anus in extremitate poſtica ore fere amplior. Inteſtina ſabulo impleta.

HABITAT in fundo argillaceo ſinuum, cuniculos profundos varie flexuoſos in argilla habens.

Mouet ſe vt lumbricus terreſtris, non tamen extra cuniculos ſuos, ſed in illis celerrime. Supra foramen excrementa

crementa ſua in tumulos ſpirales maiores emittit, momento citius reuertens in abyſſum.

268. LVMBRICVS ECHIVRVS.

Lumbricus antice lingulatus, poſtice echinatus.

Lumbricus echiurus, Pall. X, 3. Tab. I, fig. 1-5.

Hunc ſemel mutilatum, parte poſtica echinata tamen reliqua, in ventriculo cotti ſcorpii vidi.

269. AMPHITRITE CIRRATA.

Amphitrite cincinnis vtrinque tribus.

Amphitrite cirrata, Müll. prodr. 2617.
Nereis cirroſa, Syſt. nat. I, 1085.
Die buſchigte Amphitrite, Müll. v. Würm. 188. Tab. XV.
Martini Naturlex. II, 478. tab. E. fig. 1. 2.

GROENL. *Iglulualik.*

DESCRIPTIONI cl. Mülleri l. c. haec tamen addam: conſtat quidem ex pluribus ſegmentis; ſunt tamen haec in dorſo minus notabilia, praeſertim in animali extenſo ſulcis transuerſis deficientibus ante trigeſimum, igitur ſecundum verrucas laterales numeranda; et in diuerſis vidi 60, 68 et 70 talia, quorum 7 priora aequae latitudinis, reliqua ſenſim minora retrorſum. Cirri frontales in meis albi erant, et cincinni in 5 vel 6 ramos ſubdiuiſi 3 tantum ſegmenta occupabant. Pro ſingulo ſegmento (2 anticis exceptis,) verrucam lateralem habet ſ. annulum eminentem, qui infra ad ſulcum abdominalem incipiens hamo minuto nigro ſurſum creſcit craſſitie in mediam lateris terminatus acumine. Ex 17 prioribus proſtant ſetae retractiles primo intuitu duae, reuera autem 6, quibus ſequentes verrucae carent. Plicae ventris in meis omnes erant pallidae, et totus vermis rubens vel brunneus;

neus; sunt tamen segmenta circiter 7 antica dorsi, et 23—27 lucidiora, molliora, et magis eminentia. Nullas maxillas gerit, neque proboscidem habet, sed orificium rugosum tantum amplificat, intra quod gula grisea in conspectum venit, quae intestino albo in anum vsque prolongatur, iuxta quod arteria obscure rubens. Intra gulam omnium globulos griseos inueni, quos pro esca eius habeo; saepe enim tales in fundo inueni, et sunt vere animalcula: sed extra gulam supra plicas abdominales in aliis globulos minores flauos, quos oua dico; in aliis lamellas minutas albas sub pressione in lac profluentes, forsitan semen masculum. Tubulum satis amplum, seque longiorem fere horizontalem, sibi format ex sabulo, argilla et frustis testaceis, sine vlla membrana interna connectente, durum quidem sed fragilem et altera extremitate plerumque fissum.

Variant quidam multo minores pulchre sanguinei, cirris solis albis, tubulos argillaceos inter radices fucorum inhabitantes; sine dubio pulli illius.

HABITAT profunde in sabulo marino sub lapidibus, non nisi aestu maris maiore in conspectum veniens, et se prodit cirris suis frontalibus longe lateque extensis. Etiam inter radices vluarum maximarum mihi obuius.

Ex multis de fundo protractis, et in aquam missis, pauci tantum de tubulo motu flexuoso prodierunt, postea extremitate postica in spiralem conuoluta quiescentes; omne vero tactum colore rubro tingebant, et de quibusdam in spiritu vini ruptis prodibat fluor sanguineus in massam cinnabarinam coagulans. — Nonne eidem aut simili vsui esse potest ac liquor purpuralis cochlearum?

270 AMPHITRITE CINCINNATA.*

Amphitrite cincinnis vtrinque duobus.

GROENL. vt antecedens.

DESCRIPT. Est praecedenti admodum similis, vt facile pro eadem haberetur, tamen diuersa, multo maior, plerum-

plerumque 9 vnc. longa et penna cygnea craſſior. Color in aliis brunneus abdomine rubicundo; in aliis pallidior abdomine albo. Cirri frontales etiam minus longi paucioresque pallide rubent, nec in margine labii ſuperioris ſiti, ſed ſuperiores cingulum proprium ad baſin habentes laxum, prominens, et in os vsque ambiens, in quo radicati, antrorſum tamen vergentes; hoc cingulo etiam labium ſuperius obuelatur ab illo licet ſolutum. Cincinni breuiores pallidi medulla ſanguinea vtrinque tantum 2, ſegmenta duo occupantes, in ramos 10 ſubdiuiſi; ad baſin interiorem ſinguli cincinni adhuc 2 cirri minores, nigricantes, ſubulati, dorſum verſus curuati et tenaciores. Segmenta corporis 96 de fronte in anum ſenſim lente attenuata, 3 anticis aequalibus breuibus, 18 poſticis minutis reliquis longioribus. Extremitas poſtica deſinit ſegmento parum protracto in tubulum cum apertura anali. Plicae abdominales 27, quas ſequitur ſulcus longitudinalis obſcure ruber. Verrucae laterales non prorſus ſulcum abdominalem attingunt, et ſuperne deſinunt cono fiſſo cum ſetis albis nitidis, per totum corpus (quo maxime differt a praecedenti); ſegmentum primum tantum excipiendum: ſed in ſequentibus 26 ſetae 4 — 6, et in reliquis omnibus 2 tantum. Tubulum magnum et amplum habet membranaceum pellucidum album, horizontalem, extremitate poſtica parum curuum et pedis longitudine, cuius ſuperficies fruſtis teſtaceis maioribus lapillisque raro ſparſa.

Variant minores magis lucidi cincinnis ſanguineis.

HABITAT in profundo maris cum tubulo ſuo paginae inferiori lapidum adhaerens, ſuper fundum argillaceum procul a littore.

Melius incedit ac praecedens, tubulum tam antrorſum quam retrorſum ſine difficultate relinquere valens.

271. AMPHITRITE PLVMOSA.*

Amphitrite tentaculis 2 longis, flabellis caput ſetasque pediformes tegentibus.

Amphitrite plumoſa, Müll. prodr. 2621.

GROENL. *Merkolualik.*

DESCR. Haec ſub inuolucro ſuo pupam mentitur, antice craſſior, poſtice gracilior; ſi autem denudatur, vermis membris ſatis inſtructus in conſpectum venit 1 ℥ lin. longus et 1⅓ latus. antice anguſtior, poſtice latior, medio latiſſimus, vbique teres, mollis, debilis, cute enim tenuiſſima veſtitus. Color antice poſticeque albicat (in aliis antice rubeſcit), in medio flauo-rubicundus, vbi in dorſo macula longitudinalis purpurea interrupta in lineam rubram antice poſticeque producta. Corpus integrum pellucidum, vix articulatum, ſed vtrinque ſinubus lateralibus 40-52 quaſi diuiſum, interſtitiis ſinuum tuberculatis et flabellis pediformibus inſtructis. Conſtant flabella ſetis tenuiſſimis radice connexis apice dilatatis albis nitidis, vt totum corpus quaſi plumulis obueletur; media recta, antica vero antrorſum verſa, pagina anteriore concaua et ſenſim maiora, poſtica ſenſim minora retrouerſa et pagina poſteriore concaua; duo vltima caudam ſpuriam formant, inter quae anus rotundatus. Sub ſingulo flabello verius abdomen ſeta ſimplex robuſtior ſ. aculeus longior retro curuatus, aureo-nitidus, baſi receptaculum molle habens, intra quod tamen non retrahitur. Caput a trunco ſatis diſtinctum ſinu laterali profundiore, minutum apice anguſtato, vbi ſubtus orificium album dilatabile, cuius labium ſuperius cirris tenuiſſimis breuibus numeroſis purpureis obſitum Vtrinque ad os tentaculum longius contractile, album. Flabella 2 maiora antrorſum tendentia caput obtegunt antice ſupraque conniuentia, infra patentia. Inuolucrum cinereum ſericeum, quaſi exuuiae, totum corpus cingit tam accurate, vt tam flabella

flabella quam aculei, licet veſtiti, tamen promineant; caput autem inde non conſpicitur, ſolis cirris de apertura antica oblonga emiſſis. Pro ano etiam apertura poſtica, et aculei inuolucrum perforant: hinc vermis cum inuolucro ſuo incedere valet. Interdum contingit ſeminudum vel plane nudum conſpicere viuaciorem. — Num inter ramulos fucorum inuolucrum laceratur, an vermis ſub illo metamorphoſin ſubiturus vel ſaltem maturior euaſurus illud demum ſponte relinquit?

HABITAT in profundo maris inter radices vluarum.

Bene ſatis ingreditur, aculeis vt ambulatoriis, flabellisque vt natatoriis vtens. Extremitatibus ſuis conniuens laruam ſimulat.

272. AMPHITRITE AVRICOMA.

Amphitrite cirris binis vtrinque, antice flabellis duobus aureis, rigidis.

Amphitrite auricoma, Müll. prodr. 2622. Zool. Dan. tab. XXVI. egregie.

Sabella granulata, Syſt. nat. I, 1268.

Sabella Belgica longa acuminato-reflexa, Mart. Conch. I, 25, 71. tab. IV. F. 28.

Sabella Belgica minor, ib. 70. fig. 27. forſitan varietas huius?

GROENL. *Imab-Polia.*

DESCR. Figura huius conica plano-conuexa, abdomine planiore transuerſim ſulcato, dorſo conuexiore laeui nitido. Extremitas antica latior ſuperne, oblique truncata, pallida, calloſa, ſubinaequalis, poſtice rotundata margine prominente, margine antico flabellis 2 aureis, nitidis, rigidis, medio patentibus obſito, ſingulo ex 9 ciliis planatis, acutis, mediis maioribus intus deorſumque curuatis, aurichalco ſimillimis, profunde radicatis, conſtante. Vtrinque ab illis tentaculum molle longum cratiiuſculum, attenuatum, griſeum, ad baſin

papillum duplicem album et minorem rubrum habens. Pone illud tentaculum inferius simile, papillo tamen rubro carens. Sub flabellis labium magnum planatum subcrustaceum, margine rotundato ciliato, ad cuius basin subtus os rugosum, parum prominens, et cinctum cirris permultis rubicundis plerumque contortuplicatis, vt orificium prorsus tegant. Gula in animalculo extenso parum eminet, non armata. Truncus incisuras laterales 20 habet; sic diceretur 20-articulatus: dorsum tamen nullos habet sulcos, (postica segmenta si excipias;) in abdomine vero 4 segmenta antica distincta sulcis transuersis, quae 2 longitudinalibus in 8 minores areas subdiuiduntur; quintum simile, sed minus distincte; in reliquis sulci 2 longitudinales producti medietatem a pedibus lateralibus dirimunt. In postico dorsi etiam sulcus longitudinalis exiguus. In segmentis 2 anticis vtrinque cincinni 2, ex costa crustacea alba falcata et cirris tenuissimis obscure rubentibus posticis in curuatura, constantes. Segmenta 3 sequentia vtrinque papillo conico setis paucis aureis armato, sursum retroque tendente; 12 sequentia similia, sed setis pluribus et longioribus, et praeterea eminentia transuersa arcuata abdominalis, versus medietatem acumine nigro terminata. Caudam efficit lamella ouata superne versus dorsum eminens, margine inciso, postice operculo oblongo ani prolongata, et subtus lateribus transuersim sulcatis. — Hac cauda aperturam tubuli posticam, et flabellis aurichalcicis anticam operire solet. Color dorsi rubicundus maculis sparsis pallidioribus praesertim postice, abdominis pallidius rubens linea longitudinali sanguinea. — Tubulus testaceus conicus apice subcuruo, verme parum longo, glaberrimus, antice margine subserratus, ex particulis arenariis, rotundis vel angulatis, omnibus planis, rubicundis nigrisque bitumine albo connexis, confectus, intus membrana laeui castanea vestitus *). HABITAT

*) Quae hic adhuc desiderari possent, oculatus noster Müller-

rus

HABITAT in argilla ſub lapidibus ſcopulorum. Vltra 5 ſegmenta antica illam extra tubulum ſuum committere non vidi; caudam de apertura poſtica emittere ſolet excrementis ſuis flauis ſe priuatura.

273. NEREIS NOCTILVCA.

Nereis corpore vix conſpicuo.

Nereis noctiluca, Syſt. nat. I, 1085. Faun. Suec. 2098. Müll. prodr. 2623.
Morild-Ormen, Bom. V, 396.

GROENL. *Ingnerolak.*

Hanc ſaepe vidi in limo de profundo maris protracto inter radices vluarum, fulgore coeruleo-viridi micante noctu ſplendentem, nec tamen ob paruitatem et agilitatem eius rite contemplatus ſum. Dum modo autem Nereis erat, nullus dubito, quin noctiluca auctorum.

274. NEREIS DIVERSICOLOR.

Nereis ſubdepreſſa, pedibus acuminatis ſetiferis.

Nereis diuerſicolor, Müll. prodr. 2624.
Die bundte Nereide, id. v. Würm. 104, tab. VI.
Scolopendra marina, Syſt. nat. I, 1064. It. Wgoth. 191. cf. Ionſt. inſ. 193. tab. XXV.
Söeſkolorm, Ström, I, 198, 2. Bom. VII, 284, 2.

GROENL. *Sengiak.*

Hanc a cl. Müllero l. c. ſatis accurate deſcriptam praetereo.

HABITAT in littoribus marinis haud frequens.

rus ſuppeditabit, quando figuris faſciculi primi Zoologiae danicae deſcriptiones auidiſſime exſpectatas ſubiunxerit.

275. NEREIS VERRVCOSA.

Nereis conuexa, pedibus cirratis verrucoſis.

Nereis verrucoſa, Müll. prodr. 2618.
Die Warzige Nereide, id. v. Würm. 140. tab. VII.
Nereis pelagica, Syſt. nat. I, 1086. Faun. Suec. 2096. Ol. 1002.
Söeſkolorm, Ström, I, 197, 1. Bom. VII, 284, 1. Act. Hofn. X, 9. Tab. IV.
Nereis ferruginea, Act. Hafn. X, p. 169. Tab. e. fig. 10.

GROENL. *Sengiarſoak.*

DESCRIPT. Huius ſatis notae deſcriptionem a pluribus habemus, optimam autem a cl. Müllero v. Würm. l. c., cui annotationes ſequentes (occaſione exemplarium permultorum viuorum) adiicere liceat. Vidi 7 vnc. longitudine, et 4 lin. latitudine tenentem, nec tamen eius ſegmenta plura quam 78, licet integrae, cauda enim inſtructae. Ceterum numeraui ſine reſpectu magnitudinis ſegmenta 56, 65, 76, 78, 86 in diuerſis; igitur de numero nil certi ſtatui poſſe patet: hunc characterem etiam quam maxime vacillare facile credat, cui mutilatio et redintegratio articulorum innotuit; ſub redintegrando enim articulo caudali primum accreſcente, reliquis vero ſucceſſiue, a momento conſpectus numerus dependet. Abdomen eius quidem carinatum, ſed in carina ipſa ſulcus longitudinalis etiam in viuis. Collum ſegmentis reliquis duplo latius dictum, ſecundum longitudinem vermis intelligendum eſt; ceterum etiam hic corpus maximam latitudinem habet, retro ſenſim lentiſſime tamen decreſcens in caudam, cuius propinquitas vix $\frac{1}{3}$ latitudinis colli habet. Color vulgaris brunneus eſt, minus magisque obſcurus, ſemper nitidus et in abdomine pallidior vel ſubliuidus. Lineam longitudinalem dorſi coccineam rectam et abdominis maiorem pro ſingulo ſegmento flexam habent

habent omnes, quae in lucidioribus conſpicua ſatis, in obſcuris tamen difficulter niſi cute exteriore detracta apparet: ſunt igitur interanea transparentia; de quo certior factus ſum, dum in quibusdam abdominalem breui interruptam vidi ob ſordes inteſtini alius obuenientis, quibus eiectis rurſus integra apparebat. Si etiam vermis ex latere conſideretur, duplex linea bene ſatis conſpicitur. Colorem reſpectu loci variare credo, tam magnis, quam minutis, omnicoloribus Orificium contractum albeſcit. Caput plerumque corpori concolor macula triangulari alba inter oculos, et minori vtrinque; in lucidioribus tamen fere album baſi vrceolorum frontalium tantum brunnea. Ad baſin vrceolorum, et quidem in combinatura cum capite, tentacula fere cruciatim ſic proportionata ſunt: maximum ſuperum, dein anticum, inferum et poſticum ſenſim breuiora, praeter baſin tuberculatam communem ſingulari ſuo papillo eminenti inſidentia; haec animal pro lubitu flectere poteſt, plerumque autem ſupremum et anticum antrorſum et duo reliqua transuerſim dirigit. Tentacula, cirri frontales, caudales, laterales et pedes (ſetis exceptis,) albicant; maxillae ex fuſco nigricant compreſſae. Setae pedum omnes mihi ferrugineae apparebant, etiam introductae transparent; ſuperiores 2 tantum aequales et inferiores 3 longiores, medio longiſſimo, numerare potui, et videbantur hae inter verrucam tertiam quartamque, ſimiliter ac illae inter primam ſecundamque locatae. Caro eius alba tendinoſa, et cutis ſubmembranacea: hinc prae congeneribus ſcolopendris affinis. Saepiſſime mutilata occurrit, nec raro redintegrata, partibus adnatis lucidioribus et imperfectis.

HABITAT vulgatiſſime in fundo maris, inter radices vluarum, ſub lapidibus et intra teſtas vacuas, quarum incolas veroſimiliter deuaſtauit.

Optime ingreditur motu flexuoſo, et, vt congeneres, anguſtis ſubmarinis deſtinata ſetis retractilibus a ſa-

pienti Creatore instructa est, vt sine offensione protendat; alibi etiam minus valet. Vrceolis frontalibus fundum perfodit, et sub incessu cirris omnibus mobilissimis obiecta scrutari videtur.

276. NEREIS ARMILLARIS.

Nereis subdepressa, pedibus conicis, cirris lenticularibus.

Nereis armillaris, Müll. prodr. 2626.

Die geperlte Nereide, id. v. Würm. 150. tab. IX.

GROENL. *Sengiarak.*

DESCR. Color maiorum fuluus, minorum (vt etiam segmentorum nouorum in redintegratis) flauicans; fascias transuersas, non autem longitudinales cum punctis lateralibus, dorsi nudis oculis vidi. Caput corpore angustius, nec nisi in contracto animali $2\frac{1}{2}$ segmentis sequentibus aequale; fronte media profunda incisa conos duos laterales format, qui mobiles officio papillorum vrceolatorum praecedentium funguntur. Tentacula vtrinque quatuor eodem loco ordineque ac in verrucoso, quorum superius et posterius longiora fere aequalia, reliqua 2 minora, praesertim inferius. In angulo incisurae etiam cirri 2 frontales conis breuiores, basi approximati, apicibus distantibus, oblique antrorsum surgentes. In viuis etiam collum breue non pedatum videre suspicatus sum, quod in mortuis (in spiritu vini contractis) euanuit. In tali statu etiam tentacula et cirri frontales minus distingui poterant *). Maculae oblongae obscurae in apertura orificii conspicuae apices maxillarum indicant, et imprimendo gulam proboscis in conspectum venit maxillis minutis albo-auratis praedita. Reliqua vt in Müll. v. Würm. l. c. HABITAT

*) Hinc non mirandum, si in deformatis, quas tantum cel. Müllerus contemplatus est, membra haec, ex parte etiam forte delapsa, non conspexerit.

HABITAT ad littora in ſabulo marino profunde ſe condens, nec niſi delapſu maris maximo accipi poteſt.

Eſt agiliſſimus, cirros ſuos continuo motitans.

277. NEREIS INCISA. *

Nereis (ore forcipato) conuexa, ſegmentis diſtantibus, pedibus ſimplicibus cirratis.

GROENL. *Sengiak.*

DESCR. Longa $2\frac{1}{2}$ vnc., lata 1 lin. — Corpus elongatum, verſus extremitates attenuatum, medio latius, ſupra conuexum nitidum, infra planiuſculum ſulco humili longitudinali medio. Segmenta 80 numeraui, lateribus incilura profunda angulari late diſtantia. Color dorſi in ſegmentis 20 anticis et totidem poſticis pallide ferrugineus, ſegmentorum interſtitiis, et ſinguli faſcia, albis; in intermediis 40 obſcurior ſubgriſeus interſtitiis albidis; abdominis albido-rubicundus. Caput et oculi, vt in Nereide armillari; ſed coni in praeſenti ſuburceolati, globulum nempe vix notabilem in apice ferentes. Collum non pedatum ſegmentis ſequentibus maius. Tentacula quatuor vtrinque ſimplicia cruciatim fere ita diſpoſita: poſticum longum in colli poſtica parte cirris corporis aequale; ſuperum anterius etiam in collo pone baſin coni paulo breuius; inferum oblique ante ſuperum quaſi de latere coni, ſed reuera in combinatura eius cum capite ſitum multo breuius; anticum illi aequale ſub cono fere tectum, vt facile tranſeatur. Cirri 2 frontales et caudales vt in Nereide armillari, ſed ſimplices. Os maxillis 2 flauis minutis armatum. Pedes totidem ac ſegmenta corporis, vtrinque ſegmentis vltimis non exceptis. Pes ſingulus conſtat cono magno horizontali recto, (qui prolongatio ſegmenti,) de cuius apice ſeta maior et 2 minores transparentes exſeruntur; ad harum baſin inferiorem cirrus breuis mollis deorſum vergens, et ad baſin coni verſus dorſum cirrus longus alternatim deorſum ſurſumue flexus.

HABITAT inter radices vluarum maximarum procul a littore, rarus.

Minus viuida, ſuper fundum quaſi timens parum incedit.

278. NEREIS APHRODITOIDES.*

Nereis (ore forcipato) depreſſa, non ſulcata, pedibus cirratis papilligeris.

Vix *Nereis puſilla*, Müll. prodr. 2631. filamenta enim non articulata.

GROENL. *Sengiarak.*

DESCR. Inter minutas numeranda, vix vncia longior et 1 lin. lata. Statura refert aphroditam denudatam, ſupra infraque planiuſcula (infra tamen magis exacte) integra, ſine ſulcis transuerſis, inciſuras tantum laterales habens, quas 32 numeraui praeter caput caudamque, antice poſticeque leniter anguſtata. Caput album trunco anguſtius, de illo ſulco transuerſo diſtinctum, antice rotundatum 2 papillis diſtantibus compreſſo-conicis minutis, inter quas cirri duo frontales papillis paulo longiores albi. Tentacula 4 longiora alba vtrinque in capite cruciatim diſpoſita, ſupero maximo etiam cirris corporis maiore, dein poſtico, antico, infero ſenſim breuioribus. Os ſubtus, de quo tubulum album margine ciliato, et maxillis 2 nigris armatum protrudere poteſt. Oculi 4 nigri in vertice ſitu quadrato, reſpectu animalis ſatis magni, anticis maioribus. Inciſurae corporis angulares; igitur pedes diſtant, qui totidem ac inciſurae. Singulum pedem format conus horizontalis rectus, terminatus faſciculo ſetarum (circiter 5) aurearum, cui ad baſin ſuperam cirrus longus mollis ſimplex, ad apicem papilla conica et ſubtus 2 aliae minores, omnes molles pallidae. Cirri caudales 2 longi tentaculis ſimiles. Color partis anticae (pro inciſuris 6) albo-flauicans pellucidus, tubulo oris trans-

transparente ſupra nigricante, infra coeruleſcente, margine antico et lateribus nigris; reliqui corporis rubicundus, lineis 2 ferrugineis abdominalibus approximatis interruptis per transuerſales in ſegmento ſingulo; in dorſo vero vix rudimentis ſolitariae talis et transuerſalium.

Variant quaedam pallide viridantia lineis abdominalibus, dorſali, et transuerſalibus, rubris, pulcherrima.

HABITAT in fundo limoſo, et quidem fretorum anguſtorum, vbi fluxus maris rapidus; haud frequens.

Eſt admodum viuida, ſine mora ſub fundo ſe condere conans.

279. NEREIS VIRIDIS.

Nereis depreſſa, lamellis pedum lanceolatis.

Nereis viridis, Syſt. nat. I, 1086. Müll. prodr. 2636.

Die grüne Nereide, Müll. v. Würm. 162. tab. XI.

GROENL. *Sengiarak.*

DESCR. Oculi eius reuera 2 tantum; ſed praeter cirros 4 roſtri, vtrinque in capite 4 tentacula ita ordinata vt in aphroditoide: ſupremum illorum animal continuo ſurſum erigens vibrat ſub inceſſu. — Roſtrum minus rotundatum ad latera quaſi angulum habet, vbi cirri dicti (2 vtrinque) locati. Pro cirris caudalibus 2 lamellas lanceolatas habet lateralibus breuiores. Pedes conſtant papilla maiore conica ſupera, cui lamella lanceolato-acuta inſidet, et minore ſubiecta bifida, ramo ſupero ſetis numeroſis nitidis lamella dimidio breuioribus inſtructo, inferiore vero non armato. Proboſcis corpore pallidior fere $\frac{1}{3}$ corporis longitudine aequans, cylindrica fere linearis; dum autem retrahi incipit, apice incraſſatur: maxillis caret. Reliqua vt ap. Müll. v. Würm. l. c.

Variant minores rubicundi linea dorſi longitudinali viridi, capite, tentaculis, cirris lamellisque niueis — Virgines pulcherrimae inter Nereides.

HABITAT cum Nereide inciſa.

Currit egregie; natare etiam valet lamellis ſuis retroverſis oblique ſurſum erectis.

280. NEREIS COERVLEA.

Nereis glabra coeruleſcens.

Nereis coerulea, Syſt. nat. I, 1086. Faun. Suec. 2095.

GROENL. vt antecedens.

Hanc ſemel offendi in littore maris, ſuper fundum lapideum currentem, Nereidi viridi affinem, corpore ſuo azureo ſplendidam; nec tamen rite contemplatus ſum, et poſtea nullibi obuia fuit.

281. NEREIS MACVLATA.

Nereis conuexa, lamellis pedum ſubcordatis.

Nereis maculata, Syſt. nat. I, 1086. Müll. prodr. 2635.

Die gefleckte Nereide, Müll. v. Würm. 156. tab. X.

GROENL. *Sengiak.*

DESCRIPT. Hanc etiam a cl. Müllero v. Würm. l. c. ſecundum exemplar tamen mortuum deſcriptam, obſeruationibus in viuo habitis, quatenus diſcrepant, tantum illuſtrabo. Antice anguſtior erat, licet poſt pauca ſegmenta craſſitiem maximam obtinuit, verſus poſtica ſenſim attenuata. Longitudo 4 vnc., hinc inter maximas numeranda. Dorſum planius ac abdomen. Color dorſi vireſcens, (antice poſticeque pallidior,) linea longitudinali obſcuriore vtrinque ad pedes, pro ſingulo ſegmento flexa (maculas alias non obſeruaui). Abdomen pallidum vnicolor, vbi etiam ſulci ſegmentorum minus notabiles. Lamellae pedum flauo-virides; venas in illis obſeruare non

non potui. Papilla pedis ſuperior viridis ſetis flauo-viridibus armata, ſed inferior lamellae concolor non ſetoſa. Praeterea in abdomine verrucae minutae 5 transuerſales in ſingulo ſegmento, quarum media flauo-viridis carinam mentiens, reliquae abdominis colore. (Forſitan hae in ſpiritu vini retractae impreſſiones Mülleri memoratas formarunt.) Caput album, paruum, planiuſculum, rotundato-attenuatum in roſtrum longius (in cuius baſi nullas verrucas vidi). Cirri frontales albi, breues, 2 vtrinque in angulo roſtri, vnus ſuper alterum (hinc inferior non facile conſpicitur). Collum album capite longius ſine pedibus; ſed in illo tentacula 4 alba vtrinque cruciatim locata, et vt in aphroditoide proportionata. Oculi 2 tantum, ſatis magni. Cirri caudae pallide vireſcentes, ſubulati, tentaculis breuiores et craſſiores. Viua proboſcidem ſuam protrudere noluit; in ſpiritum vini vero miſſa per fiſſuram corporis ad ſegmentum 36tum factam proboſcis haec in conſpectum venit antice attenuata, poſtice incraſſata, cum petiolo longo; ſic a Mülleri indicata ſatis diuerſa, ſed reſpectu euolutionis diuerſam figuram forte aſſumere poteſt.

HABITAT cum Nereide inciſa.

Dimidium poſticum agiliter motitare valet, antico interim quaſi mortuo immobili.

282. NEREIS FLAVA. *

Nereis (ore proboſcideo) depreſſa, lamellis pedum oblongo-ouatis.

Vix *Nereis ſtellifera*, Müll. prodr. 2632, rationem enim talis nominis in mea non vidi.

Haec vel ſequens an *Nereis mollis*, Syſt. nat. 1, 1085.?

GROENL. *Sengiarak.*

DESCR. Nereidi viridi ſimilis, in quibusdam tamen ab

ab illa diuersa; longa 27 lin. lata 2 lin. Tota flaua, abdomine, capite, collo, pedibus, cirris frontalibus, tentaculis, et sulcis transuersis segmentorum pallidioribus. Supra plano-conuexa, infra exactius plana. Segmenta corporis 140 numeraui, quorum antica posticaque attenuata Caput corpore angustius, minutum, rotundatum, antice rostro attenuato prolongatum; angulis prominentibus vtrinque de angulo rostri cirri 2 breuissimi, alter super alterum. Oculi 2 nigri. Collum breue non pedatum, in quo vtrinque tentacula 2 basi vnita, furcam referentia et cirris rostri vix aequalia, crassiuscula; subtus in collo sulcus longitudinalis medius, in cuius extremitate antica os, de quo raro proboscis tubularis alba emittitur in longitudinem 5 vel 6 segmentorum, minime armata. Pedes vtrinque linea longitudinali pallida a corpore distinguuntur, ceterum pedibus Nereidi viridi similis, sed lamella magis oblonga et apice obtuse rotundato, minime acuminato. Setae, quae nigricant, non de apice, sed de latere superiore papillae superae emittuntur; papilla infera breuis non setosa. Cirri caudae oblongi nigricant.

HABITAT cum Nereide incisa.

Mores habet Nereidis viridis; nec rarum est extremitatem anticam posticamque opposita versus simul moventem videre.

283. NEREIS LONGA. *

Nereis (ore proboscideo) subdepressa, papillis mamillaribus pro lamellis pedum.

Vix *Nereis alba*, Müll. prodr. 2634, pedes enim in mea non mutici.

GROENL. *Sengiak.*

DESCR. Est longissima omnium, quas vidi, quippe quae 9 vnc. longa, vix tamen 2 lin. lata. Plano-conuexa,

vexa, infra vero planior, medio latior, antice poſticeque attenuata, exactius tamen verſus poſtica. — Segmenta corporis numerauí 190, 200, 240 et ſupra, ratione longitudinis vermis. Caput, collum, oculi, tentacula, cirri roſtri, et os cum proboſcide omnino vt in praecedente. Dorſum ſulco longitudinali vtrinque quaſi in 3 partes dividitur, lateralibus magis conuexis. — Pedes, vt praecedens, habet bifidos; ſed papillae ambae aequales, et ſupera apice ſetas habet obſcuras: adhuc ſub his verſus abdomen papilla minuta deorſum verſa. Loco lamellarum in hac papilla maior conica apice attenuato mamillam ſ. lagenam referens. Segmentum vltimum non pedatum, de quo cirri caudales, breues, oblongi diſtantes. Color variat: minimae enim totae albae, capite tamen cum cirris, pedibus, abdomine, lateribusque dorſi candidioribus, proboſcide etiam lactea transparente, ſetis vero caudalibusque cirris nigricantibus; mediocres medio dorſi rubicundae vel griſeo-virides; maximae vero dorſum habent virescens lateribus obſcurioribus, ſulcis vero lucidioribus, mamillarum apicibus obſcure viridibus abdomineque aeneo-albido.

HABITAT ad littora ſinuum, in fundo argillaceo vel arenoſo, vbi etiam leui maris deceſſu aqua deficere ſolet; praeſertim ad oſtia riuulorum frequens. In fundo meatus profundiſſimos habet, de quibus corpore ſuo longo protracto ſuper fundum incedit, nec tamen facile aperturam cauda ſua relinquens, vt periclitans momento retrogrediatur.

284. NEREIS ROSEA.*

Nereis (ore propoſcideo) conuexiuſcula, pedibus bifidis abdominalibus, cirrisque longis lateralibus.

An *Nereis punctata*, Müll. prodr. 2633?

GROENL. *Sengiarak.*

DESCRIPT.

DESCRIPT. Haec inter minimas numeranda, vix 1 vnc. longior, nec 1 lin. latior. Statura corporis, capite, tentaculis, cirris frontalibus, oculis et proboſcide Nereidi viridi ſimilis, ſupra conuexiuſcula, infra plana ſulco leui longitudinali. Segmentis conſtat circiter 56 notabilibus ſatis ob ſulcos interſtitiales ſupra infraque. Pro ſingulo ſegmento vtrinque cirrus longus tenuis, tentaculis ſimilis, ſub quo verſus abdomen pes bifidus in duas papillas aequales ſetis aureis inſtructas. Cirri caudales breviores tentaculis ſimiles. Color dimidiae anticae pallide griſeus proboſcide obſcuriore transparente; poſticae vero pulchre roſeus, extremitate caudali tamen albida. Admodum mollis eſt.

HABITAT in ſabulo ſub lapidibus ad littora maris.

Bene ſatis incedit, nec tamen celeriter, minus viuida. Sponte ſub conſpectu non raro ſcinditur transuerſim, et ſemper illo corporis loco, vbi color griſeus roſeo occurrit, ſingula parte adhuc viua pro nouo animali habenda ab ignaro.

285. NEREIS PRISMATICA. *

Nereis triquetra, pedibus diſtantibus papilla ſimplici ſetigera, ſupra cirrata.

Nereis prismatica, Müll. prodr. 2637.

CROENL. *Sengiarak.*

DESCR. Haec facile minima, vix 6 lin. longior, nec $\frac{1}{2}$ lin. latior. Corpus vere prismaticum, ſubtus planum, ſupra vero ob acumen in 2 partes oblique planatas diuiſum, retro ſenſim attenuatur. Color albo-flauicat lineis 3 longitudinalibus, media ſc. recta et marginalibus vndulatis, griſeis in dorſo. — Segmenta 25 numeraui, quae tamen neque in dorſo, neque in abdomine ſulcos interſtitiales habent, ſecundum inciſuras laterales vndatim currentes tantum determinanda. Caput paruum rotunda-

tum,

tum, planiuſculum, vt etiam collum, non pedatum. Oculi 4, quorum 2 poſtici magis contigui. In capite colloque cirri 11 ſimplices numerantur: ſc. inter oculos priores cirrus ſolitarius quaſi cornu ſurſum antrorſumque tendens; in collo 2 ſimiles verſus latera tendentes; (hi 3 longiſſimi, fere aequales, griſei, apice plerumque ſpirali;) 2 frontales breuiores albi, retro curuati, baſi approximati; 2 laterales vtrinque ſub oculis breuiores (et ex his 2 poſtici anticis breuiores) albi, extrorſum tendentes; ſub capite ad os adhuc cirri 2 breuiſſimi albi deorſum verſi, forſitan palpi; inter hos orificium minutum, de quo quidem nullam proboſcidem emitti obſeruaui, nec tamen ideo praeſentiam talis nego. Cauda terminatur cirris 2 albis breuibus. De ſingulo ſegmento corporis etiam cirrus albus breuis vtrinque, ſub quo verſus abdomen pes ſimplex conicus, magnus ſatis, cum ſetis 2 (vix pluribus) albis nitidis exſerendis.

HABITAT in maſſa flaua ſpongioſa foetida, quae lapides maiores ſubtus veſtit ad littora, nec niſi deceſſu maris maiori adeunda; rarior in arena.

Extra maſſam dictam minus viuida, tarde incedit; maſſam dimidia parte intrat, poſtica propendente. Cirri 2 frontales admodum agiles, minimo etiam obueniente ſe retrahunt.

286. NEREIS BIFRONS. *

Nereis depreſſa, pedibus papilla ſimplici ſetigera, ſupra cirrata, mediis ſimul remigeris.

Nereis bifrons, Müll. prodr. 2638.

GROENL. *Sengiarak.*

DESCRIPT. Eſt praecedenti affinis. Longitudo 1 vnc., latitudo medii 1 lin. Corpus valde compreſſum, ſubtus ſubſulcatum, antice poſticeque attenuatum. Segmenta

menta corporis 56 ſulcis transuerſalibus et inciſuris laterabilibus ſatis notabilia. Caput paruum, rotundatum antice oblique truncatum, decliuitate intus verſus os tendente. Oculi 4, quorum 2 in vertice, et 2 maiores in decliuitate antica: hinc tam ſurſum quam antrorſum ſpectat. In capite cirri 7 et os ſubtus cum palpis ſuis albis vt in praecedente; ſed deficit hic collum cum 2 cirris ſuis, dum primum ſegmentum pone caput reliquis ſimile: neque in hac proboſcidem vidi. Cirri caudales et pedes ſimplices ſetoſi ſupra cirrati, fere vt in praecedente: pedes tamen magis laterales, ſetae nitidae, cirri longiores; et ſegmenta 7-30 hoc ſingulare habent, quod cirro papillaeque pedis remus albus interiectus ſit, qui conſtat coſtis duabus ſolidis, et membrana intermedia tenuiſſima complicabili, vt certis temporibus non niſi ſtylus ſimplex ſubulatus conſpiciatur: hinc vere remigera dici poteſt, dum etiam illis in aqua vt remis vtitur. Color capitis albus, corporis vero cum pedibus cirrisque ſuluo-brunneus, abdomine tamen pallidiore.

HABITAT cum praecedente, maſſam tamen dictam tota intrans, tunc minus viuida; in aqua vero et arena libera viuida ſatis.

Continuo ſe motitat flexuoſe remigando verſus ſuperficiem aquae, quam cirris frontis attingens fundum repetit mergendo. In arena etiam bene incedit.

287. NEREIS CAECA. *

Nereis (ore proboſcideo) ſubconuexa, antennis ſpuriis breuiſſimis, lamellis pedum duplicatis ciliatis.

An *Blödru Skere*, Ol. 1000 tab. X. fig. 6-10.?

GROENL. *Sengiarſoak.*

DESCRIPT. Eſt haec inter maximas numeranda, 8 vnc. longa, et 6 lin. lata. Caret oculis. Corpus fere line-

lineare extremitatibus ſummis anguſtatis, craſſum robuſtumque, ſupra plano-conuexum, infra planius ſulco levi longitudinali. Segmenta 86, 94 et 100 in diuerſis numeraui, quae ſulcis annularibus vtrinque profundioribus, infra leuioribus, ſupra vix notabilibus, deſignantur. Caput minutum, depreſſum, antice vtrinque angulatum, vbi tentacula 2 breuiſſima, mollia, conica, obtuſa, poſtice rotundatum. Subtus ſequitur orificium longitudinale labiis lateralibus plicatis incluſum, de quo exſeritur proboſcis, longitudine 7 priorum ſegmentorum, ampla, ſphaerica, cum petiolo breui cylindrico, flauicans, rigidiuſcula, verſus antica tribus ordinibus cirrorum ſubhiſpidorum cincta, et apertura terminali humiliore, quae innumeris cirris tegitur, inſtructa. Proboſcis haec non emiſſa ſubtus conuexitate ouata conſpicitur. Segmentum primum ſequentibus multo anguſtius, vtrinque ſupra infraque terminatur papilla conica tentaculis capitis maiore, ante quam faſciculus ſetarum; et ſubtus ad os minorem ſine ſetis habet. Segmentum ſecundum ſupra primo, infra vero reliquis, ſimile eſt. Totidem pedes vtrinque ac ſegmenta habet, qui ſulco longitudinali a corpore diſtinguuntur, et conſtant corpuſculis duobus conico-triangularibus, ſulco medio longitudinali interſtinctis, et totidem ſquamulis rotundis illorum lateribus interioribus annexis, et ſibi inuicem oblique imbricatis, quarum paginae anteriori incumbunt cilia ſemper exſerta: in corpuſculo infero adhuc cirrus breuis verſus abdomen. Segmentum caudale minutum anguſtum ſine pedibus, vtrinque papillam breuiſſimam conicam tantum habet, et terminatur cirris 2 longis albis. Color candidus nitore margaritae, ſulcis longitudinalibus omnibus et ciliis pedum ſubferrugineis.

HABITAT in littoribus arenoſis ſub lapidibus, cuniculos profundos moresque habens, vt lumbricus papilloſus.

288. NEREIS SETICORNIS.

Nereis elongata, tentaculis binis longis, tenuibus, pallidis, ſtriga griſea. *)

Nereis ſeticornis, Syſt. nat. I, 1085. Müll. prodr. 2639.

GROENL. *Iglolualik.*

DESCR. Longitudo fere 3 vnciarum, et craſſities fili craſſioris. Caput poſtice latius antice in frontem rotundatam anguſtatur. Oculi duo nigri oblongi transuerſales in vertice; ante illos proſtant tentacula 2 mollia, flexilia, capillaria, albida, medulla griſea, compreſſiuſcula marginibus lateralibus tenuioribus, longitudine fere corporis. Corpus ſupra depreſſum, infra conuexum lateribus ſurſum rotundatis, verſus dorſum inflexis, dorſum quaſi canaliculatum efficientibus, compoſitum eſt ſegmentis pluribus (68, 76 et ſupra), quae ſulcis annularibus interſignantur; antice parum, poſtice vero magis, ſenſim attenuatum. De margine antico ſupero ſinguli ſegmenti vtrinque cirrus curuus verſus dorſum flectitur, qui albidus medulla rubra, infra et pone quem papilla minuta ſurſum verſa ſeta candida exſertili, vt videtur, ex pluribus compoſita, armata. Sic pedes ſuos verſus dorſum habet, vt eo aptius intra tubulum progrediatur. Segmentum caudale terminatur appendiculis 2 ouatis breuibus lacteis vel rubicundis, ſubmembranaceis. Color corporis antici nigricans interſtitiis ſegmentorum albis; medii albo-vireſcens linea longitudinali ſanguinea in dorſo; poſtici ſordide viridis lateribus pallidioribus; praeterea cirri corporis ob medullam ſuam rubram arcus transuerſales rubros mentiuntur. Os ſub capite

*) Haec et ſequens, me iudice, facile proprium genus ob tubulum erectum inhabitatum et ſingulares pedes efficere poterant.

pite eſt apertura ſimplex dilatabilis ſine proboſcide exſertili. Tubulum inhabitat $\frac{2}{3}$ lin. latum, verme triplo longiorem, ſupra fundum perpendiculariter erectum tertia ſua parte, intrinſecus quaſi glutine illitum politumque, extrinſecus de particulis arenariis vel argillaceis conſtantem, colore variantem reſpectu loci iam vireſcentem, iam ferrugineum vel ſuluum.

HABITAT in littoribus maris argilloſis vel arenoſis.

EDIT planarias minutas, quas tentaculis ſuis capientem et ſecum intra tubulum ducentem vidi.

Extra tubulum incedere non valet prona: hinc illum non facile relinquit. — Plerumque tentacula erigit ſola huc illucque flectendo rapinam quaerens; interdum os ſuum in apertura tubuli ampliat, aquam in gyrum movens, ſine dubio rapinam attrahendi cauſſa. Rarius de tubulo vacillando egrediens in caudam vſque, quae nunquam prorſus emittitur; ſicque in fundum ſe demittens examinare ſolet, vix autem aqua mota mirabili velocitate in domum ſuam retrogreditur.

289. NEREIS FILICORNIS. *

Nereis tentaculis binis longis craſſis albis, annulis nigricantibus.

Nereis filicornis, Müll. prodr. 2640.

GROENL. vt antecedens.

DESCRIPT. Eſt praecedenti ſimilis, ſed craſſior et breuior. Longitudo 1 vnc., latitudo 1 lin. Tentacula craſſiora ac praecedentis, alba nigricanti annulata. Segmenta corporis 48 numeraui, praeter caput caudamque. Sulcus longitudinalis laterum format papillam inferiorem nudam, praeter ſuperiorem biſetam et cirrum dorſalem in ſingulo ſegmento. Color antice poſticeque griſeus, medii corporis ex flauicanti rubroque mixtus li-

nea longitudinali grisea. — Tubulus eius linea crassior et pro verme amplus, admodumque fragilis, dum ex particulis terrestribus constat sine bitumine vel politura intrinseca.

Reliqua cum praecedenti communia habet.

HABITAT in littoribus limosis maris.

290. APHRODITA CIRRATA.

Aphrodita postice acuminata, pedibus cirratis, squamis laeuibus alternatim imbricatis.

Aphrodita cirrata, Müll. prodr. 2644.
Aphrodita imbricata, Syst. nat. I, 1084.
Die flache Aphrodite, Müll. v. Würm. 180 tab. XIV. et Martini Naturlex. III. 132.
Ziegelrücken Aphrodite, Martini l. c. p. 151.
Aphrodita violacea, Act. Nidr. IV, 366. Müll. prodr. 2645?

GROENL. *Koperdlurksoak*; quod nomen aphroditis omnibus commune.

DESCR. Hac a cl. Müllero l. c. secundum mortua exemplaria, vt ipse fatetur, descripta, quae in permultis viuis quotidie fere in conspectum venientibus obseruavi, hic publici iuris facere non superfluum futurum censeo. Datur interdum 3 vnc. longa et 4 lin. lata antice, supra infraque complanata, licet crassa satis 36, rarius 37 segmentis constat, quae sulcis abdominalibus determinanda: exque illis 1-4 sensim accrescunt; reliqua sensim decrescunt latitudine, subtus tamen magis notabiliter. Totidem pedes vtrinque. De fronte prostant tentacula 2 longa subulato-annulata pallide grisea, et 2 nigra interiora quadruplo breuiora, similia, inter quae cirrus frontalis medius his longior, albus, versus apicem incrassatus, basi nigrae crustaceae insidens; praeterea de latere capitis vtrinque 2 alii similes, maior parte incrassata

fata nigra supra minorem vix incrassatum, basin crustaceam habentes. Vertex capitis corneus roseus, in 2 conuexitates subdiuisus, vbi oculi 4 notabiles satis, nigri. Sub capite os, quod contractum gulam nigram transparentem, labium inferius rugosum et superius tuberculatum bifidum ostendit; euolutum vero tubum cylindricum extrorsum crassiorem, margine 18-crenato et apertura 4 dentibus nigris falcatis armata, profert. In segmento singulo corporis denudati papilla dorsalis conica supra pedes; sic 36 vel 37 vtrinque: ex quibus 15 reliquis maiores, medio retusae vel perforatae in 1mo, 3tio, 4to, 6to, 8vo, 10mo, 12mo, 14to, 16to, 18vo, 20mo, 22do, 25to, 28vo et 31mo segmento corporis, papillae minores vero 21 vel 22 integrae in reliquis segmentis, locatae. Totidem squamae dorso incumbunt ac papillae maiores, hinc 15 tantum vtrinque (nec plures nec pauciores inueni) *), illis enim in puncto retuso annexae medietate sua impressa. Sunt squamae hae non tantum proxime sequentibus, sed etiam oppositis suis alternatim, imbricatae, sicque totum dorsum tegunt, 4 anticis reliquis minoribus. Singula figuram habet ouali-reniformem: margine enim antico subarcuato, supra plano-conuexa, subtus plano-concaua, in loco autem combinationis e contrario impressura supra macula candidiore notata, et acuminatio infra conspicitur; margo posticus rugosus rugis distantibus reliquo laeui. Cirri longi versus apicem incrassati, illis qui in capite similes, in lateribus corporis totidem ac segmenta, quae sibi squamas non annexas habent, siue ac papillae minores; illis enim ad infra locati, basin licet propriam incrassatam habentes: hinc 21 vel 22 vtrinque, nec plures nec pauciores; et papillis posticis numerosioribus, cirri etiam ibi magis con-

 tigui

*) Hinc suspicor, aphroditam violaceam reuerendi Strömii Act. Nidr. l c. nullam aliam esse, licet minorem: reliqua enim satis bene conueniunt.

tigui — en rationem, cur ab aliis illi 5 cirri caudales tributi sint! — hi tamen reuera 2 tantum de ano recta protensi, simplices minus incrassati, sed multo longiores. Pes singulus constat trunco molli conico crasso, in 2 ramos diuiso (superiore minore) apice setis multis aureis armatos: in superiore 18 tales setas sursum vergentes in fasciculos tres diuisas numeraui, praeterea seta maior nigra reliquis inferior totum ramum percurrit; in ramo inferiore itidem, sed setae hic longiores et deorsum flexae, illa maior nigra etiam inter fasciculos 2 supremos prodiit. Ad basin rami inferioris subtus cirrus longus cum papilla minuta laterali; estque hic cirrus in segmento primo reliquis longior antrorsum versus os tendens vt palpus. Ad basin trunci adhuc cirrus alius multo tenuior (capilli tantum crassitie), licet eiusdem longitudinis. Sulcus longitudinalis ruber in abdomine arteriam sub ventriculo iacentem indicat; gula in ventriculum oblongum cadit, hicque intestino angustiore prolongatur in anum, qui postice notabilis satis. Color variat admodum, in vulgatissimis coeruleo-griseus; in aliis subgriseus, coeruleus, brunneus, violaceus, ruber, flauicans, niger, variegatus marginibus interioribus posticisque squamarum brunneis, vel alius coloris, corpore reliquo albo. In coerulescentibus etiam abdomen similem tincturam obtinet, in ceteris candidum. Quaedam etiam tempore vernali abdomen postice rubicundum habent, sine dubio foeminae foetu suo grauidae.

HABITAT frequentissime ad littora maris inter lapides, testacea, radices fucorum, in fundo limoso et alibi. Et sicut Nereis verrucosa inter Nereides, sic haec inter aphroditas vulgatissima.

Est tigris vermium aliorum voracissima, etiam congeneribus non parcens: vidi enim illam Aphroditen longam semetipsa multo longiorem deglutire conantem.

Mense

Menſe Martio ſub ſquamis et inter pedes maiorum moleculas innumeras rubicundas inueni, quas pro ouis eius, ſine dubio de papillis dorſalibus emiſſis, habeo.

Sub incedendo plerumque caput ſub ſquamis anticis tegit. Squamae eius fixae ſatis (nec illis mutilatas vidi); ſed calori expoſitae deciduae. Fundum ſemper tenet, vacillando ingrediens cito ſatis. In verme nil tentaculis 2 maioribus annulatis viuacius: his enim vix tactis momento decurrit. Extra aquam nil valet.

Eſt cibus ſcorpii vulgaris. Vnicum etiam Groenlandum vidi ventriculum eius crudum cum appetitu dentibus ſuis contundentem.

291. APHRODITA PVNCTATA.

Aphrodita oblonga, pedibus non cirratis, ſquamis punctatis, medium dorſi non occupantibus.

Aphrodita punctata, Müll. prodr. 2642.
Aphrodita ſquamata, Syſt. nat. I, 1084. Act. Nidr. IV, 367.
Die gedüpfelte Aphrodite, Müll. v. Würm. 170. tab. XIII. Martini Naturlex. III, 136. c. fig. 1.
Schlüppenrücken, Mart. ibid. p. 145.
Skere, Ol. 999. Tab. X, f. 7.

Haec a Müll. v. Würm. l. c. accurate eſt deſcripta.

HABITAT cum praecedente rariſſima.

292. APHRODITA SCABRA.

Aphrodita conuexiuſcula, poſtice ſubacuminata, pedibus cirratis, ſquamis ſcabris in medio dorſi conniuentibus.

Aphrodita ſcabra, Syſt. nat. I, 1084.
Die rauhe Aphrodite, Martini Naturlex. III. 144.

DESCR. Eſt media inter punctatam et cirratam. Caput paruum rotundatum antice anguſtatum. Tentacula et cirri capitis vt in *cirrata*, ſed breuiores. Vertex capitis, oculi et os itidem. Tubulum ſuum non magnum raro emittit. Corpus oblongum, poſtice tamen parum acuminatum, abdomen cum *cirrata* ſimile habet; dorſum vero magis gibboſum, ſquamis eminentibus, igitur congeneribus craſſior. Segmenta 34 et totidem pedes vtrinque numeraui, qui illis in *cirrata* ſimiles; carent autem ſeta maiore rami ſuperioris, et cirro tenui abdominali. Cirri corporis verſus apicem incraſſati ſegmenta alterna occupant, hinc 17 vtrinque, breuiores ac in *cirrata*. Latera dorſi vtrinque occupant ſquamae 15 imbricatae, ſed in medio dorſi oppoſitas tantum attingentes, nec illis incumbentes, nec tamen dorſi nudum quid relinquentes. Ex illis 1ma, 3tia, 13tia ſingula duo ſegmenta, 2da ſolitarium, 14ta quatuor et vltima quinque tegunt. Sunt hae reniformes, margine nempe antico arcuatae, ſupra conuexae, ſubtus concauae. Superficies illarum punctis eminentibus confertis ſcabra, quatenus de antecedenti imbricata conſpicua eſt, primae igitur tota; eſtque haec prima orbicularis, marginibus ſerratis, excepto exteriori, qui ciliatus. Reliquae itidem ciliatae, ſed margine poſtico et dimidio interiore tantum ſerratae. Puncta eminentia parum obſcuriora reliquo. In ſuperficie ſquamae nulla macula, nullaque impreſſura, ſed ſubtus acumen medium papillae ſubiectae maiori corporis inſitum; papillae etiam minores in ſegmentis ſquamas non ferentibus, et cirri caudales vt in *cirrata*. Color ſordide viridis abdomine albo nitente, linea longitudinali rubra. In hac obſeruaui, quod non in *cirrata* contigit, ſcilicet 2 ſquamulas poſticas perditas, et 2 alias illarum loco renaſci incipientes, albas, humiles, et adhuc laeues. — Sic etiam aphroditae redintegrari poſſunt.

HABITAT in locis profundis maris ſub lapidibus, minus frequens.

Eſt

Eſt *cirrata* minus viuax, nec tamen vt illa vacillat ſub incedendo.

293. APHRODITA LONGA.*

Aphrodita elongata, alba, ſquamis concoloribus medio dorſi nudo, pedibus papilla ſimplici ſetigera, cirris lateralibus nullis.

Aphrodita longa, Müll. prodr. 2646.

DESCR. Eſt haec prae omnibus notis elongata, *cirrata* ſublongior, nec tamen $1\frac{1}{2}$ lineam lata, fere linearis, antice poſticeque totundata. Color totius corporis albus, candore margaritae nitens. Segmenta 66 et totidem pedes vtrinque, qui papilla ſimplici conica, ſetis 4 aureis terminata, conſtant. Neque cirri pedum vel laterales in hac conſpicui. — Baſes pedum ſubtus eminentiores reliquo abdominis, cuius medietas conuexa ſulcis transuerſis pro ſingulo ſegmento, et ſulco leui longitudinali. Caput minutum 2 oculis nigris (plures non vidi). — Tentacula 2 ſimplicia breuia ſubulata parum curuata, et cirrus frontalis multo breuior; cirri duo caudales tentaculis ſimiles. Dorſum plano-conuexum ſquamis 56 vtrinque imbricatum, medietate tamen anguſta nuda relicta, quae ſquamis nitidior, et ſulcos transuerſos ſegmentorum, nec non alios minores, habet. Squamae ſic 10 pauciores quam ſegmenta ſunt, dum prima ſolitarium, ſecunda tria, 9 ſequentes ſedecim, et 46 poſticae totidem ſegmenta tegunt. Sub prima etiam caput retrahi poteſt; eſtque illa ſuborbicularis, oppoſitam ſuam fere attingens, medio ſuo corpori annexa, et duobus circulis punctorum eminentium notata: reliquae omnes oblongae, margine ſuo antico corpori annexae, et poſtice punctatae duabus ſeriebus, altera marginem ipſum occupante. Sunt huius ſquamae fixiores quam congenerum. Os ſub capite rugoſum, de quo tubulum protrudere il-

lam non offendi; nec dubito illum adeſſe, dum in gula partes duras curuas flauicantes maxillis ſimiles inueni.

HABITAT in fundo argilloſo ad littora maris, haud frequens; meatusque profundos ſub argilla ſibi facit.

294. APHRODITA MINVTA.*

Aphrodita oblonga, pedibus papilla bifida ſetigera, cirris lateralibus nullis, ſquamis numeroſis minutis laeuibus, medio dorſi nudo.

An *Aphrodita lepidota*, Müll. prodr. 2643.?

DESCR. Eſt haec omnium minima, 8 lin. tantum longa, et $1\frac{1}{2}$ lata, oblonga, fere linearis, poſtice tamen parum attenuata, extremitatibus rotundatis, ſupra infraque (magis exacte) planata; 48 ſegmentis conſtat, et totidem pedibus vtrinque. Dorſo vtrinque 38 ſquamulae, violaceae macula aurea lunata (quae tamen non in omnibus), oblongae incumbunt, medietate dorſi nuda flauicante. Squamae 5-14 reliquis maiores; anticae poſticaeque duo ſegmenta, mediae vero ſolitaria, tegunt, margineque ſuo exteriore corpori annexae videntur. Abdomen rubicundum, antice tamen ſubferrugineum ob gulam nigricantem transparentem. Sub abdomine ſulci 2 longitudinales medietatem conuexam includentes, pedes vero excludentes. Nulli ſulci transuerſales ſupra infraue in conſpectum veniunt, igitur ſegmenta ſecundum pedes numeranda. Sunt hi breues, vix extra ſquamas prominentes, et conſtant papilla conica bifida, ramo ſuperiore nudo, inferiore ſetis (vt videtur, 2 tantum) inſtructo. Oculi 2 nigri in fronte approximati, praeter quos adhuc 2 alii poſtici, (vt videtur,) ſed multo minores. — Reliqua vt in antecedente.

Variant quaedam ſordide virides maculis flauis ſquamarum, ceterum ſimiles.

HABITAT

HABITAT in fundo argilloſo maris procul a littore, minus frequens.

Lente et recta incedit minus viuida. Caput cum oculis ſub ſquamis prorſus tegere valet. Squamae illius ſatis fixae.

295. NAIS MARINA. *

Nais ſetis lateralibus ſolitariis tubulo exſerendo.

GROENL. *Kumak.*

DESCR. Vix 10 lin. longior, et craſſitie fili tenuioris, ſupra conuexa, ſubtus plana, poſtice ſubacuminata. De parte antica tubulum breuem interdum exſerit; ibi etiam ſupra puncta 2 minutiſſima nigra, vix conſpicua, quae pro oculis habeo. Corpus et pluribus ſegmentis annularibus conſtare videtur; pro ſingulo ſeta lateralis vtrinque ſemper exſerta, nudo oculo conſpicua. Color albicat, linea longitudinali media flauo-griſea, extremitates tamen non attingente, et pro ſingulo ſegmento interrupta.

HABITAT in littoribus ſub conferuis marinis, praeſertim locis cauernoſis, vbi aqua ſub aeſtu maris remanere ſolet.

Motu ſerpentino ſupra fundum lente incedit, tubulo ſuo obiecta continuo viſitans. Interdum corporis anticam partem erigit, poſtica fundum tenente. Nec raro conferuas motu ſpirali aſcendit.

296. NAIS QVADRICVSPIDA.

Nais verrucis lateralibus bifidis ſetoſis, cirris abdominalibus et cauda quadrifida.

GROENL. *Pullateriak.*

DESCR. Longitudo $2\frac{1}{3}$ vnc. et latitudo $1\frac{1}{4}$ lin. Antice et magis poſtice attenuata, ſupra plano-conuexa, ſubtus

ſubtus planior ſubcanaliculata. Conſtat 104 ſegmentis annularibus, totidemque pedibus vtrinque ſub abdomine fere locatis. Efficit pedem ſingulum verruca mollis bifida, parte exteriore minore vnica ſeta armata, interiore maiore vero tribus candidis. Subtus in abdomine verſus medium 2 ordines cirrorum mollium retro flexorum: his tamen carent ſegmenta 4 antica, quae magis eleuata. De ſegmento primo prominet roſtrum vel potius labium attenuatum cum ore ſupero rugoſo, quod in agone mortis in veſiculam oblongo-quadratam cum apertura media amplificauit, nec poſtea retraxit. Cauda brevis cylindrica extremitate hiante ſubtetragona cum cirris 4 breuibus, inferioribus minoribus. Color in aliis pallide ruber, in aliis rubicundo-griſeus, abdomine pallidiore et linea longitudinali pulchre purpurea, quae in dorſo minus notabilis. Caret oculis et tentaculis.

Eſt admodum mollis debilisque.

Variant quaedam maiores, ſegmentis 19 anticis brunneis ſine ſtriga notabili, ſequentibus 28 roſeis ſtriga media magis dilatata.

HABITAT ſub lapidibus marinis in ſabulo littoreo, leui etiam aeſtu maris aqua carente, ſatis frequens. Tempore vernali maiores, in ſegmentis roſeis, moleculis innumeris eiusdem coloris impletos offendi, quas pro ouis eius habendas cenſeo.

VESCITVR gordiis minutis in ſabulo obuiis: de ore enim in agone mortis ampliato *Gordium lacteolum* prodire vidi.

Eſt minus viuax extra ſabulum difficillime ingrediens.

296. b) TAENIA PHOCARVM. *

Taenia plana, capite longo tetragono, quadrilobato, ore antico verrucoſo.

GROENL. *Urkſub-kuma.*

DESCR.

DESCR. Hanc satis demonstraturam esse credo, Taenias dari capitatas: est enim tam magna et caput eius tam visibile, vt de re certo certior factus sim. Longitudo eius $1\frac{3}{4}$ vln., et latitudo 2 lin — Tota flaua est, admodum planata, ex segmentis annularibus imbricatis fere innumeris, (400 et vltra numeraui,) anticis confertissimis et minutissimis, composita. Extremitas postica latior rima anali terminata; versus caput autem sensim angustatur. Caput reliquo latius, collo angustiore insidens, tetragonum, de angulo singulo lobum obiongo-lanceolatum antrorsum tendentem habet: et extremitate antica verrucis siue papillis numerosis satis visibilibus instructum est, vbi os. Est admodum foetida.

HABITAT in intestino recto Phocae barbatae, in fluore flauo se volitans vaga. Plures simul reperi.

297. TAENIA ERYTHRINI. *

Taenia plana latissima, capite breui tetragono octolobato, ore antico punctato.

GROENL. *Sullukpaukab-kumia.*

DESCR. Datur longitudine 3 vlnarum, et latitudine 4 linearum. Admodum planata est, composita ex innumeris segmentis viminalibus se inuicem retro excipientibus Segmentum singulum margine papillari retro tendente vtrinque terminatur; suntque per paria dispositа, quae inter se arctius combinata quam cum sequenti, quasi singulum segmentum fissura transuersali duplicatum esset, nec $\frac{1}{2}$ lineae longius est (mensura secundum longitudinem vermis facta). — Sulci 2 longitudinales vix conspicui medietatem angustam parum eminentiorem, in latere altero subcanaliculatam, griseo-violaceam includunt, reliquo verme lacteo. — Haec medietas est intestinum: continet enim materiam griseam. Nullum osculum laterale vel marginale detegere potui. Se contrahendo teretior,

et

et certis locis anguſtior euadere poteſt; ſemper tamen extremitas poſtica latior permanet, et antica multo anguſtior. Segmentum anale terminatur margine 10-ſerrato, aperturam amplam cingente. Pone caput vix filo craſſior eſt. Caput reliquo magis niueum, incraſſatum, quaſi tuberculum terminale conſpicitur, eſtque reuera tetragonum cum impreſſuris interiectis lateralibus, et angulus ſingulus lobo (quaſi auricula) duplici, vno ante alterum, inſtructus eſt; antice inter lobos roſtrum breuiſſimum anguſtius punctis prominentibus obſcuris.

HABITAT in inteſtinis percae Norvegicae, capite ſuo inteſtinulum coecum vnum vel alterum pylori tam profunde intrans et tam arcte annexa, vt vix ſine mutilatione dirimi queat. In vno eodemque piſce praeter maiorem 2 alias minores inueni.

In aqua ſe contrahendo et ampliando difficulter locum mutat. Admodum viuax per plures ſeptimanas in aqua marina vitam conſeruat, in arido autem et ſpiritu vini eo citius moritur.

297. b) TAENIA ALCAE. *

Taenia plana articulis viminalibus, extremitate antica tenuiore cylindrica.

GROENL. *Akpab-kuma.*

DESCR. Datur longitudine 9 vnciarum, vix autem 3 linearum latitudine. Segmenta numeraui 184 et ſupra, quae quaſi faſciae transuerſales, poſticis ſemper anticis inſertis. Totus vermis planus poſtice latior, antica verſus ſenſim attenuatus, vbi terminatur tubulo tenuiore. Segmentum ſingulum vtrinque papillam marginalem habet, in qua tamen aperturam obſeruare non potui. Segmentum vltimum reliquis maius, amplum, margine poſtico ſubcrenato. Latera ſunt magis compacta, medietate molliore intus caua. Color albidus, marginibus anticis ſegmentorum lacteis.

HABITAT

HABITAT in inteſtinis alcae picae, in fluore mucoſo libere natans. Plures in vna aue.

Aeque vivax ac antecedens.

298. TAENIA TORDAE.*

Taenia teretiuſcula, articulis cordatis, extremitate antica filiformi acuminata.

GROENL. vt antecedens.

DESCR. Praecedenti minor, vix 3 vnc. longior, nec $\frac{2}{3}$ lin. latior. Segmenta 87, quae cordata (margine antico anguſtiore, poſtico retuſo), et magis ventricoſa: hinc vermis teretiuſculus quaſi armillaris. Verſus antica ſenſim attenuatur, vt extremitas quaſi filum tenuiſſimum euadat, apice ſummo acuminato. Papillae marginales vt in antecedente. Segmentum vltimum magis retuſum. Color albicat, dimidio antico ſinguli ſegmenti lucidiore. Praecedenti magis opaca.

HABITAT cum proxime antecedente; et ambas ſpecies in eadem aue reperi.

299. TAENIA SCORPII.*

Taenia oſculis lateralibus, vltimo tenuioris extremitatis articulo tetragono. Müll. prodr. 2656.

GROENL. *Kaneiſub-kuma.*

In inteſtinis ſcorpii, gadi barbati et ſalmonis carpionis taeniam depreſſam lacteam medietate obſcuriore, et oſculis lateralibus, vt videbatur, inſtructam, ſaepe vidi, quam pro citata habeo; dum autem integram accipere nunquam mihi contigit, rite deſcribere non valens praetereo.

300. TAE-

300. TAENIA GASTEROSTEI.*

Taenia lingulata plano-conuexa, articulis arcte nexis, antice latior ore cordato, poſtice acuta.

Hirudo depreſſa alba lateribus acutis, It. Gothl. 250.

Haec affinis videtur *Taeniae Solidae* Müll. prodr. 2657.

GROENL. *Kakilliſab-kuma.*

DESCR. Longitudo 2 vnc. contrahi autem poteſt in 1 vnc., et latitudo maxima 2 lin. — Supra infraque plano-conuexa, antice rotundata latior, poſtice attenuata extremitate acuminata deſinens. Segmenta 81-89 numeraui, quae in elongata notabilia ſatis, in contracta autem vix, dum maſſa gelatinoſa ſolida lingulata oſtenditur. Haec ſegmenta breuiſſima, viminalia, arcte annexa, more taeniarum poſtica anticis inſita, vtrinque margine acuto retro tendente terminata *): hinc margines ſubſerrati. Duodecim anteriora verſus os arcuantur, marginibus tamen tendentiam ſuam retinentibus, et ſenſim accreſcunt latitudine maxima circiter in articulo 12mo; reliqua vero retro decreſcunt, et ex his 13-22 recta transuerſim, ſequentia omnia parum retrouerſa, ſegmentum primum ſic ſequentibus anguſtius ſuborbiculare, inciſura antica cor bilobum referens. Inciſura haec os terminale, quod euolui poteſt in tubulum breuem obtuſum, orificio tunc de altero latere (ſine dubio ſuperiore) vix conſpicuo. Segmentum penultimum omnium longiſſimum, et vltimum vt papilla acuminata ſe oſtendit, vbi anus. In latere

(vt

*) Vix fallit regula in deſcriptione Taeniarum tenenda, quod antica et poſtica ſecundum marginum tendentiam determinari debeant: hi enim analogice retro vergunt, dum vices pedum ſupplent. Minus tutum eſt, extremitatem tenuiorem ſemper pro antica habere: in iam deſcripta enim exceptionem habemus.

(vt puto, inferiore) ſulcus longitudinalis vix notabilis de articulo 12mo in anum percurrit. Nulla oſcula nec aperturas alias, ac dictas, obſeruare potui. Meatus vero anguſtus de ore in anum viſibilis ſatis, qui inteſtinum. Color in totum albus, marginibus acutis lacteis.

HABITAT intra *Gaſteroſteum aculeatum*, cuius ventrem tumidum faciens conuoluta implet, plerumque ſolitaria, rarius 2 ſimul.

In habitaculo ſuo ſemper contractam vidi. In aquam miſſa ſeſe euoluit, interuallo horae fere vtens, antequam perfecte declarata fiat. Caput ſuum continuo huc illucque flectit, tubulum ſuum exſerens. Semel declarata tali ſtatu manet.

Obſ. Hanc primum pro *Faſciola inteſtinali* (Syſt. nat. n. 2, quae *Planaria inteſtinalis* Müll. prodr. 2677) habui; poſtea vero pluribus in Noruegia viſis, noua et iterata contemplatione melius informatus ſum.

301. HIRVDO PISCIVM.

Hirudo elongata, ſubteres, extremitatibus amplis, verſipellis.

Hirudo piſcium, Müll. prodr. 2663. Ej. Verm. 172.

Hirudo geometra, Syſt. nat. I, 1080. Faun. Suec. 2083.

Igle, Bom. I, 381. (quarta.)

GROENL. *Kanneiſub-kuma.*

DESCR. De ſynonomia haereo, praeſertim quia auctorum dicitur fluuiatilis, mea autem reuera marina eſt. Deſcriptio cl. Mülleri Verm. l. c. bene ſatis conuenit in plurimis; multa tamen obſeruauit, quae non ego: nec vnquam dicti coloris mihi obuenit. Oculos, puncta poſtica et lateralia, et atomos ventris me non obſeruaſſe

fateor; nec tamen ideo prorsus nego adesse. Tales autem erant visae: Long. 1 vnc., lat. 1 lin. Corpus elongatum, subteres, laeue, lubricum, caput versus attenuatum, vtraque extremitate in orbitam excauatam dilatata: ex his altera maior pallida fusco radiata, altera magis oblonga. Colorem ex loco assumere videtur: variat enim admodum, griseus, pallidus, fuscus, violaceus, brunneus, albus 2 seriebus dorsalibus macularum brunnearum, etiam viresćens itidem maculatus. Ob hanc diuersitatem coloris characterem specificium mutare, necessum habui.

HABITAT super Cottos scorpios, illis tam arcte adhaerens, vt vix dirimi queat.

More laruarum geometrarum incedit.

302. HIRVDO HIPPOGLOSSI.

Hirudo dilatata albida, medio corporis ocello didymo, candido.

Hirudo Hippoglossi, Müll. prodr. 2669.

GROENL. *Netarnab-kuma.*

DESCR. Long. $4\frac{1}{2}$ lin. lat. 2 lin. Plana, submembranacea, lubrica, laeuis, albida; constat lamellis duabus, antica orbiculari concaua minori mobili infera fere sessili posticae, superae duplo maiori magisque dilatatae oblongo-ouatae planiori, annexa. In medio anticae subtus porus orificii, ante quem puncta conferta scabra, et 2 eminentiae lineares obliquae versus os conniuentes, duriusculae retrorsum serratae, quibus vermis se protrahit rapinaeque adhaeret. Postica prolongatur appendicula breui plana conica. In medio corporis, s. lamellae posticae, verrucae 4 subcrustaceae orbiculares candidae, quarum 2 anteriores transuersim approximatae, 2 posteriores longitudinaliter magis distantes mollioresque.

HABITAT in Pleuronecte hippoglosso, cuius cuti mucosae

coſae ſe capite ſuo arcte affigit, reliquo interim mobili. Diuulſa caput in caudam flectit.

303. PLANARIA ANGVLATA.*

Planaria elongata rufo-fuſca, antice angulis binis albis.

Planaria angulata, Müll. prodr. 2680. Ej. Verm. I, II. p. 58. vbi vocatur *Faſciola angulata.*

GROENL. *Pullateriak.*

DESCRIPTIO huius cl. Müllero communicata eius beneuolentia publici juris facta eſt l. c. *).

HABITAT ad littora in fundo arenoſo, praeſertim vbi aqua marina ſub aeſtu non prorſus defluxit.

Incedit ſe contrahendo et dilatando flexuoſe, 3 praeſertim locis coarctatis, et 2 dilatatis; magis magisque ſic attenuatur, et demum perfecte elongata ſine flexura progreditur. Supina etiam incedere valet.

Obſ. Cum hac ſemel aliam offendi fere cordatam, antice latiorem truncatam, (ſub inceſſu vero retuſam,) poſtice ſubacuminatam, long. 8 lin., lat. 4 lin. poris terminalibus, ſubuiolaceam ventre albido cum linea longitudinali rubicunda, dorſo ventre et lateribus aeque bene incedentem, minus viuacem. Haec ſine dubio non niſi pars amputata *Planariae angulatae.*

304. PLANARIA RVBRA.*

Planaria oblonga depreſſa, pallide rubra.

Planaria rubra, Müll. prodr. 2683.
Faſciola rubra, Ej. Verm. I, 11. p. 59.

*) Sic etiam Planariae rubrae, viridis, candidae et caudatae, quae ſequuntur Sp. 304, 305, 310, 311.

GROENL. *Kekkurſab - Kuma.*

HABITAT in locis profundioribus ad littora maris, ſuper vluas maiores.

Sub incedendo margines minus flectit. De orificio antico infero tubulum pallidum in agone mortis exſerit.

305. PLANARIA VIRIDIS.*

Planaria oblonga, ſupra conuexa viridis, ſtriis transuerſis albis.

Planaria viridis, Müll. prodr. 2684.
Faſciola viridis, Ej. Verm. I, 11. p. 59.

GROENL. vt antecedens.

HABITAT haec omnium viſarum pulcherrima eisdem in locis ac praecedens, ſed in radicibus fucorum.

Lente incedit. In contracta pro ſtriis rugae transverſales in dorſo conſpiciuntur. Semel contracta ſe euoluit antica attenuando, et poſtica latiora flexuoſe attrahendo.

306. PLANARIA FVSCA.

Planaria (oculis nullis) elongata fuſca, poſtice plano-acuminata, antice teretiuſcula labiata.

Aſcaris rubra, Müll. prodr. 2587. Ej. Verm. I, 11. p. 36.
Der ſtrömiſche Rödaat, id. v. Würm. p. 118. tab. III. f. 1-3.
Aſcaris pelagica, Act. Hafn. X. p. 174. tab. e. fig. 18. 19.?
Eſſe *Lumbricum oxyurum* Pall. X. p. 20. et Miſc. Zool. p. 147. tab. II, fig. 7-9. ipſe auctor clariſſimus loco primo negat, licet mihi contrarium videatur; deficiente autem figura nil certi ſtatuere audeo.

GROENL.

GROENL. *Pullateriak.*

De hac satis ab auctoribus ventilatum, occasionem dante reuer. Strömio; nec tamen hactenus rite descripta est. Cel. Müllerus, qui mortuam tantum vidit, illam inter Ascarides numerauit; sed si viuam viderit, sine dubio aliter sentire incipiet: habet enim cum reliquis planariis tam multa conuenientia, vt sine vi ab illis dirimi non queat. Cum *Planaria candida* in consortio viuit, illique affinis est. Cum *Planaria viridi* rimam lateralem anticam, et cum *Planaria angulata*, *rubra* etc. tubulum exserendum communem habet.

DESCR. Extensa interdum 4 vnc. longa, contracta vero vix $1\frac{1}{2}$ vnc. longior, 2 lin. lata. Corpus lubricum, plano-conuexum, elongatum, postice acuminatum, antice crassius rostro parum attenuato obtuso, vbi vtrinque rima longitudinalis labiata, non tamen permeabilis. Dimidia fere pars postica subtus exacte planata: quae planities optime conspicitur in contracta, dum antica teres euadit. Subtus versus rostrum apertura oris rotunda, vnde proboscidem tubularem albidam intestino lacteo spirali emittere solet; hac non prorsus retracta verruca albida in orificio apparet. Color vel fuscus, vel nigricanti-liuidus, abdomine pallidiore.

HABITAT frequens in sabulo marino et sub lapidibus littoreis, omni decessu maris obuia.

Viuit gregatim. Vt *Planaria angulata* incedit.

Nunquam in piscibus hanc offendi, et *Clypearum Rödaat* esse vix crederem.

307. PLANARIA OPERCVLATA.*

Planaria subouata grisea, subtus operculo tubulum exsertilem condente instructa (non oculata).

GROENL. *Kekkursab-kuma.*

DESCR. Vix $2\frac{1}{3}$ lin. longior, nec $1\frac{1}{4}$ latior. Fabae Coffe non diſſimilis: dorſum plano-conuexum; abdomen exacte planum; antice vix anguſtior; ſubtus margo plicatus, et verſus anteriora apertura parua transuerſalis, vnde area parum eminentior oblongo-quadrata maximam partem abdominis obtinet, quae anguſtiore poſtica prolongatur in anum. Eſt haec area operculum explicabile pagina interiore tubulum ſeruans, qui operculo aperto antice exſeritur. Color viridi-griſeus, abdomine et linea longitudinali dorſi pallidioribus, operculo vero candido. Tubulo exſerto ad baſin eius profunditas nigra conſpicitur.

HABITAT in littoribus arenoſis et inter fucos minores ſinuum, rara.

Marginem flectendo cito ſatis progreditur: duobus enim paſſibus locum prorſus mutaſſe videtur. Adiuuantibus plicis marginalibus etiam corporibus ſuperis ſe affigere et aſcendere valet.

308. PLANARIA SVBVLATA. *

Planaria (non oculata) elongata, antice acuminata, poſtice truncata *).

GROENL. vt antecedens.

DESCR. Long. 3 lin., lat. $\frac{1}{2}$ lin. Omnino ſubulata, antice protracta in roſtrum longius tenuiſſimum, poſtice reſpectu molis corporis ſatis craſſa. Color ſupra ſubgriſeus, lateribus abdomineque albis.

HABITAT copioſe in conferuis marinis, et fundo limoſo cauernarum rupium aquam ſub aeſtu retinentium.

Motu

*) Huic ſimilem nec maiorem vermiculum luteum, antice roſtratum, poſtice biſidum, ſemel in conferua marina, nec poſtea, vidi; cum vero non rite contemplatus fuerim, hic ſeponere habet.

Motu ſerpentino roſtri celerrime ingrediens oculum fere fallit; roſtro vero tacto in cubum minutum ſe contrahit.

309. PLANARIA LACTEA.

Planaria depreſſa oblonga alba, antice truncata.

Planaria lactea, Müll. prodr. 2687.
Faſciola lactea, Ej. Verm. 185.

GROENL. *Kumak.*

HABITAT inter muſcos paludum.

310. PLANARIA CAVDATA. *

Planaria antice rotundata, poſtice in caudam attenuata.

Planaria caudata, Müll. prodr. 2702.
Faſciola caudata, Ej. Verm. I, 11. p. 70.

GROENL. *Kekkurſab-kuma.*

HABITAT ſtupenda multitudine in conferuis, et vluis littoralibus, ſaepe illas tegens.

Velociſſime ingreditur, quaſi pedibus inſtructa eſſet, margine vndulato. Tacta ſe contrahit in globulum minutum.

311. PLANARIA CANDIDA.*

Planaria elongata albida.

Planaria candida, Müll. prodr. 2704.
Faſciola candida, Ej. Verm. I, 11. p. 71.

HABITAT cum *Planaria fuſca*, eidemque ſaepe aſſociata. Mores etiam iidem.

312. FASCIOLA HEPATICA.

Faſciola depreſſa ouata fuſco-albida, antice tubulo inſtructa.

Fasciola hepatica, Syst. nat. I, 1072. Faun. Suec. 2075. Müll. prodr. 2707. Ej. Verm. 177.
Faareflynder, Bom. II, 279.
Igle i Creaturenes Lever, Ström, I, 176. n. 3.
Leberegel, Pall. X, p. 28. *)

GROENL. *Sauab - kuma.*

DESCRIPT. Long. 1 vnc., lat. 4 lin. Admodum plana, medio tamen crassior marginibus acuminatis, ouata, antice latior, vbi prolongatur tubulo multo angustiore cum apertura terminali; pone huius basin in ventre apertura alia subincarnata, ante quam praecise sub intio tubuli impressura leuis cirrum exsertilem indicans: hic enim vncinatus in quibusdam apparet, et in omnibus post impressionem mediocrem in conspectum venit. Color albidus, medietas vero linea ouali lactea includitur, parte exclusa maculis minutis confertis lacteis mixta, passim strias transuersas formantibus. Locus ventriculi pone porum ventralem rubescit cum maculis paruis albis posterioribus. Ventriculum ab posticis distinguit linea transuersa lactea, pone quam ramificationes multae in aliis candidae, in aliis fuscae vel liuidae. Omnino fuscam nunquam vidi.

HABITAT in hepate ouium in Groenlandiam ductarum, raro. Nec alibi illam offendi: forsitan igitur in Groenlandia domicilium non habet.

313. FASCIOLA BARBATA.

Fasciola ore papillis fasciculato.

Fasciola barbata, Syst. nat. I, 1078. Faun. Suec. 2077. Müll. prodr. 2708.

GROENL. *Amikorsub-kuma.*

HABITAT in intestinis sepiae loliginis.

Hanc

*) *Hirudo* autem *depressa*, alba, lateribus acutis It. Goth. 182. 250, quam huc refert Linnaeus in Syst. nat. et Faun. Suec. II. cc. est ab hac diuersissima, de qua cf. Sp. 300.

Hanc non rite contemplatus, descriptioni datae Faun. Suec. l. c. nil addere possum, nec determinare, an legitime fasciolis associetur.

314. FASCIOLA VMBLAE. *

Fasciola oblonga plana, collo angustiore retractili.

GROENL. *Iviſarkub-kuma.*

DESCRIPT. Long. $1\frac{1}{2}$ lin., lat. $\frac{2}{3}$. Lagenae fere figura, parte postica multo maiore et latiore, extremitate obtuse truncata, antica vero collum angustum efficiente; supra infraque plana marginibus acuminatis. Collum lineare retrahi potest, non tamen prorsus, et apertura oblongiuscula subtus terminatur, Apertura alia abdominalis pone basin colli orbicularis, maior margine eminente. Color albidus mixtura lactea marginali; extremitas colli etiam lactea. Interdum sub colli extensione pone porum terminalem incisura conspicitur vtrinque caput quasi formans.

HABITAT in sanguine dorsali salmonis alpini aggregata et multis ramificationibus dispersa, vt facile Taenia crederetur per sanguinem transparens; continuo collum suum prolongans, flectendoque hinc inde rapinam quasi quaerens, cui se adhaerens locum etiam mutare potest. In sanguine vero quietae, sociis suis annexae, collum vix conspicuum.

315. MAMMARIA GLOBVLVS. *

Mammaria globosa, cinerea libera.

GROENL. — — — —

DESCRIPT. Animal simplicissimum globosum, molle, laeue, cinereum, pisiforme, cuius diameter $1\frac{1}{2}$ lin. apertura vnica minuta, quam euoluere potest in mem-

branam ſcyphiformem gula anguſtiore: nec alium motum obſeruaui. Intus inteſtinis pluribus cinereis impletum eſt. Liberum nulli corpori ſe annectit. Cutis tenuiſſima corpus gelatinoſum circumdat.

HABITAT in littoribus marinis inter radices fucorum, frequens.

Eſt cibus *amphitritae cirratae* praecipuus.

316. ASCIDIA RVSTICA.

Aſcidia ſcabra ferruginea, aperturis incarnatis.

Aſcidia ruſtica, Syſt. nat. I, 1087. Müll. prodr. 2720. Zool. Dan. Tab. XV.

Sæbuxur, Ol. 1001. C. b.

Sjö Plomme, Ström, I, 206.?

Tethya Ariſtotelis et Rondeletii, Ionſt. exſangu. 76. tab. XIX f. 4 et tab. XX. fig. 1-2. ſine dubio huc pertinet.

GROENL. *Nakaſurſak* (quod nomen omnibus aſcidiis commune).

DESCRIPT. Maxima, quam vidi, 1 vnc. longitudine tenebat, 5 lin. lata, erecta, ſubteres, tuberculis minutis ſcabra; vbi cutis nuda erat, rubicundo-brunnea, ſed maxima parte particulis limoſis vel vegetabilibus obſcuris veſtita erat, et ſic magis ferruginea. Aperturae in extremitate ſuperiore marginales eminentes incarnatae. Intermedium illarum in exemplari vno roſtratum, et in altero minore hoc roſtrum echinatum aculeis 4-5 mollibus; reliquis viſis tali loco nudis. Minutae mammilliformes erant.

HABITAT ſuper teſtacea baſi ſuas ipſis adnata.

317. ASCIDIA QVADRIDENTATA.

Aſcidia laeuis alba, aperturis quadridentatis.

Aſcidia

Aſcidia quadridentata, Syſt. nat. I, 1087. Müll. prodr. 2721.

DESCR. Vnicam tantum vidi, quae 4 lin. longa et 3 lin. lata erat, vbique laeuis, mollis, ſubgloboſa, verſus baſin verticemque coarctata; ſi autem ſe extendit, fere conica euadit. Color flauicat punctis eminentibus lacteis ſparſis. Vertex compreſſus, quaſi criſtatus, ciliis 2 furcatis terminatur, margine criſtae etiam ciliato, 4 ciliis ſimplicibus vtrinque. — Ad baſin criſtae in latere compreſſo vtrinque apertura alba, margine quadrangulari ſanguineo et angulis ciliatis, ſ. hiſpidis.

HABITAT ſuper balanos infra terminum deceſſus maris.

318. ASCIDIA ECHINATA.

Aſcidia haemiſphaerica hiſpida, oſculis coccineis.

Aſcidia echinata, Syſt. nat. I, 1087. Müll. prodr. 2722.

DESCRIPT. Vix praecedente maior, haemiſphaerica, baſi plana limbo ſericeo corpus peregrinum ambiente. Superficies conuexa tota albida, coriacea, verrucis minutis obſita, quae totidem aculeis apice in 6 circiter minores, non pungentes, diuiſis. Orificia nuda coccinea eminentia rugoſa: alterum fere verticale maius; alterum laterale verſus baſin, quod clauſum vix notabile eſt.

HABITAT in radicibus fucorum iisdem locis ac praecedens.

Aperturas ſuas et corpus ſimul iam dilatat, iam contrahit; qui motus vnicus locum non mutantis.

319. ASCIDIA MENTVLA.

Aſcidia compreſſa piloſa ſacculo rubro, aperturarum altera laterali.

Aſcidia

Aſcidia Mentula, Müll. prodr. 2724. Zool. Dan. tab. VIII.

Konopungur, Ol. 1001. C. a.?

Hanc ſemel ad littora maris proiectam conſpexi, non deſcripſi.

320. ASCIDIA COMPLANATA. *

Aſcidia depreſſa inaequalis albida, interaneis nigris, orificiis fuluo punctatis.

Aſcidia gelatina, Müll. prodr. 2723? Obſtare videtur, quod ſuam compreſſam, non depreſſam, dicat.

DESCRIPT. Corpus ſubcarnoſum fruſtum lardi referens, oblongum, long. 9 lin. lat. $4\frac{1}{2}$ lin. admodum depreſſum, vt vix lineam altitudine teneat; ſupra infraque planum, baſin cute tenuiſſima tegente, margine vero circumcirca canaliculatum, altera extremitate rotundata, oppoſita vero ob orificia eminentia diuergentia bifida. Superficies inaequalis, paſſim cicatricoſa. Orificium alterum medietatem extremitatis occupat, punctis 7 ſuluis eminentibus cinctum, quod pro ore habui; alterum magis laterale 4 tantum punctis, quod anus. Color albidus; interanea vero transparent nigra, poſt flexuram in vtrumque orificium tendentia. Vermis ita pellucidus.

HABITAT frequens ſatis ſuper lapides marinos littorum arenoſorum.

Baſi ſua lapidi arcte annexa vix pro animali haberetur.

321. ASCIDIA TVBERCVLVM. *

Aſcidia oblonga compreſſo-gibba, flauicans, punctis eminentibus concoloribus, orificiis verticalibus rubris.

DESCR.

DESCRIPT. Eſt omnium minutiſſima: licet enim diverſa indiuidua viderim, nunquam 3 lin. longior, nec $1\frac{1}{2}$ lin. altior mihi occurrit, vt tuberculum minutum corpori alii inſidens. Eſt corpus oblongum, ſubcompreſſum, vertice gibboſo in 2 eminentias diuergentes diuiſo. Hae terminantur orificiis totidem minutis rubris; reliquo corporis ex albo flauicante. Cutis ſubmembranacea, punctis eminentibus concoloribus ſparſa.

HABITAT in profundo maris, baſi ſua ampliore radicibus vluarum arcte adnata.

322. ASCIDIA VILLOSA. *

Aſcidia obouata radicata, albida, lanugine conferta veſtita, aperturis terminalibus concoloribus.

DESCR. Long. 4 lin ; lat. 2 lin. Corpus erectum, teres, ouatum, vertice craſſiore, baſi vero attenuata in radicem laciniatam. Cutis ſubſtupoia, verrucis minutiſſimis confertis et lanugine breui tenuiſſima confertim veſtita. Apertura altera terminalis maior, altera ſublateralis: ambae parum eminentes margine villoſo lanugine longiore. Color totus, etiam aperturarum, albidus.

HABITAT cum praecedente, radicibus ſuis inter radices vluarum fixa.

323. ASCIDIA CLAVATA.

Aſcidia ſtipite filiformi, aperturarum vtraque laterali.

Aſcidia clauata, Müll. prodr. 2740.
Vorticella Bolteni, Pall. X, 32. (vbi ex Linn. Mantiſſa plant. p. 552 mihi non viſa, citatur.)
An *Vorticella ouifera* Syſt. nat. I, 1319, ab hac ſatis diſtincta?

DESCR.

DESCR. Haec facile pro fuco quodam haberetur, dum vt ille radicata eſt, et petiolata ſtipite iam longiori, (6 vnc. et ſupra,) iam breuiori filiformi, rigida, ſcabriuſcula, erecta ſubflexuoſa, vix 2 lin. latitudine, ſurſum incraſſata, baſi inaequali, dilatata, ſubſtupoſa, fixa. Corpuſculum terminale ouatum, ſubreniforme, 3 vnc. long. et 2 vnc. lat., fuſco-rubrum; in aliis inaequale ſubſulcatum, in aliis laeue, cum duabus aperturis lateralibus rugoſis eminentibus, altera verſus apicem ſurſum, altera verſus baſin deorſum, tendente. Extrorſum cutis calloſa craſſa tam corpus quam ſtipitem cingit, introrſum glabra, alba. Intra hanc cutem animal gelatinoſum ſeruatur, meatibus 2 cum aperturis communicationem habens, et per ſtipitem in radicem vſque continuatum quaſi medulla. Inteſtina obſcure rubra contortuplicata, et ſordes nigricantes cauitatem implent. Variant quaedam pallidiores fere rubicundae. Interdum tam corpore, quam ſtipite animalculis paraſiticis, praeſertim ſerpulis et cellulanis, tam confertim obducta eſt, vt non facile dignoſcatur.

HABITAT in ſcopulis maris, rupibus baſi ſua arctiſſime adnata.

Vt congeneres ſe dilatat contrahitque, et per aperturas ſuas aquam exſpuit tanquam e ſiphone.

324. CLIO RETVSA.

Clio bitentaculata, ore horizontali bidentato, cauda acuminata.

Clio retuſa, Syſt. nat. I, 1094. Müll. prodr. 2742.
Clione papilionacea, Pall. X, 37, tab. I, fig. 18-19.
Ataurſak, Gl. 142.
See-gottes Pferde, Adel. 410, tab. XVII fig. 10.

GROENL. *Augurſak*, *Ataurſak*.

DESCR.

DESCR. Eſt $1\frac{1}{2}$ vnc. longa, et $4\frac{1}{2}$ lin. lata pone alulas. Corpus gelatinoſum pellucidum, oblongum, antice craſſius teretiuiculum capite inſtructum, poſtice in caudam acutam depreſſam attenuatum, extra aquam hyalinum, in aqua vero pallide coeruleum, ore et caudae extremo coccineis, inteſtinisque coloratis transparentibus. Caput corpore anguſtius obtuſo-globoſum, ſulco longitudinali in 2 buccas diuiſum. Os terminale labio coccineo tridentato vtrinque inſtructum, ita vt dentes illi ore aperto ſtellae figuram quodammodo referant, ore vero clauſo alternatim ſe recipiant nulla apertura relicta; ſuntque dentes hi molles ſubcruſtacei. Interius apertura alia 4 dentibus minoribus ſolidioribus cruciatim obducta, et crucem coccineam formans. Tentacula 2 mollia frontalia ad os, quae prorſus retrahi poſſunt impreſſuram relinquentia. Thorax fere globoſus, capite latior, vagina vero ſ. cauda anguſtior, intra quam (vt in ſepiis) parum recipi poſſe videtur, vtrinque membrana, quaſi ala inſtructus, qua remigare ſolet; et vbi haec incipit, impreſſuram non leuem habet. Sub ala dextra anus fuluus ad baſin, facile praetereundus. Alae ipſae reliquo corpore ſolidiores ſubmembranaceae, planatae, baſi latiore, verſus apicem acuminatae in figuram fere triangularem, margine poſtico tamen parum arcuato, longitudinaliter ſubtiliſſime ſtriatae. Praeter has in pectore 3 lobi minores, quorum duo laterales ſubtriangulares, breuiores, perpendiculares, apice parum conniuentes, tertium medium longiorem horizontalem, attenuatum, ex parte tegunt. Vagina antice verſus alas ventricoſa inteſtina continet, ſc. in latere ſiniſtro materiam obſcuram rubram granulatam, forſitan ouarium, in dextro vero fluidum flauum quaſi hepar: vtrumque ambit inteſtinulum ſerpentiforme album; in quibusdam moleculae nigrae dilatatae antice maximam partem occupant, quae excrementa. Caudae extremitas variat fulua vel pallide rubra. — Gula etiam fulua transparet.

HABITAT

HABITAT in mari ſocia meduſarum, omnibus anni temporibus obuia: menſe enim Nouembri adhuc illam vidi.

Aquam peruagatur alulis ſuis vt remis vtens, pulcherrime nitens coloribus ſuis, coelo ſereno ſuperficiem aquae iteratim capite ſuo appropinquat, qua tacta deorſum tendit. Deceſſu maris in littoribus aquam vix habens fundo cauda ſua innitens corpore erecto, mire ſe torquet alulas motitando.

Eſt cibus vulgaris anarrhichae, cyclopteri et lari tridactyli. Dicitur etiam balaena myſticetus hanc inter alia deuorare.

325. LERNAEA GADINA.

Lernaea corpore tereti flexuoſo, ore laterali inter cornua tria ſubramoſa.

Lernæa gadina, Müll. prodr. 2743.
Lernæa Branchialis, Syſt. nat. I, 1092.
Toknetrold, Ström, I, 209. tab. I. f. 18. Bom. VIII. 122.

GROENL. *Okab-maſſimioa.*

DESCR. Corpus craſſitie plerumque pennae anſerinae, cauum, flexuoſum, antice poſticeque eminens (medio humiliore), teres, membranaceum, antice ventricoſius. Cauda terminatur ſulco perpendiculari, vbi anus. Collum longum tubulare, ſolidius, multo anguſtius, filiforme, deorſum tendens ore terminali infero et tribus cornibus (apice bifidis vel trifidis), 2 ſc. lateralibus et 1 medio ſupero. — Vidi, quarum cornua vel integra vel alia ramificatione terminali prolongata; etiam, in quibus collum contortum erat; et ſic os laterale vt figura reuer. Ström. l. c. oſtendit. — Tota ſordide alba; ob ſanguinem vero, quo intus repleta eſt, color obſcure ruber cum lineis dorſalibus nigris in quibusdam apparet. Si ſanguis exprimatur,

matur, in maximis inteſtinulum tenue griſeum de ore verſus poſtica percurrens conſpicitur, quod materia flauicans granulata ſequitur. — Ouaria ſub cauda 2 molliora ex cirris longis tentacularibus contortuplicatis conſtantia. Si recte attendatur, in quolibet 2 cirri baſi diſtincti, extus mire inter ſe connexi interſtitiis ſanguine pallido repletis.

HABITAT in branchiis *Gadi barbati;* varietas minor etiam in branchiis *Gadi æglefini.*

Cornibus ſuis, ciliis carnoſis branchiarum inſertis, tam arcte ſe affigit, vt ſine mutilatione non divelli poſſit. — Motus huius vix obſeruabilis.

EDITVR a Groenlandis lubenter.

326. LERNAEA CYCLOPTERINA. *

Lernaea corpore tereti flexuoſo, orificio duplici in medio roſtri deſinentis cornibus tribus tripartitis.

Lernæa cyclopterina, Müll. prodr. 2745.

GROENL. *Nepiſardlub-maſſimioa.*

DESCR. Antecedenti ſimilis, a qua tamen differt, quod collum tenue ſurſum tendens, apice integrum, cornibus tribus terminalibus trifidis, medio autem orificiis 2 tubularibus breuibus antrorſum obliquis, oppoſitis, inſtructum ſit. Cauda etiam anguſtior, fiſſura transuerſali apicis non flexi, et vtrinque lobis 2 conuexis. Ouaria ſimplicia ſpiralia, in longitudinem 5 vnciarum extenſilia.

HABITAT in branchiis *cyclopteri ſpinoſi;* varietas minor ouariis vireſcentibus in *cycloptero lipari.*

327. LERNAEA SALMONEA.

Lernaea corpore obouato, thorace obcordato, brachiis 2 in orbiculum cartilagineum connatis.

Lernæa ſalmonea, Syſt. nat. I, 1093. Faun. Suec. 2102. Müll. prodr. 2744. Ol. 612.
Laxeluus, Bom. V, 85.

GROENL. *Ekallub-maſſimioa.*

DESCR. Long. 6 lin., lat. 2 lin. — Caput paruum, oblongum, conuexiuſculum *), labiis 2 horizontalibus praeditum, quorum ſuperius latius obtuſum vncinis 2 mobilibus rigidis armatum, inferius breuius bifidum; inter haec orificium. Thorax capite latior conuexiorque cordiformis; de cuius baſi brachia 2 linearia, teretia, ſatis longa, mobilia, apice in orbiculum cartilagineum connata, quo praedae affiguntur: inter brachia haec eminentia transuerſa dorſalis. Abdomen obouatum latius conuexiusque ſulco orbiculari ſupra, et 2 longitudinalibus infra. Ouaria 2 teretia poſtica longitudine corporis recta, reliquo candidiora, intus granulata; inter quae anus. Tota pallida mollis.

HABITAT in branchiis *Salmonis carpionis*. Similes etiam vidi ad pinnas *Gadi barbati*, quas ex parte conſumſerunt **).

Praecedentibus viuidior, vncinos ſuos conniuentes continuo motitans.

328. LERNAEA VNCINATA. *

Lernaea corpore oblongo, roſtro ſimplici curvo, ore terminali.

Lernæa uncinata, Müll. prodr. 2746. Zool. Dan. tab. XXXIII. f. 2. ***). GROENL.

*) Minime oculatum, contra effatum Bom. l. c.

**) Huic affinis poſthac in Salmone alpino mihi in Norvegia obuenit, cui corpus curuatum, thorax annularis, caput maxilloſum, et ouaria ex moleculis nigro arcuatis compoſita.

***) In quo opere elegantiſſimo, beneuolentia editoris illuſtris, hanc et ſequentes Lernaeas, ſecundum delineationes illi

GROENL. *Saraulib-massimioa.*

DESCR. Magnitudo et color praecedentis. Mollis, simplex prae congeneribus. Collum s. rostrum longum, teres, curuum. Os terminale bifidum. Corpus oblongum subdepressum, sulco longitudinali medio dorsi, et 2 lateralibus coeuntibus abdominis. Papilla breuissima pectoris, qua se affigit. Ouaria vt in praecedente, sed non granulata; inter haec papilla minuta analis.

HABITAT in branchiis *Gadi callariae*; etiam in pinnis *Gadi æglefini* mihi obuia fuit.

Est praecedente minus viuida.

329. LERNAEA GOBINA. *

Lernaea corpore rhomboidali, brachiis 2 anticis, totidemque posticis, nodosis, cornibus binis arietinis.

Lernæa gobina, Müll. prodr. 2747. Zool. Dan. tab. XXXIII. f. 3.

GROENL. *Itekivdlib-massimioa.*

DESCR. Long. 7 lin., lat. $3\frac{1}{2}$ lin. Corpus quadrangulare postice latius, depressum, subtus subconcauum, prolongatur antice collo teretiusculo, apice incrassato, vbi cornua 2 curuata antrorsum et os intermedium prominens, constans 3 labiis, sc. 1 supero longiore, e 2 inferis breuioribus. In corpore ipso 4 brachia deflexa, quorum 2 antica teretia varie flexa geniculis 2 nodatis, et nodo terminali, antrorsum vergunt, 2 postica retro tendunt apicibus curuatis conniuentia, geniculis 2 nodatis, nodo baseos et interiore alio inter genicula, apice simplici,

illi communicatas, figuris accuratis expressas gratus video. — Textu sequente, etiam ibi descriptiones perfectiores sunt exspectandae.

plici. Inter et ſupra haec ouaria caudalia, ſpiralia, tereti-ſubulata. Inter haec anus eminens bifidus. De ore in anum inteſtinum obſcurum ſuperne transparet in quibusdam, reliquo corpore ex albo coeruleſcente, ouariis albis.

HABITAT in branchiis *Cotti gobio.*

330. LERNAEA RADIATA.*

Lernaea corpore quadrato depreſſo, brachiis vtrinque tribus, cornibus quatuor rectis.

Lernæa radiata, Müll. prodr. 2748. Zool. Dan. tab. XXXIII. f. 4.

GROENL. *Ingmingurſab-maſſimioa.*

DESCR. Long. 11 lin. lat. 3 lin. — Corpus quadratum depreſſum, eminentiis variis. Brachia 6: ſc. par anticum conicum oblique deorſum extrorſumque flexum; par medium teres craſſius ſub abdomen retro curvatum, hinc deſuper non conſpicuum; par poſticum craſſiſſimum oblique retro tendens patensque, papilla intermedia anali, cui incumbunt ouaria 2 recta teretia extus craſſiora corpore duplo longiora. — Abdomen inter 2 paria poſtica brachiorum transuerſim eminens, antice vero concauum papillis 4 mediis minutis conicis verſus caput; pone par medium etiam concauum et eminentia levis longitudinalis latus vtrinque percurrit in papillas poſticas vsque. — In dorſo ſuper collum conuexitas orbicularis, pone quam lunaris, et in medio dorſi 2 orbiculares marginibus ſerratis, reliquo dorſi humiliore. — Latera corporis crenata. Caput depreſſiuſculum rotundatum, ſubtus conuexius papillis minutis crebris inaequale; quatuor tentaculis, ſ. cornibus molliibus lateralibus, plano-ſubulatis, poſticis maioribus. Os terminale inferum vncinis 2 nigris rigidis armatum. Loca eminentia omnia lactea ſolidiora, reliquo corporis, cum papillis, capite et tentaculis, ſordide albo ſ. ſubcinereo, molliori.

HABITAT

HABITAT in *Coryphaena rupestri* ad rictum oris, rarior.

Extra piscem fere quieta, brachia et cornua leniter motitat.

331. LERNAEA NODOSA.*

Lernaea corpore quadrato tuberculato, brachiis breuissimis vtrinque duobus.

Lernæa nodosa, Müll. prodr. 2749. Zool. Dan. tab. XXXIII. f. 5.

GROENL. *Sullupaukab-massimioa.*

DESCR. Long. 8 lin., lat. $2\frac{1}{2}$ lin. depressiuscula, supra conuexior, quadrata, longitudinaliter 5-tuberculata, et totidem eminentiis marginalibus conicis vtrinque, quarum 2 anticae et vltima sub abdomine in brachia breuissima flexa prodeunt: ex his anterior trifida, reliquae bifidae. In abdomine tuberculus medius, et analis, papillae 2 trifidae ad caput et 4 simplices sub capite. Intestinum etiam longitudinale abdominis transparens. Caput rhomboidale sulco laterali in 2 conos vtrinque emarginatum, posteriore longiore. Vncini, ouaria et color fere praecedentis.

HABITAT in *Perca Norvegica* ad rictum oris, minus frequens.

332. LVCERNARIA AVRICVLA.*

Lucernaria lagenam referens, collo tereti, extremitate ampliore fasciculis octonis tentaculorum cincta.

Holothuria lagenam referens, tentaculis octonis fasciculatis, Müll. prodr. 2812.

GROENL. *Akuilisaursak;* aliis: *Unnerarsuk*, vel potius *Ornigarsuk.*

Haec multa communia habet cum Lucernaria quadricorni Müll. prodr. 2754. Zool. Dan. tab. XXXIX. hinc illi potius, quam Holothuriis, genere iungere volui.

DESCR. Maxima long. $1\frac{1}{2}$ vnc., lata in extremitate ampliore $\frac{2}{3}$ vnc.; plerumque tamen minor. Figura lagenae obuerſae non abſimilis eſt; ſi autem pars amplior dilatatur, tentaculis ſuis florem *primulae auriculae* potius refert. Vermis lubricus, gelatinoſus, elongatus, teres, dimidia parte ampliore, quam corpus, altera dimidia triplo anguſtiore, quam collum, ſ. pedunculum dico. — Neque in illa, neque in hac, ſulci, rugae vel ſpirae viſibiles. — Corpus ſemper ſuperius erectum, intus cauum, margine cincto tuberculis octonis granulatis, per paria baſi iuncta diſperſis, quos prolongare poteſt pro lubitu; et tunc pro tuberculis in conſpectum veniunt totidem faſciculi tentaculorum ſ. papillarum retractilium cum pedicello communi paris ſinguli. — In ſingulo faſciculo papillae 60 et vltra, nigrae apicibus albis. Inter ſingulum par margo vix inciſus eſt piſtillifer; quod piſtillum tamen in omnibus non vidi, ſine dubio igitur retractile. Collum ſemper inferius terminatur oſculo albo, quo ſe affigit; hoc oſculum, ſi claudatur, angulis 4 marginalibus nigris cruciatum euadit, de quo per collum meatus anguſtiſſimus ſpiralis in corpus progreditur, vi cuius collum abbreuiare poteſt. Color in plerisque niger, in aliis rubicundus, in paucis brunneo-aureo-nitens. — In his inteſtina transparent, in nigris vero non niſi cute lubrica exteriore detrita. Inferiora ſi attendamus, ventriculus amplus in baſi corporis, ſiue ad initium colli, cum gula tetragona tenui prominente, angulis tuberculis marginis reſpondentibus. De ventriculo in ſingulum par tuberculorum prodit inteſtinum nigrum 2-plicatum ſpirale, verſus tubercula integrum, verſus collum vero aperturis 2 terminatum; hinc nutrimentum de ore communi in marginem corporis progrediens regreditur in collum, per quod excrementa ſine dubio emittuntur.

HABITAT

HABITAT in profundo maris, foliis vluarum maximarum se tam arcte affigens, vt, si diuellatur, notam in folio relinquat.

VESCITVR onisci, praesertim *onisco Abyssino*, quem semper fere solum in ventriculo eius inueni; raro in maioribus squilla lobata occurrit. Hi miseri in aperturam corporis dilatatam offendentes, statim tentaculis concludentibus capiuntur et ingurgitantur. — Saepe in vno verme plures onisci inuenire contigit, interioribus corruptis, exterioribus adhuc integris.

Raro locum mutat, licet mutare valeat: diuulsa enim se contrahendo, et dilatando procedit, demumque se affigens corpus erigit.

333. LVCERNARIA PHRYGIA.*

Lucernaria corpore elongato papilloso, brachiis numerosis globiferis in hemisphaeram deflexis, basi byssо fixa.

GROENL. — — — —

De huius genere etiamnum dubitans, pro tempore lucernariis associaui, in multis tamen hydris affinem.

DESCR. Long. $\frac{1}{2}$ vnc. lat. $\frac{1}{4}$ vnc. Primo intuitu candelabrum refert; cuius basis opere phrygio confecta est. — Corpus angustum, intestinale, basi parum ampliore cum apertura terminali, supra prolongatur collo erecto crassiore tereti, papillis innumeris exsertilibus apice globosis obsito. Collum hoc exserere potest in longitudinem quadruplam, papillis tunc minus conspicuis; etiam extremitatem incrassare valet, vbi apertura minor supera. Corpus ipsum cingunt brachia s. rami permulti, tenues, breues, inter se implicati, globulis mollibus fasciculatis in formam hemisphaerae deflexi. — Color rubicundus, globulis papillisque albidioribus, et linea longitudinali purpurea totum corpus collumque percurrente, quae in-

teſtinulum. — Byſſo alba tali, quae in Mytilis occurrit, rami inferiores ſunt radicati.

HABITAT cum praecedente.

Locum mutare non vidi; ſaepe autem duas collis ſuis connexas, ſcopo ignoto. Figuram ſuam etiam mutare poteſt, ita vt collum prorſus ſub ramis magis diſperſis retractum occultetur, corporeque magis conſpicuo.

334. MYXINE GLVTINOSA. †

Myxine corpore elongato glutinoſo, ore dentato.

Myxine glutinoſa, Syſt. nat. I, 1080. Müll. prodr. 2755.
Hvid-aal, Ström, I, 287.
Sleepmark, Act. Nidr. II, 250. tab. III. Bom. VII, 389.
Pihr'al, Pilor, Ingeris-Pilt, Kalm Am. I, 100.

GROENL. *Ivik.*

Rara in mari groenlandico.

335. DORIS FVSCA.

Doris ouali, lamella ſcabra, punctata.

Doris fuſca, Müll. prodr. 2768.
Doris bilamellata, Syſt. nat. I, 1083.
Limax bilamellatus, Faun. Suec. 2094.

GROENL. — — — —

DESCR. Long. 3 lin. lata 1¾ lin. — Ouato-oblonga, ſupra plano-conuexa, ſubtus plana. Vermis ipſe inferus oblongus, poſtice acutus, antice capite rotundato, cuius orificium ſubtus concauum. — Tentacula ſua nunquam in conſpectu meo porrigere voluit; hinc de illis haereo. — Anus vero tuberculatus verſus antica in latere dextro ſatis conſpicuus, pone quem porus alius minor. Obue-

latur

latur lamella ſupera, quadruplo circiter latiore et ante caput prominente, molli, dorſo vermis annexa, margine deflexo, ſic ſubtus concaua. Superficies huius ſcabra verrucis minutis durioribus ouatis. Color albus, maximam vero partem dorſi occupat macula oblonga fuſca, inteſtina transparentia indicans, vbi etiam cutis tenuior.

HABITAT cum Chitonibus in lapidibus marinis et ad radices fucorum.

Lentiſſime procedit, marginem lamellae plicans; arte vero ſe more Chitonum lapidibus affigit. Corpus ſuum incraſſare et dilatare valet. *)

336. DORIS PAPILLOSA.

Doris ſupra tecta papilla, linea dorſali laeui.

Doris papilloſa, Müll. prodr. 2775.
Limax papilloſus, Syſt. nat. I, 1082. Faun. Suec. 2093.
Doris bodoenſis, Act. Hafn. X, 170. tab. e. fig. 11-16.

GROENL. *Kemiarſurſak.*

DESCRIPT. Maxima, quam vidi, long. 1 vnc. et lat. 3 lin. erat; corpore oblongo poſtice acuminato, ſupra lamella ampliore molli plano-conuexa obuelata, ſubtus plano craſſiuſculo. — Lamella ſuperne tegitur vtrinque papillis numeroſis tentacularibus, non tamen retractilibus, medietate tamen dorſi longitudinali, capite et extremo caudae nudis. Caput ſulco transuerſali de corpore ſeparatum, quadratum. Tentacula 2 longa ſubdepreſſa, acuminata de angulis anticis, et totidem breviora de ſulco collari, quae non more limacum inuoluit,

*) Fateor hic, me antea Hirudinem hippogloſſi pro Doride laeui habuiſſe, quod occaſionem dedit nominis groenlandici Müll. prodr. 2774, illi alieni.

ſed intra cutem, nec tamen prorſus, retrahit. — Os anguſtatum ſub capite, ante quod rima longitudinalis. — In latere dextro pone caput porus analis. — Color albus, papillis in aliis griſeis, in aliis fuluis, cum apicibus et marginibus albis. — Tentacula corpori concoloria; ſed in varietate fulua medium dorſi et tentacula poſteriora flauicant.

HABITAT in fundo maris argilloſo vel ſabuloſo inter Mytilos ad littora, frequens.

Multo maior in ventriculo *Gadi callariae* ſaepe obuenit, ſemper autem mutilata; hinc non determinare potui, an ſpecies diuerſa.

Bene ſatis, vt Limax, incedit, papillos dorſi huc illucque mouet, et quieſcens his corpus ſuum tegit.

337. DORIS ARBORESCENS.

Doris tentaculis ramoſis dorſo gibbo fruticante.

Doris arboreſcens, Müll. prodr. 2776.
Thetys auriculis 2 eleuatis, cornibus dorſi ramoſis ſiue arboreſcentibus, Act. Hafn. X, 14. Tab. V. fig. 5.

GROENL. *Kemiarſurſak.*

DESCR. Magnitudo praecedentis. — Compreſſa, dorſo gibbo, pede dilatato, poſtice acuminata, antice rotundata, vbi ſubtus os rugoſum in ſemicirculo. Sulcus longitudinalis in abdomine. Superne caput ſingulare conſpicuum. Margo extremitatis anticae terminatur vtrinque 4 papillis teretibus rangiferis, quarum interiores ſenſim longiores. Receptacula 2 tubularia pone regionem oris et verſus ſummitatem dorſi, quorum apex orbicularis 5-ramoſus, vnde tentacula exſeruntur conica foliacea, paniculae humuli non diſſimilia, quae prorſus in tubulo condi poſſunt. Ad baſin tubuli papilla alia conica ſubcompoſita in-

inferior. Praeterea 6 fasciculi papillarum rangiferarum in lateribus dorsi vtrinque, retro sensim breuiores: versus medium dorsi nempe fasciculus primus et maximus ex tribus separatis ordine transuerso; secundus pari distantia similis; tertius, quartus et quintus breuioribus distantiis, singulus ex tribus minoribus, compressiusculis, minusque compositis; sextus extremum posticum occupat, ex tribus minutis figura triangulari ordinatis. Inter primum et secundum adhuc papillae paucae breuiores magis superae. — In latere dextro sub fasciculo primo corporis apertura alba analis vel genitalis non eminens, et superius inter primum et secundum fasciculum eiusdem lateris adhuc alia minor margine parum eleuato. — Corpus totum laeue, molle, lubricum. Color abdominis albus, dorsi vero brunneus vel ruber, apicibus papillarum et punctis crebris in corpore albis. — Haec puncta in verme contracto lamellas orbiculares submembranaceas indicant, quae in extenso nullibi obseruantur.

HABITAT in mari fucis adhaerens tam pede, quam papillis rangiferis; ad littora rarior; in locis profundis et scopulis extremis frequentior. — Hinc saepe occurrit in ventriculis gadorum et hippoglossi.

Vt Limax incedit; papillis suis continuo motis occurrens amplectitur. Tentacula etiam iteratim exserit retrahitque.

338. HYDRA SQVAMATA.

Hydra coccinea, capite mutabili vndique cirrato.

Hydra squamata, Müll. prodr. 2786. Zool. Dan. tab. IV.

GROENL. — — — —

Hanc saepe vidi aggregatim, vt lucum spectabilem, ad basin fucorum et in superficie corporum ligneorum etc.

etc. ad littora maris; ob paruitatem vero non rite conſpectam eſſe ſuſpicatus, accuratiorique deſcriptione in Zool. Dan. exſpectata, hic ſepono.

339. HYDRA RAMOSA. *

Hydra pedunculo compoſito flauicante, capitulis, vndique nebuloſe cirratis, rubris.

DESCR. Longitudo pedunculi 9 lin. capitis $1\frac{3}{4}$ lin. — Pedunculus tenuiſſimus filiformis, laeuis, ex griſeo flauicans, ſubmembranaceus, erectus in ramos 3 vel plures diuiditur, tubularis, intus fluore pallido repletus. In apice rami ſinguli capitulum oblongum, teres, molle, coccineum, figura et magnitudine capitelli floris lauendulae, apice perforato albo, baſi per pedicellum breuiſſimum ramo inſidens. Superficies huius nebula alba cingitur, quae, ſi melius attendatur, formata eſt ex multis papillis apice incraſſatis, longitudine latitudinis capituli. — In quibusdam adhuc ad baſin capituli alia minora ouata enaſci incipiunt; paſſim in ramis ipſis etiam talia ſolitaria germinantia. — De orificio terminali capituli interdum cirros longos tenuiſſimos exſertos conſpexi: nec certus ſum, vtrum vere cirri, an inteſtina partis violatae expreſſa fuerint; non enim deinde retrahebantur.

HABITANT in ſtipitibus vluarum maximarum pedunculis ſuis fixae, plures gregatim.

Orificium dilatat, capitulum vibrat, et papillas prolongat abbreuiatque; qui motus vnicus.

340. ACTINIA CRASSICORNIS.

Actinia rubra, cirris fuſiformibus.

Actinia craſſicornis, Müll. prodr. 2792.
Söekuſe, Ström, I, 204. Bom. VII, 491.

Actinia

Actinia felina, Syſt. nat. I, 1088.
Priapus felinus, Faun. Suec. 2105.
Actinia corpore ventricoſo molli, tentaculis numeroſis variis, Ol. 1002. E.
Vrtica maior et minor, Ionſt. exſang. tab. XVIII.

GROENL. *Kettuperak.*

DESCR. Tota mollis, laeuis, lubrica, conico-truncata; variat magnitudine, dum vidi minimas vt lenticulas, alias vero 1 vnciam longitudine et ſemiunciam diametro baſeos ſuperantes. Color albidus, ſubgriſeus, vel rubicundus, lineis longitudinalibus albo punctatis. Apertura vnica ſupera dilatabilis, cincta 12-48 cirris mollibus approximatis, ſubulatis, 2 ordinibus obſita, quos exſerere et quoquouerſus flectere valet, illisque rapinam ſuam amplecti, et in orificium medium 4 labiis cruciatim obuelatum ferre ſolet. Baſis integra rugoſa rugis centrifugis, quibus ſe rupibus affigit; ſubſtantia baſeos reliquo craſſior compactiorque. In animali contracto rugae longitudinales annularesque in conſpectum veniunt; maſſaque tota ſolidior euadit. Intus caua amplaque eſt, vbi inteſtina flaua, mollia, contortuplicata tantum reperi, et inter haec pullos eius natantes menſe Martio, quos me conſpiciente de apertura ſupera peperit; eſtque ſic viuipara.

HABITAT in rupibus littoreis marinis, praeſertim in fiſſuris, arcte fixa, hinc ſaepius diformis baſi ſua; ſuper mytilos etiam frequens.

Locum mutare non vidi. Cirros ſuos continuo motitat victum quaerens; vix autem tacta ſe contrahit, cirris intra aperturam retractis.

VESCITVR patellis, neritis, et aliis vniualuibus, improuiſo cirris eius appropinquantibus, dum ſic deglutiuntur, et carne conſumta teſtae exſpuuntur: quod videns teſtor.

EDITVR cocta ab incolis, praeſertim auſtralioribus.

341. ACTI-

341. ACTINIA NODOSA. *

Actinia rugosa, sulcata, extremitatibus amplioribus, supera tuberculata, cum cirris intermediis breuibus compressis coccineis.

GROENL. *Aitsib-pa.*

DESCRIPT. Haec maxima omnium Actiniarum visarum, long. 4 vnc. lat. media 2 vnc., extremitatum 3 vnc. Color ex albo rubescit, cirris vero coccineis. Sese extendens salino vel scypho non absimilis est, medio angustior cylindrica, extremitatibus vero amplioribus. Basis maxime se dilatat cute crassa coriacea. In hac et parte angustata rugae numerosae annulares, quas intersecant 24 sulci longitudinales, ita tamen, vt sulci versus verticem, rugae versus basin, praedominentur. — Extremitas supera nodis permultis, versus aperturam maioribus, lubricis, rubicundis tuberculata est, intra quos aperturae propiores 96 cirri breues compressi apice acuminati, 2 ordinibus, interiore longiore, locati sunt. Hi cirri saturatius rubri, iam ex parte, iam omnes simul, extendi solent. — Apertura ampla in rimam oblongam profundiorem deducit, cuius margo submembranaceus inaequalis. Intestina rubicunda implicita, spuria, hepatis instar.

HABITAT in locis profundis maris, fundo rupestri adhaerens.

Pullos et victum eius non offendi. Reliqua vt in praecedente.

342. ACTINIA INTESTINALIS. *

Actinia cylindrica laeuis flauicans pellucida, sulco annulari in duas partes diuisa, cirris filiformibus concoloribus.

An

An *Actinia truncata*, Müll. prodr. 2795.?

GROENL. *Kettuperangoak.*

DESCRIPT. Vix penna cygnea craſſior, longa 1 vnc., ſi autem extendatur 2 vnc. — Tota laeuis, pellucida, teres, extremitatibus truncatis, inteſtinum referens. Annulus profundior medius, baſi tamen propior, totum corpus in 2 partes diuidit, quae in contracta aeque fere latae longaeque, in extenſa vero ſuperior pars multo longior tenuiorque vt collum ſe oſtendit. Rugae vel ſulci plures in hac non occurrunt, ſed intra cutem ſtrigae albae longitudinales tantum transparent. Apertura terminalis orbicularis parum eminens cingitur cirris 18 filiformibus longiuſculis, 2 ordinibus alternatim diſpoſitis — Color flauicat, parte inferiore cum cirris lucidioribus.

HABITAT ad littora lapillis et teſtaceis adhaerens; frequens etiam in fundo arenoſo, ex parte ſub arena ſe condens.

Continuo vibrat extremitatem ſuperam cirratam. Si diuellitur, et iterum aquae committitur, ſe fundo affigit; hoc tamen ſaepius iterato, glutine ſuo quaſi amiſſo, amplius adhaerere non valet, lateribus vero incumbens cirros ſuos vibrat.

342. b. ACTINIA SPECTABILIS.

Actinia coerulea, laeuis, cirris craſſis albo maculatis, foramine radiato.

An Varietas *actiniae rufae* Müll. prodr. 2797. Zool. Dan. tab. XXIII.?

GROENL. *Kettuperarſoak.*

DESCRIPT. Affinis eſt Actiniae craſſicorni, ſed multo maior, ſaepe 2 vnc. longa et 1 vnc. lata baſi. Color pulcre coeruleus vel vireſcens, ſtrigis longitudinalibus albo punctatis. Cirri craſſi verſus apicem attenuati corpore

corpore pallidiores, latere interiore versus basin macu-lis albis, quae totidem radiis continuantur in orificium me-dium, ac cirri dantur ordine singulo. — Numerus ve-ro cirrorum indeterminatus est: multiplicantur enim, prout apertura cum aetate amplificatur; sic 12, 36, 48, 62 in diuersis numeraui.

HABITAT ad littora infra terminum fluxus maris or-dinarii, in cauernis rupium frequens.

343. HOLOTHVRIA PENTACTES.

Holothuria tentaculis denis corpore quin-quefariam verrucoso.

Holothuria pentactes, Syst. nat. I, 1091. Müll. prodr. 2806. Zool. Dan. tab. XXXI. f. 8.
Ochsenhertz, Cr. 134.
Innelloalik, Gl. 134.
Brimbutur, Ol. 1004.

GROENL. *Innellualik.*

DESCRIPT. Corpus oblongum teres extremitatibus anguſtatis, figura cucumeris. Longitudo 6 vnc., lati-tudo 3 vnc. *); se autem pro lubitu contrahere et ex-tendere valet. Cutis crassa, in extensa mollior, in con-tracta solidior, colorem habet ex viridi brunneum, lae-vis, 5 ordinibus longitudinalibus duplicatis verrucarum rubicundarum eminentium instructa. Verrucae hae per-foratae videntur, et sunt totidem papillae exsertiles, qui-bus animal supra fundum incedere valet. Aperturae duae terminales, quarum postica minor simplex anus; antica maior, magis rugosa, os. Ex hoc tentacula 10 in-teriora protrudit, quae versus basin teretia, crassior, cor-pori

*) Si igitur magnitudo figurae Zool. Dan. naturalis erit, certe pulli. Tentacula eius quoque parum differre vi-dentur; an igitur diuersa?

pori concolaria, apice vero rubicunda diuisa, granulata. Inter haec gula longa coarctata, intestino flauo triplicato prolongata in anum vsque. Praeterea interiora implent intestina innumera contortuplicata, tenuia, rubicunda, mollissima, materiam granulatam fuluam circumdantia. Superficies interior corporis alba cute tenui flaua vestita; ibi etiam nerui 5 albi robusti longitudinales e regione verrucarum conspiciuntur, et adhuc laminae longae extremitates papillarum interiores obducentes.

HABITAT praesertim in fundo maris inter fucos; alias etiam in libero mari trans littora natare conspicitur, tentacula sua extendendo et complectendo.

Est viuipara: mense enim Martio in illa versus anum pullum libere natantem, rubicundum vidi.

344. HOLOTHVRIA FRONDOSA.†

Holothuria tentaculis frondosis, corpore laeui.

Holothuria frondosa, Syst. nat. I, 1089. Müll. prodr. 2802.

GROENLANDORVM *Irksolik*, quam non vidi, secundum illorum narrationem hanc esse subsumo.

345. HOLOTHVRIA LAEVIS.*

Holothuria elongata tentaculis duodenis, corpore quinquefariam lineato punctatoque.

Holothuria denudata, Syst. nat. I, 1091. Müll. prodr. 2805.?

GROENL. *Kaumiarsorsoak.*

DESCR. Long. 1-6 vnc., sed vix penna cygnea crassior. Elongata, teres, mollis, laeuis, candida, pellucida, intestinis flauicantibus transparentibus, 5 lineis lacteis longitudinalibus in 5 spatia aequalia, quasi diuiditur,

quorum medium occupant totidem ſtrigae lucidiores punctatae punctis maioribus minoribusque alternantibus plerumque 15. Puncta haec parum eminent, vix tamen cutem ſcabram reddunt, et ſunt totidem papillae tubulares, exque ſtrigis illis 2 approximatae reliquis minus notabiles. — In quibusdam etiam ſtrigae aliae pallidiores apparent. Extremitas antica paulo craſſior, vbi os, cinctum 12 tentaculis mollibus albidis, apice 8-fidis, quae abbreuiari prolongarique poſſunt, et radicantur in annulo candidiore corneo intermedio, ex 12 dentibus depreſſis verſus gulam tendentibus conſtante. Gula minuta, profundior, pallida, prolongatur inteſtino antice triplicato, poſtice ſimplici, excrementis griſeis argillaceis impleto. Anus parvus, notabilis tamen, in extremitate oppoſita. In maioribus verſus antica materia alba granulata transparet; forſitan oua eius.

HABITAT ad ſcopulos maris in fundo argilloſo, quem tranat, foramen ſuperum habens pro excrementis.

Extra elementum ſuum non progredi valet, in argilla vero cito ſatis ſe condit. Os ſuum dilatans tentacula ſua alternatim extendit, 6 ſc. ſingula vice, 6 reliquis interim verſus os deflexis.

In ſpiritu vini mire deformatur, ita vt non pro eadem habeatur.

346. HOLOTHVRIA MINVTA.*

Holothuria oblonga, tentaculis duodenis, corpore quinquefariam papillato.

GROENL. *Kaumarſungoak.*

DESCRIPT. Praecedenti tam ſimilis, vt facile pro pullo eius habeatur; differt tamen ſequentibus: Longitudinem 4 lin., et latitudinem 1 lin. vix ſuperat, oblon-

ga

ga teres, extremitatibus rotundatis, poſtica parum curva poro anali terminata. Cutis laeuis, glabra, ſubmembranacea albida, 5 ſeriebus papillarum reſpectu paruitatis vermis mire prominentibus, retractilibus, tubularibus inſtructa. In ſerie ſingula 10 papillas, omnes eiusdem magnitudinis, numeraui; ſuntque ſeries illae ita locatae, vt maxime latus alterum ſpectent, ſicque alterum, quod dorſum nomino, fere nudum euadat; quae dorſo propiores, reliquis etiam minus notabiles magisque interruptae ſunt. Os cingitur tentaculis 12 flauicantibus apice 6-fidis. — Variant quaedam ſubrubicundae.

HABITAT ad littora maris in fundo arenoſo.

Incedere valet, licet tarde, papillas ſuas extendendo.

347. HOLOTHVRIA PRIAPVS.

Holothuria elongata, cauda papilloſa, ſtriis annularibus corporis et longitudinalibus glandis anticae.

Holothuria priapus, Syſt. nat. I, 1091. Müll. prodr. 2807.

Madkamoder, Ol. 1001. tab. X. fig. 9. (ex ſpecimine nimis mutilato.)

GROENL. *Tarkikſunak.*

DESCR. Long. 6 vnc. (cauda $4\frac{1}{2}$ vnc. efficiente), craſſitie 4 linearum. Commode diuidi poteſt in 3 partes praecipuas, truncum, glandem, caudamque. Truncus, qui pars media, elongatus, teres, laeuis, verſus anteriora ſenſim anguſtior ſulcis annularibus (quos 38 numeraui,) inſtructus, poſtice abrupte terminatur annulis 3 eminentioribus concentricis. De centro proſtat cauda corpore triplo longior, filiformis ſcabriuſcula, papillis mollibus carnoſiis, verſus baſin confertioribus, verſus apicem diſtantibus, veſtita, et in perfectis terminata 3 talibus papillis. Ad baſin caudae porus ana-

lis. Glans, ſiue pars antica trunco dimidio breuior, ſed craſſior, ab illo diſtincta ſulco annulari profundiore, etiam teres, laeuis et ſulcata annulis (quos 22 numeraui); praeterea autem ſtriae 24 longitudinales eminentes, ſerratae, hanc partem percurrunt, antice in centrum orificii concurrentes. Extremitas eius parum craſſior rotundata orificio medio eminente inſtructa eſt, de quo protrudi poteſt tubulus, glande triplo breuior graciliorque, punctis eminentibus ſcaber, baſi anguſtatus, vbi 2 annuli aculeorum nigrorum (in ſingulo annulo 10), qui tubulo retracto os cingunt, quaſi dentes eius. Gula continuatur inteſtino recto in anum percurrente, fluore nigro impleto. Color albidus, nitidus, papillis caudae tamen ſanguinolentis.

In Syſt. nat. l. c. dubitatur de vero loco oris, dum alii caudam faſciculum tentaculorum dicunt; ſed hanc reuera caudam eſſe, glandemque ore terminatam, iterato conſpectu certus factus ſum: glande enim ſemper fundum fodit, illiusque orificium dilatat, non vero ita cum cauda ſe habet.

HABITAT in fundo argilloſo ſinuum, vbi meatum ſuum habet tuberculo ſupero notatum.

Dum ore ſuo ſub argilla fodit, caudae extremitatem ſupra fundum erigit (quaſi tentaculum), qua vix tacta profundius ſe recipit. Glandem totam retrahere valet intra truncum, tunc ſolum conſpicuum; momento citius autem denuo protrudit. Tubulum ſponte emitti nunquam vidi.

Eſt cibus *Cotti gobio*.

348. HOLOTHVRIA SQVAMATA.

Holothuria tentaculis octonis ſubramoſis, corpore ſupra ſcabro, ſubtus molli.

Holothuria ſquamata, Müll. prodr. 2810. Zool. Dan. tab. X. fig. 1-3.

GROENL. — — — — — DESCR.

DESCR. Huius exemplar mutilatum tantum vidi, ab anate molliſſima ingurgitatum, quod tale erat: Corpus longum 2 vnc. 7 lin., latum 1 vnc. 6 lin., oblongum extremitatibus rotundatis, altera paulo latiore, ſupra convexum, arcte imbricatum ſquamis permultis teſtaceis, punctis eminentibus ſcabris, margine rotundatis, reſpectu 2 centrorum humiliorum verſus extremitates locatorum concentricis, interioribus ſenſim minoribus, lateralibus vero longitudinaliter ordinatis, ſubtus planum, nudum, carnoſum, verſus latera tantum verrucis planis orbicularibus veſtitum: hinc trans medium apertura oblonga conſpicitur, quam naturalem eſſe haeſito. De centro ſquamarum dorſi dicto extremitatis latioris prominet pars truncata, quae rudimentum tantum tentaculorum mutilatorum. Color ruber.

HABITAT in fundo maris arenoſo.

349. HOLOTHVRIA FORCIPATA.*

Holothuria ventricoſa, extremitatibus anguſtatis conicis, antica forcipe aurichalcica.

Blodſuga, Ol. 611.?

GROENL. *Illulualik.*

DESCR. Longitudo 5 vnc., latitudo 2 vnc., extremitatum vero 3 lin. — Corpus ventricoſum, cylindricum, molle, lubricum, punctis innumeris parum eminentibus. Cutis tenuis. Extremitates valde anguſtatae conicae ſolidiores, itidem punctatae: poſtica poro anali terminatur; antica poro maiore, de quo forceps aurichalcica rigida ex 2 cruribus compreſſo-acuminatis, curvis, apice conniuentibus, conſtans proſtat: ad baſin huius ſubtus in collo rima longitudinalis.

HABITAT in fundo maris argilloſo.

EDITVR a *Cotto ſcorpio*, in cuius ventriculo illam inueni.

350. SEPIA LOLIGO.

Sepia corpore cylindrico ſubulato, cauda ancipiti-rhombea.

Sepia Loligo, Syſt. nat. I, 1096. Faun. Suec. 2107. Müll. prodr. 2815.
Dintenfiſch, Cr. 134.
Amikorſoak, Gl. 142.
Blækfisk, Ström, I, 173. Bom. I, 373.
Spoite, *Sputte*, *Blekſprutte*, *Söemige*, Pont. II. 288. c. fig.
Dile, Ol. 612.
Loligo maior, Ionſt. exſang. 10. tab. I, fig. 4. Oua huius Bohadſch 155. tab. XII.

GROENL. *Amikok*, *Amikorſoak*.

DESCR. Long. 9 vnc., lat. 13½ lin. Corpus, ſiue pars inteſtina continens, eſt vagina cylindrica, laeuis, verſus caudam ſubulata, antice patens circa caput, quod ex parte intra illam retrahi poteſt, poſtice apice ſuo extra anum dependens; ſubſtantia eius craſſa, ſubcoriacea cute tenui molli obtecta; eſtque haec vagina corporis interioribus annexa, tam lingula lacera laterali vtrinque, quam membrana longitudinali dorſali nitida, quae ſine dubio os ſepiae auctorum, et pro ſpina dorſali habenda; nerui quoque minus notabiles ſparſi ad vaginam cum interioribus combinandam faciunt. Parti poſteriori vaginae ſuperne annexa eſt cauda eiusdem ſubſtantiae, latior anceps, poſtice acuminata, antice arcuata, marginibus laterum 8-crenatis plicatilibus; ſubtus eminentia longitudinalis membranam canaliculatam tegens, ad cuius baſin inter caudam vaginamque anus locum habet. Caput a vagina diſtinctum, collo breui cum interiore corpore cohaeret, breue, rotundatum, vtrinque oculo, intra rimam retractili, coeruleo inſtructum; antice prolongatur 10 cirris longis, inter quos os terminale medium rugo-

rugoſum, praeditum roſtro nigro, quod roſtro pſittaci non abſimile: conſtat enim mandibula adunca mobili longiori, et alia breui recta immobili. — Ex cirris dictis 8 ſimiles ſunt priſmatici, (dorſo ſcilicet, lateribusque acuminatis,) apice acuto et pagina inferiori verrucoſa, 2 ordinibus cotyledonum maiorum, et 2 aliis marginalibus minorum, quos numerare non potui; ſuntque cirri hi ſatis craſſi, molliuſculi, intus medulla praediti, et ita locati, vt 2 ſint ſuperi (qui breuiores), 2 laterales vtrinque (qui longiores), et 2 inferi (lateralibus aequales); cirri 2 reliqui praedictis multo longiores diſſimilesque, inter inferos lateralesque locati, molliores, ſine medulla ideoque flexiliores, anguſtiores verſus apicem parum incraſſati, non verrucoſi, niſi in parte incraſſata, vbi cotyledones plures minuti, et 2 multo maiores, (anticus maior quam poſticus,) oblongi compreſſo-curuati, aculeo longo curvo armati. Interiora corporis denudata oſtendunt 1) receptacula duo, anterius maius quaſi mero hepate fuſco impletum, poſterius minus fluorem coeruleſcentem continens, 2) ſub pectore appendiculam obtuſam cauam annexam cingulo albo, quod in dorſo lobum triangularem habet, et in abdomine 2 lingulas oblique receptaculum maius circumdantes, et 3) ſuper baſin harum totidem cruſtas albas breues concauas.

HABITAT in mari libere vagans.

Cirris ſuis caudaque natat tam retro quam antrorſum, et quidem cito progredi valens. Interdum verſus ſuperficiem aquae erecta cirris expanſis conſpicitur.

VESCITVR meduſis, oniſcis cancriformibus et cancris macrouris variis, quos ſine dubio cirris 2 longioribus, vtpote magis flexilibus armatisque, prehendit.

VSVS. Non facile a Groenlandis editur; ſed hepate eius pro oleo lora venatoria illinuntur.

Eſt autem cibus frequens phocarum, et praecipuus *Monodontis ſpurii.*

CAPITVR vel iaculis, vel baculo aquam extra illam mouendo, ſicque ad littora pellendo, dum in ſuperficie aquae natat.

351. SEPIA OCTOPODIA. †

Sepia corpore ecaudato, tentaculis pedunculatis nullis.

Sepia octopodia, Syſt. nat. I, 1095. Müll. prodr. 2853.
Suar, Ström, I, 204.
Polypus, Ionſt. exſang. tab. I, fig. 1.

GROENL. — — — —

HABITARE dicitur in ſinubus auſtralioribus.

352. BEROE INFVNDIBVLVM.

Beroe ouata, coſtis ciliatis nouem.

Beroe infundibulum, Müll. prodr. 2816.
Volvox Beroe, Syſt. nat. I, 1324.
Springbrunner Rotzfiſch, Adel. 412. tab. XVII. fig. 8.

GROENL. *Ikpiarſurſak*. Sic etiam ſequentes.

Talem ſaepe in mari groenlandico natantem vidi revera a ſequente diuerſam, illa maiorem, magis ouatam, minusque coloratam; dum autem ſemper procul a littore offendi, vbi deſcriptionem inſtituere prohibitus ſum, occaſionem meliorem contemplandi demum fruſtra exſpectaui. Hinc non omnino certus ſum, coſtas eius eſſe nouem. Martens etiam Adel. l. c. ſuae 8 tantum tribuit; forſitan igitur eius cum groenlandico a ſynonymis allatis diuerſa? Certe tamen alia ac ſequens; nec dubito, huius generis plures eſſe ſpecies.

353. BEROE

353. BEROE CVCVMIS. *

Beroe oblonga, coſtis 8 ciliatis, non cirrata.

DESCR. Corpus gelatinoſum, oblongum, verſus extremitates, quae ſimiles, parum anguſtatum, cucumerem referens, vtque ille differens magnitudine. — Color albus mixtura coerulea in aqua nitens, punctis crebris ſanguineis ſuperficiei interioris cauitatis etiam transparentibus. — Aperturae 2 terminales concurrentes in cauitatem mediam ampliorem oblongam. Extrinſecus ſulcata eſt ſulcis 8 longitudinalibus, qui ad latera ſua lamellis minutis ex viridi rubroque nitentibus ciliati totum corpus percurrunt in aperturas terminales conniuentes; ſulci hi tamen nullam eminentiam ſuperficiei cauſantur. Cirris omnino caret.

HABITAT in mari tam alto quam ſinuum, praeſertim vere autumnoque verſus ſuperficiem in conſpectum veniens.

Minus viuida, cilia coſtarum motitando tarde ingreditur. Tacta ſe contrahit in figuram fere pomi.

354. BEROE PILEVS.

Beroe globoſa, coſtis octo, cirrisque duobus ciliatis.

Beroe pileus, Müll. prodr. 2817.
Volvox bicaudatus, Syſt. nat. I, 1325.
Müzener Rotzfiſch, Adel. 412. tab. XVII. f. 9.

Hanc ſaepiſſime vidi tempore autumnali in ſinubus natantem, eleganter in aqua coloribus ſuis nitentem; nunquam tamen ob debilitatem eius ſufficienter contemplari contigit: igitur hic ſepono.

Obſ. Martens Adel. l. c. ſuae tantum 6 coſtas tribuit; figura eius etiam non globoſa, ſed potius hemiſphaerica, quod omne melius conuenit exemplaribus viſis: anne igitur a ceteris ſynonymis ſeparanda eſt?

355. BEROE OVVM. *

Beroe ouata coſtis ciliatis octo, cirrorumque duobus paribus, altero longiſſimo.

Manæte, Cr. 135.

DESCR. Eſt quidem praecedenti affinis, attamen diverſa. Variat magnitudine, plerumque ouum columbinum, rarius anatinum, aequans. Corpus gelatinoſum ouatum, compreſſiuſculum, ſulcis 8 longitudinalibus octogonum euadens. Sulcus ſingulus margines habet eminentes ſ. angulatos, ex rubicundo viridique nitentes, lamellis innumeris obſitos. Ex his ſulcis, ſ. coſtis, 2 vtrinque, latera ventricoſa occupantes, maiores ſunt in extremitatibus corporis cum oppoſitis ſuis coeuntes, ſic totam peripheriam ouatam deſcribentes; reliquae coſtae, ſc. 2 vtrinque in lateribus compreſſis, ſunt multo breuiores, nec extremitates corporis attingentes, nec coeuntes. Color ex albo coeruleſcit, in aqua pulchre coeruleus. In extremitate vtraque inter coſtas maiores apertura orbicularis, quarum altera pro ore habenda per totum corpus, vt tubulus, percurrit, intus tamen amplior, praeſertim verſus extremitatem oppoſitam, vbi ventriculum locum habere videtur connexum cum altera apertura ſiue ano. In cauitate media, ano tamen propius, radicati ſunt cirri 2 filiformes ſanguinei, quos de ore in longitudinem duplam corporis extendere, iterumque pro lubitu intra orificium retrahere poteſt; vltimum intendendo noduli varii in illis conſpiciuntur, quos tamen conuolutio tantum efficit. Intra illos cirros, et paulo anterius, 2 cirri minores rubicundi conſpiciuntur, quos extra corpus extendere non vidi, nec credo illam poſſe. — Hic vermis inter pulcherrimos ſane numerandus eſt, dum in aqua conſpicitur; certe autem etiam inter debiliſſimos: vix enim prehenſus in plurima fruſta diſrumpitur.

HABITAT cum praecedente.

VESCITVR

VESCITVR *oniſcis cicadis*, quos ſaepe in ventriculo eius inueni.

Eſt ſatis viuida eodem modo ac praecedentes, ſed citius ingrediens. Sub natatu anus anterior eſt verſus ſuperficiem maris oblique tendens; cirros ſuos ſic poſt ſe trahit vt todidem caudas. Interdum ſuperficiem maris celerrime aggreditur, quaſi aerem haurire volens; illa autem vix tacta ſe iterum deflectit profundum petens. In gyrum etiam ſe vertere poteſt. Cirros ſuos continuo motitat extendendo contrahendoque, rapinaeque occurrenti affixos cum illa in os retrahit; praeditos igitur eſſe materia glutinoſa neceſſe eſt: oniſcus enim illis adhaerens vix aufugere valet. Si dilaceratur et fruſta eius in aquam committuntur, haec adhuc viuunt lamellis reſiduis ſe moventia. Eſt cum meduſis aliisque gelatinoſis cibus *Cyclopteri lumpi* praecipuus.

356. MEDVSA AVRITA.

Meduſa orbicularis, ſubtus quatuor cauitatibus.

Meduſa aurita, Syſt. nat. I, 1097. Faun. Suec. 2109. Müll. prodr. 2820.
Gople, Ström, I, 172, 2. Bom. III, 112, 2.
Meduſa orbiculo, ſubtus 4 cavitatibus notato, It. Wgoth. 172. tab. III. fig. 2.
Manæt, It. Oel. 160.
Köbmands-Huer, Ol. 715. e.
Hafsdiur, Kalm Am. II, 109.

GROENL. *Nuertlek*. Sic etiam ſequentes.

DESCR. Diameter 2-4vnc. Subtus crux centralis eminens laeuis (nec falciformis, nec ciliata); crucem circumdant 4 cauitates orbiculares marginibus ciliatis flavis (non punctatis), verſus angulum crucis patentes: cilia marginalia corporis etiam flaua. Reliqua vt deſcripta Faun. Suec. et. It. Oel. ll. cc. HABITAT

HABITAT passim in mari.

VESCITVR piſciculis, ſpeciatim pullis ſcorpiorum, quos in ventriculo eius offendi.

Marginem ciliatum flectendo, et cauitatem ſuam, obliqueque antrorſum verſus ſuperficiem vertendo, progreditur. — Saepe illam et permultas alias meduſas manibus meis prehendi, neque ideo facultatem vrendi illis tributam obſeruare potui.

357. MEDVSA AEQVOREA.

Meduſa orbicularis planiuſcula, margine inflexo ciliato.

Meduſa aequorea, Syſt. nat. I, 1097. Müll. prodr. 2819.

DESCR. Eſt animal ſimpliciſſimum, praecedente paulo minus molliusque, ſupra conuexiuſculum, ſubtus concauum, marginibus valde inflexis, ita vt apertura cauitatis vix dimidium diametri corporis retineat. — Cilia marginis alba.

HABITAT cum praecedente, rarior.

358. MEDVSA CAPILLATA.

Meduſa orbicularis conuexa, margine ſedecies emarginato, ſubtus piloſa.

Meduſa capillata, Syſt. nat. I, 1097. Faun. Suec. 2108. Müll. prodr. 2821.
Röd-gople, Ström, I, 172, 1. Bom. III, 112, 1.
Manæte, Pont. II, 294.
Maniet, It. Wgoth. 172. tab. III, fig. 3. Kalm Am. I, 107.

GROENL. *Nuertlerſoak.*

DESCR. Haec omnium viſarum maxima, diametro ſaepe 8 vnc. habente. Orbicularis quidem eſt, ſed margo

8 locis

8 locis inciſus eſt, vnde lobi totidem; hi iterum per inciſuras minores in 2 ſubdiuiduntur, et ſic ſedecies emarginata dici poteſt: ſi autem recte attendatur, lobus ſingulus minor etiam inciſuram vilem habet, itaque reuera tricies-bis emarginata eſt. — Supra conuexa laeuis; — ſubtus in medio apertura orbicularis in cauitatem ampliorem ferens: cauitas haec tamen totam peripheriam non occupat, relinquens verſus marginem plene tertiam partem corporis ſolidam; obducta eſt autem cute tenuiſſima, cui annexae ſunt veſiculae innumerae materiam purpuream continentes (forſitan ouaria), totam aream hanc tegentes. Aperturam centralem cingit crux eminens, vnde emittuntur flabella 4 membranacea longa, extra marginem corporis prominentia, et congeriem cirrorum capillarium granulatorum ſuluorum ferentia. — Sub lobo ſingulo maiore marginis 2 radii acuminati eminentes, longitudinaliter ſulcati. — Reliquum inferum de inciſura maiore marginis in cauitatis initium geometrice ſulcis diviſum eſt in plures circulos concentricos, hique omnes radiis 16 in totidem areas ſulcis minoribus ſulcatas ſecantur, exque his areis alternae inciſuris maioribus marginis reſpondentes cauae ſunt. — Superficies interior purpurea transparet.

HABITAT frequens in mari, praeſertim in ſinubus menſe Septembri obuia.

Oniſcus meduſarum inter et circa cirros eius tantum obuius ſine dubio cibus eius.

Progreditur lobos marginis flectendo, dorſo antrorſum verſo, flabella cirrata vt caudam poſt ſe trahens.

359. MEDVSA BIMORPHA. *

Meduſa dorſo eminente, ſubtus cruce minuta foraminibus 5 cincta, margine ciliato.

Meduſa bimorpha, Müll. prodr. 2823.

DESCR.

DESCR. Eſt *Meduſa æquorea* paulo minor. Expanſa orbicularis eſt; margine vero inflexo quadrata. Diſcus dorſi paruus eminens emittit radios ſulcatos multos in circumferentiam, ex quibus 4 in angulos quadrati tendentes excellunt, ſuperficiem in 4 areas quaſi diuidens. Margo ciliatus ciliis albis. Subtus concaua eſt, vbi crux centralis elata alba, circa quam foramina 5 parua.

HABITAT cum Meduſa aequorea.

360. MEDVSA CAMPANVLA. *

Meduſa diſco gibbo, limbo ampliato ciliato, ſubtus cruce piloſa.

Affinis *Meduſae pileari*, Syſt. nat. I, 1097. foramina vero limbi non inueni.

DESCR. Praecedentis magnitudine. Conico-orbicularis campanam refert: diſcus enim gibbus conicus, et limbus dilatatus, cuius margo ciliis flauis raro ciliatus, et intus angulis albis radiatus. — Subtus caua eſt vſque ad initium diſci, vbi quadratum centrale de angulis ſuis radios emittens in formam crucis: haec omnia humiliora, niuea, marginibus crenatis. Crucem hanc veſtiunt cirri tenuiſſimi longi, in aliis albi, in aliis flaui.

HABITAT in ſinubus tempore autumnali haud infrequens.

Vt *Meduſa capillata* ingreditur. Cirris etiam huius *oniſcum cicadam* captum vidi.

361. MEDVSA DIGITALE. *

Meduſa hyalina ſubtus centro piſtillifero, margine ciliato.

Meduſa digitale, Müll. prodr. 2824.

DESCRIPT. Haec omnium minima digitale tam figura, quam magnitudine refert. Corpus hoc paruum coni-

conicum hyalinum vix in aqua obſeruaretur, ſi non motu eius margo coloratus in conſpectum veniret. Striae multae vix notabiles longitudinaliter in verticem concurrunt. Margo ciliatus eſt ciliis intus hamatis flauis cum albis mixtis. — In cauitate infera, quae profunda, piſtillum apice, vt videtur, penicillato dependet, in aliis album, in aliis penicillo flauo.

HABITAT in mari ad oras exteriores.

Eſt viuida ſatis; margine flexo in aqua ſalit.

362. ASTERIAS RVBENS.

Aſterias ſtellata laxa, radiis conuexis, ſuperne ſpinulis ſolitariis ſeriatis.

Aſterias rubens, Syſt. nat. I, 1099. Faun. Suec. 2111. Müll. prodr. 2830.
Sternfiſch, Cr. 131.
Korſtrold, Ström. I, 178. I. (et 2?) Bom. VII, 520. I.
Pigged Söeſtierne, ibid. 519.
Krosfiskur, Ol. 1005. a.
Korſtroll, It. wgoth. 172.
Stella marina, Ionſt. inſ. XXVI. fig. 5?

GROENL. *Nerpirkſoak*, *Nerpikſout*.

DESCR. Diameter maximus 9 vnc. longitudo radii ſinguli tunc 4 vnc. et latitudo baſeos 14 lin., diameter diſci 1 vnc. — Radii vulgo 5, rarius 6, lanceolati, ſupra conuexi aculeis innumeris ſimplicibus, non pungentibus, reliquo tamen durioribus, erectis vel decumbentibus, obſiti; ſubtus plani verſus margines aculeis longioribus, tenuioribus, confertis, medietatem vero 4 ordinibus papillarum exſertilium, apice incraſſatarum, perforatarum, intus globulo terminatarum, occupati. Os centrale ſubtus orbiculare, vnde 3 vel 4 veſiculas efflare ſolet; inde in ſingulum radium meatus eſt, radii enim

enim intus caui inteſtinulis griſeis impleti. In dorſo, verſus ſinum quendam radiorum, verruca teſtacea albida ſulcata conſpicitur, quae, vt videtur, perforata eſt, et forſitan ani functionem habet. Color ſupra ruber, violaceus vel brunneus, in 6-radiatis ſemper mihi obſcurior, apicibus aculeorum tamen albidis; ſubtus rubicundus vel flauicans. — Minores etiam dantur totae pallidae.

HABITAT in ſinubus praeſertim interioribus, et ad oſtia fluuiorum, vbi aqua marina cum dulci commixta, ſuper fundum argilloſum vel arenoſum.

Ingreditur motu fere orbiculari radiosque pro omni occurrente flectere valet. Papilli ſunt pedum loco, illisque ſe fundo affigit.

CONGREDITVR menſe Maio, oribus arcte connexis, altera ſupina. Hoc tempore etiam in maioribus prope orificium cauitates radiorum ouis albis impletas vidi.

363. ASTERIAS SPONGIOSA. *

Aſterias ſtellata, ſcabriuſcula, radiis ſemicylindricis obtuſis, margine mutico.

GROENL. *Nerpikſout.*

DESCR. Praecedenti affinis. Diameter 7 lin., radii $2\frac{1}{2}$ lin. longi, $1\frac{1}{2}$ lati; nec maiorem vidi. Radii 5 conici, teretes ſubtus planiuſculi marginibus inflexis. — Nullibi aculei nudo oculo conſpicui, ſuperficies vero inaequalis, fere vt in ſpongiis occurrit; lenticula autem aculei minutiſſimi conferti decumbentes totam ſuperficiem veſtire videntur. Papillarum ordines difficulter diſtinguuntur, nec tamen multi eſſe videntur, dum tractus illarum humilior admodum anguſtus. Verruca minutiſſima ſanguinea prope centrum dorſi; reliquum pallide rubicundum.

HABITAT in profundo maris inter vluas. Raro occurrit.

364. ASTE-

364. ASTERIAS PAPPOSA.

Asterias stellata muricata, serie marginali penicillata.

Asterias papposa, Syst. nat. I, 1098 Müll. prodr. 2832.
Söestierne, Pont. II, 291. c. fig.
Stella marina, Ionst. insect. tab. XXVI. fig. 16.
GROENL. *Nerpikfout.*

DESCR. Vnicam vidi 12-radiatam, cuius diametet 3 vnc. 9 lin., disco supero dimidiam partem fere efficiente. — Radii superne conspecti non centrum vsque pertingunt, orbitam autem mediam relinquunt, cuius medietas parum depressa, et extra illam adhuc dimidia sua parte cohaerent; inferne vero conspecti in centrum fere vsque concurrunt, interstitia humiliora habentes: hinc partim ad stellatas, partim ad radiatas pertinere videtur. Radii lanceolati, supra parum conuexi, subtus marginibus eminentibus medietatem canaliculatam includunt, in qua 2 series papillarum exsertilium ante apicem desinentes, ibique interuallum vacuum relinquentes: margines eminentes penicillati sunt aculeorum seriebus totidem, vt videtur, vtrinque ac papillae; in singula serie tranſuersim 8 aculei tenues non pungentes conspiciuntur, in duas cohortes diuisi, 4 in singula, altera extus, altera intus tendente; aculei tamen hi etiam in apice non papillato continuantur, et ad sinus radiorum alii maiores discum spectant horizontales, circiter 5 pro singulo sinu fasciculati. — Latera radiorum aculeis apice penicillatis simplici serie obsita sunt: singulus nempe aculeus, vt petiolum apice fert plures minores (circiter 20) fasciculatos. — Totum dorsum talibus fasciculis, sed minoribus, muricatum est. Hos mouere potest; et sub motu tendines interstitiales, fasciculos coniungentes, loca vero nuda poris innumeris perforata, obseruantur,

quae omnia in quiescente contracta euanescunt. — Verruca testacea conica alba superne ad marginem disci. Os subtus et cauitates radiorum vt in rubente. Praeter vesiculas totidem ac orae radiorum, centrum oris alias quasi intestina interdum ostendit. — Color supra subferrugineus disco albo maculato, radiis pallidioribus apice coccineis et interstitiis albidis; subtus albus papillis pallidioribus, disco tinctura rubicunda, et interstitiis radiorum coerulescentibus. Materia mollior praecedentibus.

HABITAT in fundo sinuum profundiorum.

Incedit vt *Asterias rubens* motu orbiculari iam dextrorsum, iam sinistrorsum. — Dorso incumbens radios flectit, vt papillas fundo affigere possit, sic facile se vertens. In exemplari viso radius vnus ceteris multo brevior, licet integer; quod indicat, post mutilationem renatum esse.

365. ASTERIAS MINVTA.

Asterias stellata margine pinnulis porrectis distantibus.

Asterias minuta, Syst. nat. I, 1099. Faun. Suec. 2112. Müll. prodr. 2835.

DESCR. Asterias groenlandica, quam huc referri debere puto, vix $2\frac{1}{2}$ lin. diametrum habebat. Tota albo-flauicans, supra infraque plana 6-radiata. Superne orbita minuta centralis, cuius peripheria, vt etiam radiorum margines eminentes, intermedio concauo. — Passim aculei breues crassi obtusi, tam in profundis, quam eminentibus locis. — Latera radiorum etiam aculeos tales longiores habent, sed multo distantes. Subtus radii in centrum vsque concurrunt, medietate canaliculati, marginibus aculeis tenuioribus pluribus serie simplici.

Ex-

Exemplar vnicum vidi, quod inter fucos herbarii mei inueni: — hinc de papillis et aliis in viuo obſeruandis nil memorare poſſum.

366. ASTERIAS OPHIVRA.

Aſterias radiata diſco ſquamoſo, ſquamula angulorum ſerrata.

Aſterias ophiura, Syſt. nat. I, 1100. Faun. Suec. 2114. Müll prodr. 2840. Act. Nidr. IV, 54. tab. II. fig. 15. 16.
Korſtrold, Ström, I, 179, 4 et 5.
Sternfiſch, Adel. 380. tab. XVII. fig. 1. 2.
Kroſſiſkr, Ol. 715, F. et 1005, c.
Söeſtierne med für been halede Straaler, Bom. VII, 520.
Stella marina, Ionſt. inſ tab. XXVI, f. 7.
An *Aſterias ciliaris*, Syſt nat. I, 1101. ab hac ſatis diſtincta? Synonyma ſaltem Linkeri, quae ſub illa, ſub hac etiam citata ſunt.

GROENL. *Nerpikſourſak.*

DESCR. Haec inter minores numeranda: diſcus enim plerumque obolo non maior, radii vero quadruplo longiores. Corpus orbiculare conuexiuſculum, glabrum ſupra ſquamulis rotundis imbricatis arcte tectum, ſubtus laeuius ob inciſuras radiorum in 5 areas diuiſum, in medio apertura ſtellaris. De pagina infera, fere a centro ipſo, emittuntur laciniae, longae, graciles, flexuoſae, quadrangulares, acuminatae ſupra infraque ſquamulis ſubquadratis ſerie ſolitaria. In pagina ſupera maioribus minores plures interiectae ſunt, in iunioribus non facile obſeruandae, arcte imbricatae extrorſum, lateribus etiam ſquamulas habent, ſed patentes et margine ſuo rotundato aculeis 6 latitudini dimidiae radiorum aequalibus ſerratas. — Radii hi nullibi ſe inuicem attingunt, nec

caui sunt, poris longitudinalibus exceptis, sed admodum fragiles. — In apertura fluor niger conspicitur; et disco desquamato interiora in 10 spatia diuisa esse obseruantur: radii enim 5 hic in centro coeunt, et totidem interstitia dantur materia flaua impleta. Color variat in dorso griseus, ruber vel violaceus, aculeis 4 superioribus concoloribus cum apicibus albis, striae etiam transversae albae in radiis quorundam; partis reliquae, sc. inferioris, albus. Dantur quaedam minutae totae candidae. Non rarum est, hanc vno vel altero radio, vel toto, vel ex parte, mutilatam, denuoque redintegratam videre.

HABITAT in fundo sinuum inter lapides et radices fucorum, frequens.

Melius ac praecedentes brachia sua flectere valens, citius illis incedit. Se etiam de fundo eleuare potest.

367. ASTERIAS CAPVT MEDVSAE.

Asterias radiata, radiis duplicatis dichotomis.

Asterias caput Medusæ, Syst. nat. I, 1101. Faun. Suec. 2115. Müll. prodr. 2844.
Söe-Soel, Pont. II, 292 c. fig. Ström, I, 179. 6.
Sternfisch, Adel. 381. tab. XVII. fig. 4.
Stella marina, Ionst. insect. tab. XXVI. fig. 11.

GROENL. — — — —

Hanc in museo plurimum reuerendi Dn. Egede, de colonia *Jacobshavn* (ni fallor,) missam, vidi: vnde concludo, in sinu *Disco* dari; non autem viuam ipse offendi.

368. ECHINVS SAXATILIS.

Echinus hemisphaerico-depressus, vel orbicularis, spinis diuersicoloribus.

Echinus

Echinus ſaxatilis, Syſt. nat. I, 1102. Müll. prodr. 2847.

See-ygel, Cr. 131.

Igulker, Ol. 612?

GROENL. *Ekkurſak.*

DESCR. Diameter vulgo 3 vnc. — *Teſta* ſupra hemiſphaerico-depreſſa, infra planiuſcula verſus centrum inflexa, fragilis, tenera, cruſtaceo-calcarea vniloculari, vbique aculeis mobilibus, cauis, maioribus minoribusque inter ſe mixtis, rubicundo-viridibus apice albidis, tecta. Aperturae 2: altera infera amplior cute molli nuda obducta, et dentibus centralibus inſtructa; altera ſupera, minor, aculeis clauſilis, quae anus. Aculeis detritis teſta pulchre notata conſpicitur: ambulacra enim 10 poroſa verticalia illam quaſi compoſitam reddunt, et in 10 areas, alternas latiores, diuidunt. Pori ambulacrorum extra conſpecti per lineas plures duplicatas obliquas, quae in vicino ambulacro ſemper oppoſitam tendentiam habent, partiti ſunt; intus vero conſpecti per lineas duas ſerpentiformes procurrunt. Areae tuberculatae ſunt tuberculis innumeris maioribus minoribusque certis ordinibus diſpoſitis. Sic in area latiore ſingula 3 ordines maiorum vtrinque cum minoribus mediis marginalibusque intercurrentibusque, et ſi recte attendatur, tam maiora quam minora aliis minutiſſimis angulatim cincta ſunt; in area vero anguſtiore 2 tantum ordines maiorum, ceteris vt in latiore ſe habentibus. Ambulacra ipſa ſua tubercula minora habent; ſuntque tubercula haec omnia baſes aculeorum, ſupra quas hi ſe movent. Circa anum ſtella paulo eminentior 15-radiata conſpicitur, radiis 5 illis, qui areas latiores ſpectant, maioribus foramine pertuſis. Color teſtae denudatae ſupra ſubrubicundus, infra albus. Dentes 5 longi, curui, acuti, ſolidi, albi, artificioſe coniuncti, extus ſe, vt tuberculum acuminatum curuum prominens quinqueualue, oſtendunt, baſi vero intus in rota coniuncti ſunt per ner-

vos ſingulum dentem transcurrentes et oſſi fiſſo transuerſe flexo annexos, et adhuc alia oſſa 5 transuerſa. Dens ſingulus anaſtomoſin habet brachia 2 emittentem, quae dentem verum amplectuntur, ſicque omnia arcte annexa ſunt. Interne circa aperturam de ambulacris ſurſum proſtant oſſa totidem, paribus conniuentibus. *Vermis* ſtellatus quinqueradiatus centro perforato granulatus, ruber, tenacior, medietatem ſuperam occupat, fibris tenuibus annexus corpori molliori glutinoſo, griſeo, ſuperficiem internam teſtae vbique occupanti et neruis in aculeos vsque permeantibus illi arcte iuncto Faux nigra de ore per foramen medium vermis tranſit continuata, inteſtinis permultis glomeratis ſuperioribus concoloribus, in anum vsque.

HABITAT ad littora maris tempore vernali praeſertim obuius.

EDIT piſces, quibus ſe affigit dentibus ſuis, breuique illas conſumit. Duriora etiam nec conſumit, e. gr. laminas corneas balaenarum in piſcatura viſitatas, quod ſuo damno ſciunt piſcatores.

Ingreditur dentibus aculeisque ſuis vtendo, motu rotatorio ſenſim ſe lente protrudens.

VSVS. Editur cocta pars ſtellata tantum.

369. SABELLA LVMBRICALIS.*

Sabella teſta rudi, repente, fragili, vtraque extremitate peruia, ore non tentaculato, corpore articulato aculeato.

Vermem hunc, ſine dubio ignotum hactenus, inter *ſabellas* numeraui, dum aptius genus non inueni, nec nouum fingere volui.

DESCR. Long. 6 vnc ; lat. vix 1 lin. *Vermis* elongatus, articulatus, mollis, teretiuſculus ſubtus planior ſulco

eo longitudinali. Extremitas altera orbicularis membranacea concaua centro pertuſo, margine ſerrato, baſi anguſtiore; altera obtuſa, nutans in orificium infertus prominulum labiis 2 conſtans, ſuperiore longiore acutiore: — difficulter determinatur, quaenam os, quaenamque anus. Praeter hos 2 articulos terminales non aculeatos, 21 alios aculeatos habet catenatim coniunctos et ſulcis transuerſis diſtinctos: quorum extremitati nutanti propiores 6 breues, teretes, aequales; 4 oppoſiti contigui multo minores; intermedii reliqui verſus medium corporis ſenſim longiores, ſinguli parte extremitatem orbicularem ſpectante anguſtata, oppoſita vero incraſſata. Aculei exſerti nitidi 2 in ſingulo articulo dorſales oblique ſurſum tendentes, qui in articulis teretibus medietatem illorum, qui vero in elongatis partem incraſſatam occupant, omnes medium corporis ſpectant, ideoque de vtraque extremitate oppoſitam tendentiam habent, talique modo vermis tam antrorſum quam retrorſum progredi valet. Color rufus cingulis albis, ſubtus pallidior. *Teſta* ſpuria repens, rudis, griſea, fragilis, confecta ex arenulis membranae conuexiuſculae agglutinatis, quae intus lubrica nitida, ſed tantum dimidiata: paginam enim inferiorem efficit corpus peregrinum, cui adhaeret; vtraque extremitate perforata eſt.

HABITAT in profundo, lapidum tam inferiori quam ſuperiori paginae adhaerens et praecipue fiſſuras occupans.

Eſt ſociabilis, pluribus tubulis non raro inter ſe varie aggregatis, ita vt lapides cumulis arenaceis tecti ſint, nec facile animalcula ſub illis ſuſpicanda. Tubulo ſuo nunquam exire vidi; nec extra illum ingredi valet. Intra illum interdum ex parte duplicatus iacet, tubulo tali loco craſſiore. Minime viuidus.

370. SERPVLA SEMILVNIVM.

Serpula testa regulari ouali libera glabra.

Serpula Seminulum, Syst. nat. I, 1264.
Tubulus semilunium, Mart. Conch. I, 25. 61. tab. III, fig. 22.

Individuum vnicum, vt granulum minutissimum, vix $\frac{1}{6}$ lin. longum, ouatum album, splendidissimum candore porcellanae, orificio oculo non armato vix visibili, inter ramulos *Isidis Hippuris* offendi.

371. SERPVLA SPIRILLVM.

Serpula testa regulari spirali orbiculata, pellucida, anfractibus teretibus sensim minoribus laevibus.

Serpula spirillum, Syst. nat. I, 1264. Faun. Suec. 2203. Müll. prodr. 2854.
Tubulus minimus laeuis, regulariter intortus albus, Mart. Conch. I, 25. 59. tab. III. fig. 21. A. B. C.
Kleine Schnekken wie Ammonshörner, Cr. 133.

GROENL. *Katungiak*. Et sic sequentes.

DESCRIPT. Diametrum $\frac{1}{3}$ - $1\frac{1}{3}$ lin. maiorem non vidi. *Testa* alba pellucida, nitida; anfractus teretes, laeves, (oculo armato subtiliter transuersim rugosi, rugis tamen ob nitorem fere oculum fugientibus,) versus centrum sensim minores, tres in planum horizontale orbiculare (raro ouale) dispositi interioribus vix humilioribus; maiori vero extremitate sua plerumque se erigente, superimpositionem quasi tentans. Occurrunt etiam (licet raro), in quibus talis appositio perfecta est anfractu vnico maiori infero imposito, eiusdemque diametri. In talibus discus concauus conspicitur ob anfractus interiores tunc profundiores. Apertura rotunda, margine vix

vix reliquo teſtae craſſiore, in perfectis vero latere interiore fiſſuram vix notabilem habente. Canaliculum ad latus inferius, de quo memorat perilluſtris a Linné, nunquam detegere potui.

HABITAT in ſertulariis, Fluſtris, Fiſtulanis, tubiporis, cancris marinis, fucis minoribus, rarius in lapidibus vel teſtaceis. His corporibus pagina ſua inferiori, vel totius orbiculi vel partis mediae (pro latitudine corporis peregrini), arcte adhaeret, ſolitaria, rarius aggregata.

Obſ. Cel. Martini quidem ſuum Tubulum pro ſerpula ſpiriorbi agnoſcit; figurae tamen eius ſpirillo magis conueniunt. Ex deſcriptione data etiam patere videtur, illum aliud in mente habuiſſe: licet enim ſpiriorbem citet, verba tamen Linnaei de ſpirillo vt ſuo conuenientia affert. Nota porro laeuitatis huic potius quam ſpiriorbi conuenit.

372. SERPVLA SPIRIORBIS.

Serpula teſta regulari ſpirali orbiculata opaca, anfractibus teretibus, ſenſim minoribus, ſubrugoſis.

Serpula Spiriorbis, Syſt. nat. I, 1265. Faun. Suec. 2104. Müll. prodr. 2855. Ol. 1018.

Dentalium teſta ſpirali plana adhaerente, It. Wgoth. 170.

Tubulus paruus albidus plicatus, Mart. Conch. I, 24. 57. tab. III. fig. 20. (minima C et D interiecta.)

Ruur, Ström, I, 195, 1.

DESCRIPT. Praecedenti admodum ſimilis; ſed teſta, quae interdum paulo maior occurrit, rudior, opaca, calcarea, vix nitens, rugas transuerſas, quae tamen ſubtiles, magis notabiles habet, anfractus interiores ſen-

ſim humiliores, hinc diſcus concauus; ſutura anfractuum profundius ſulcata *). — Apertura orbicularis integra. Saepius quam praecedens cum extremitate non erecta occurrit.

HABITAT in algis et teſtaceis variis, rarius in cellulanis et lapidibus marinis more praecedentis, vbi illa copioſior, haec rarior et vice verſa.

373. SERPVLA PORRECTA.

Serpula teſta tereti e baſi ſpirali flexuoſe aſcendente, laeui, nitente.

Serpula porrecta, Müll. prodr. 2860.
Serpula teſta flexuoſa tereti, Ol. 1018. I. 4.
Serpula lumbricalis, Syſt. nat. I, 1266. et *Tubulus in circulum flexus ſupra elongatus*, Mart. Conch. I, 24. 57. tab. II, fig. 15. conf. Ionſt. exſang. tab. XVII. fig. 3. forſitan huius varietates maiores?

DESCR. Haec quoad colorem, nitorem, ſubſtantiam et aperturam teſtae *ſerpulae ſpirilli* tam ſimilis, vt facile pro varietate eius adultiore habenda ſit. Plerumque tamen magis pellucida et candida, nec credo, oculo etiam armato veſtigia rugarum obſeruari poſſe. Poſt duos, vnum aut vix vnum, anfractus (in hoc enim nimis variat,) baſeos orbiculares ſeſe erigit flexuoſe, licet ſpiraliter; ſpiris remotis nunquam ſe inuicem tangentibus, 2, 3 vel 4 in longitudinem 3 vel 4 linearum, diametro tubuli vix $\frac{1}{3}$ lin. ſuperante. Interdum teſtae duae baſi ſpirali coalitae, in oppoſitam plagam recta tendentes, ſolitarium

*) Hoc forſitan intenditur per verba *introrſum ſubcanaliculatis*, Syſt. nat. l. c. Canaliculus enim a latere centrum reſpiciente alius ſi adeſt, vix atque vix conſpiciendus, et revera obſoletus dici debet.

litarium tubulum vtraque extremitate peruium mentiuntur. *Vermiculus* teſtam hanc inhabitans, breuis, ita vt vix tertiam partem teſtae occupet, teretiuſculus, abdomine planiore, poſtice attenuatus, antice ſcyphum orbicularem membranaceum petiolatum porrigit, cinctum cirris 6 mollibus, breuibus, conicis, albis; pone hos faſcia plicata alba, vtrinque armata aculeis 2 ſurſum tendentibus aureis. Color dorſi ſanguineus, laterum abdominisque pallidior, qui per teſtam transparet.

Vermiculi teſtas antea memoratas inhabitantes ab hoc non multum differunt.

HABITAT cum ſerpula ſpirillo; praecipue tamen in *Fiſtulana ramoſa* et *muſcoide*, *ſertularia reptante* et *Fluſtra foliacea* mihi obuenit.

Extra tubulum ſuum non niſi antica porrigit, primo ſcypho, deinde cirris faſciaque in conſpectum venientibus. Cirros ſuos in orbiculum ſpargens prolongare et abbreuiare valet. Motu minimo aquae obſeruato cito ſe retrahit intra tubulum, ſaepeque in baſin vsque, colore ſanguineo transparente hoc indicante.

374. SERPVLA TRIQVETRA.

Serpula teſta repente flexuoſa triquetra.

Serpula triquetra, Syſt. nat. I, 1265. Faun. Suec. 2206. Müll. prodr. 2856. Ol. 1018.

Ruur, Ström, I, 196, 2.

Dentalium teſta adhaerente flexuoſa triquetra, It. Wgoth. 170.

Tubulus teſta triquetra flexuoſa repente, Mart. Conch. I, 25. 68. tab. III, fig. 25.

Varietas dentata, Act. Nidr. IV, 52. tab. II, fig. 14.

Dentalium teſta flexuoſa triquetra, antice acuminata, Act. Hafn. X, 17. tab. VI. fig. 1-5.

DESCRI-

DESCRIPTIONEM huius exactam habemus vltimo citato loco, licet reuerendus auctor illam minus accurate inter dentalia referat et pro *Dentalio Entali* venditet.

Maiores carinam dorsi ferratam habentes, vt in Act. Nidr. l. c. indicatur, etiam saepissime vidi.

Indiuiduum vnicum tereti-compressum, carina dorsali serrisque maioribus distantibus praeditum, nec repens, sed glomeratum *Fistulanae muscoidi* adhaerens offendi.

HABITAT super lapides marinos, algas, testacea et cellulana, solitaria vel aggregata, pluribus se inuicem superingredientibus.

375. SERPVLA GRANVLATA.

Serpula testa tereti spirali glomerata, latere superiore sulcis tribus eleuatis, glabra.

Serpula granulata, Syst. nat. I, 1266. Müll. prodr. 2857.

DESCR. Diameter 1-2 lin. *Testa* crassa, glabra, pellucida, teres, iam regulariter spiralis 1 vel 2 anfractibus, saepius irregulariter glomerata et aliis adnata in massam contortuplicatam. Sulci longitudinales 2 profundi eminentias 3 efficiunt, in orificio 3 dentibus prominentibus declinatis terminatas (in aliis sulcus solitarius et eminentiae duae tantum). Apertura ceterum orbicularis et plerumque deorsum tendens. Color albus, cinereus, coeruleus, vel viridis; minutarum rufus. *Hospes* huius illi in *Serpula porrecta* similis, sed crassior, croceus scypho albo cum petiolo breuissimo, fascia 6-plicata; et praeter 2 aculeos vtrinque adhuc 2 alii sub collo in conspectum venerunt; cauda grisea.

HABITAT frequens super lapides marinos, Balanos, Mytilos et alia testacea, quibus arctissime adhaeret.

376. SER-

376. SERPVLA CONTORTVPLICATA.

Serpula testa opaca, semitereti, rugosa, glomerata, carinata.

Serpula contortuplicata, Syst. nat. I, 1266. Faun. Suec. 2205.
Tubuli viscera auium, Mart. conch. I, 25. 64. tab. III, fig. 23. *)?
Tubuli alii parui, Ionst. exsang. tab. XVII.?

/ DESCR. Diam. 1 - 1½ lin. — *Testa* alba, rudis, opaca, irregulariter spiralis, glomerata, et rugosa transversim. Praeterea versus interiora carinam longitudinalem habet, cui (non in omnibus) alia versus exteriora adiuncta est, sicque tubulus superne angulatus euadit. Apertura ampla orbicularis integra.

HABITAT eisdem in locis ac *serpula granulata*, cum qua et sequenti saepe mire contortuplicata est.

377. SERPVLA GLOMERATA.

Serpula testa opaca tereti decussato - rugosa, glomerata.

Serpula glomerata, Syst. nat. I, 1266. Faun. Suec. 2207. Müll. prodr. 2858.
Piipuskel, Ol. 1017. H. 1.
Tubuli intestina piscium, Mart. Conch. I, 25. 66. tab. III, fig. 24. A.?
Vermes in tubulis, Ionst. exsang. tab. XVII.?

DESCR.

*) Loco citato quidem ad *serpulam glomeratam* Linnaei refertur, et Tubuli intestina piscium p. 66. tab. III. fig. 27. A. e contrario ad *serpulam contortuplicatam*, sed figura 24 vel descriptione eius nullum carinam indicante, quod potius fig. 23. et descriptio eius annuit, me iudice melius transmutantur, nec tamen alterutra meam accurate exprimit.

DESCR. Praecedenti affinis, ſed maior, et omnino teres ſine carina notabili, aeque rudis, rugoſa, opaca, apertura orbiculari; longitudinaliter linea in aliis nodoſa vix eminente, in aliis vix ſuperficie humiliore, dorſali rugae quaſi transſecantur. Extremitas ſupera erecta; baſis vero, qua corpori alii adhaeret, planata, ſi fracta horizontaliter diſcedat, rudimenta ſpirarum 2 vel 3 oſtendit, quae externe non conſpiciuntur: licet enim anfractus habeat, hi tam inter ſe glomerati ſunt, vt fere euaneſcant et conuexitas tantum gibboſa remaneat, vnde extremitas orificii ſe erigit. Color albus. Indiuiduum vnicum flauum vidi.

HABITAT cum praecedente; frequentior.

378. SERPVLA VITREA.*

Serpula teſta tereti regulari, ſpirali, orbiculata, pellucida, ſplendente, rugoſa, apertura incraſſata.

Tubulus rugoſus minimus, regulariter intortus, albus, Mart. Conch. I, 24 57. tab. III. fig. 20. C. D.?

DESCR. Diam. $\frac{1}{3}$ - 1 lin. — *Teſta* craſſa (cauitate interna anguſta) orbiculata, ſpiralis, conuexiuſcula, baſi explanata, cryſtallina, glaberrima, quaſi oleo illita, transverſim rugoſa, longitudinaliter vna vel altera ſtria humiliore vix notabili intercepta. Superne anfractus ſolitarius inferiori incumbit; vmbilicus vero profundior 2 vel 3 minutiſſimos obſoletos adhuc oſtendit, qui in latere baſeos obuerſo, ſi teſta frangatur, vix deteguntur. Aperturae margo incraſſatus in plerisque, et quidem maioribus, non perfecte orbicularis ringit.

Variat α) colore rubicundo; β) laeuior, rugis fere deletis; γ) ſubglomerata, anfractu ſummo erecto et vmbilicum obducente.

HABITAT in ſertulariis, teſtaceis, fucis, et lapidibus marinis. Prae-

Praecedenti tam affinis, vt ſplendore non obſtante facile pro varietate habeatur; ſemper tamen ſolitariam offendi.

379. SERPVLA CANCELLATA.*

Serpula teſta ſpirali glomerata, triſulcata, ſulco inferiore coſtis transuerſis interrupto.

Serpula anguina, Syſt. nat. I, 1267. varietas angulata?

Tubulus teſtaceus anguinus fiſſus, plerumque angulatus, Mart. Conch. I, 24, 50. Tab. II, fig. 14.? Ionſt. Exſangu. tab. XVII. fig. 2.?

DESCR. Haec *ſerpulae granulatae* omnino ſimilis, ſed maior. Differt tamen, quod praeter ſulcos 2 longitudinales dorſales alium latiorem lateralem verſus baſin habeat, ſpiram totam percurrentem et cancellatum, ſ. coſtis transuerſis crebris interruptum. Apertura bidentata, terminis carinarum dorſalium acutis. Color albus, cineraſcens vel vireſcens.

Sulco dicto teſtam non findente, nec teſta repente vel dentata, de ſynonymis haereo.

HABITAT cum *ſerpula granulata*, frequens ſatis.

380. SERPVLA STELLARIS.*

Serpula teſta ſuborbiculari vmbilicato-conuexa, rugis radiata.

DESCR. Vix magnitudinem capituli acus minoris attingit. Spira ſolitaria conuexa, fere orbicularis, centro pertuſo, vnde in peripheriam radii plures ſuperficie profundiores diſtantes percurrunt, nudo oculo etiam conſpicui. Baſis plana. Apertura minutiſſima in extremitate ſpirae vix notanda. Color brunneus, violaceus, vel flavicans nitidus, radiis albis, pulcherrime. Madreporam ſimpli-

ſimplicem primo conſpectu refert; ſpirae vero termino extra anfractum prominente horizontaliter more *Serpulae Spirilli* et *Spiriorbis*, inter Serpulas ſe locum mereri indicat.

HABITAT in cochleis et lapidibus marinis rarior, in ſertulariis frequentior, et quidem in *ſertularia reptante* et *ciliata* frequentiſſima, cuius vltimi ramulis arcte adhaerens nodulos continuos efficit, illi quaſi eſſentiales.

381. PATELLA FISSVRELLA.

Patella teſta ſulcata, vertice recuruo, antice perforato.

Patella fiſſurella, Müll. prodr. 2865. Zool. Dan. tab. XXIV. fig. 4-6.

Haec eſt *patella* Müll. prodr. 2863. ſecundum literas meas ab auctore memorata, nec tamen, quod iam video, diuerſa ab eius *Fiſſurella* tunc temporis ignota.

GROENL. *Ajuaurſak*. Et ſic ſequentes patellae.

DESCR. Maxima, quam vidi, erat $3\frac{1}{2}$ lin. longa, $2\frac{1}{2}$ lin. lata, et $2\frac{1}{4}$ lin. alta. *Teſta* tota alba, hoſpite tamen foeta ſordidior ſubcineraſcens, intus glaberrima, oblongo-ouata, antice vix anguſtior, lateribus compreſſiuſculis, gibba, vertice retrorſum curuato, acutiuſculo, extremitati poſticae propiori. Ante verticem fiſſura linearis deorſum amplior, intus in canalem fornicatam conuexam prolongatur. Sulci plures (22-26) verticales cum minoribus interiectis ex ſtriis ſubtiliſſimis transuerſim ſecantur; ſulci hi etiam interne verſus marginem conſpicui: margo inde crenatus. *Vermis* flauicans, anticis ſuis teſtae parti fiſſae ſubditus eſt; ceterum ſimilis proxime ſequenti deſcribendo.

Fiſſuram verticis ſuſpicor eſſe exitum tubuli ſupra caput exſertilis, licet nunquam inde porrectum vidiſſe fatear:

tear: vermis enim hic minus viuax extra mare ſtatim mihi mortuus eſt, licet in aqua marina detentus, ſicque vlteriorem obſeruationem non permiſit.

HABITAT in fundo maris a littore remotiore ſuper lapides.

382. PATELLA TESTVDINALIS.

Patella teſta integerrima ouata ſtriata.

Patella teſtudinalis, Müll. prodr. 2872.
Top-auſteru, Boks-augen, Cr. 132.
Olnbogaſkiæl, Ol. 1017, g, 2. tab. XI. fig. 11.
(quae eſt indicata Müll. prodr. 2875.)

DESCR. Maxima viſa 14 lin. longa, 11 lin. lata, et 7 lin. alta erat. *Teſta* oualis antice anguſtior, conuexo-gibboſa baſi ampliata, ſtrias confertas verticales ſubtiles futuris longitudinalibus ſubtilioribus transfectas habet, quae in minoribus magis, in adultioribus vero ob ruditatem minus conſpicuae. — Vertex obtuſus mucronem obſoletum habet verſus antica tendentem. Externe rudior, praeſertim in maioribus, variat colore α) maiorum virescente, β) minorum ſubuiolaceo, γ) minimorum albo, in omnibus teſſeris vel vndulis brunneis (magis minusue obſcuris) verticaliter currentibus variegato. Interne laeuis glaberrima alba, ſub cacumine, quousque vermis occupat, teſtudinaria. Dantur, quae intus totae teſtudinariae. *Vermis* ſitum obuerſum habet reſpectu praecedentis: capite enim ſuo ſub parte teſtae mucronato iacet; teſtae affixus eſt pallio totam ſuperficiem interiorem veſtiente et vermem circumdante, diſco ſuo ſaturate viridi praecipue cacumini teſtae adhaerente, limbo magis laxo albido retractili, rugoſo, margine crenulato. Caput magnum ſatis rotundatum, conuexum. Os ſubtus orbiculare, rugoſum, intus dentatum. Tentacula 2 ſupera longa, ſubulata, verſus latera capitis vt cornu arietis curuata. Supra in collo apertura parua, vnde emittere poteſt probo-

ſcidem ſ. tubulum compreſſum longum albidum dextrum extra corpus prominentem: forſitan membrum ani vel genitale? Corpus ouale antice anguſtius, ſubtus planatum margine crenato. Iam dicta omnia alba. Dorſum gibboſum mollius inteſtina ſub cute tenuiſſimo ſeruat. Ventriculus, fluore granulato nigro impletus, inteſtino anguſto griſeo-annulato cum ore combinatus eſt.

HABITAT ad littora maris vulgatiſſima inter fucos.

Pallio ſuo in marginem teſtae dilatato ſe corpori peregrino tam arcte affigit, vt ſine vi diuelli nequeat. Incedere autem volens pallium retrahit et pedem corporis dimittit, vt limax progrediens.

Teſta haec non raro cruſta calcarea fere tota obducta eſt, quae tamen peregrina infra ſub *madrepora paraſitica* memoranda eſt.

383. PATELLA RVBELLA. *

Patella teſta integerrima ſubconica laeuiuſcula rubicunda.

DESCR. Minuta eſt, longitudinem $2\frac{1}{2}$ lin., lat. 2 lin., alt. $1\frac{1}{2}$ lin., vix ſuperans. *Teſta* fere conica, licet minuta, rudis tamen, interne glabra, externe laeuiuſcula, ſtrias tamen longitudinales confertas ſubtiliſſimas habet, quarum vna vel altera excellit. Vertex acuminatus, ſubcentralis antica ſpectans. Apertura oblongo-orbicularis antice vix anguſtior, margine integerrimo. Color totus rubicundus, cacumine interiore obſcuriore. Maiores quaedam ſubuireſcunt. *Hoſpes* rubicundus non multum a praecedente differt, ſitumque eius habet.

HABITAT in profundioribus locis maris inter radices vluarum et fiſſuras teſtaceorum, minus frequens.

384. ARGONAVTA ARCTICA. *

Argonauta perforata, carina integra.

Argonauta

Argonauta argo, Müll. prodr. 2877.?
Clio helicina, Pall. X, 38.
Schnecken-Rotzfiſch, Adel. 410. tab. XVII. fig. 12.
Hvalfisk-Aas, And. 185 **.
Walfiskfras, Ell. 266.

GROENL. *Tullukaurſak.*

DESCR. Diameter maximae viſae $3\frac{1}{2}$ lin. *Teſta* cochleata regulariter ſpiralis, planorbis, vnilocularis *), papyracea, fragiliſſima. Anfractus 7 (centrali minutiſſimo ſimul ſumto,) in ſe inuicem conuoluti, ſupra planiuſculi, ita vt teſta ſupina horizontaliter quieſcere queat; ſubtus anfractus $1\frac{1}{2}$ tantum conſpicitur, exteriore tereti, verſus aperturam deorſum paulo prominente, ſicque teſta prona oblique ruit. Vmbilicus perforatus ſpiram totam vt tubulus tranſit in verticem clauſum vsque: igitur teſta lumini obuerſa tranſpicua. Apertura magna, oblonga ſupra infraque dilatata, lateribus coarctatis. Sutura anfractuum minus profunda. Epidermis nulla, teſta autem nuda glabra ſulcis verticalibus ſubtilibus contiguis, quorum interſtitia acuminata, minime vero dentata. Carina integra, ſ. margo exterior anfractus maximi conuexus, et minime carinatus. Teſta diſſecta 2 tantum anfractus veri obſeruantur, reliquis impreſſionibus tantum teſtae verticis de hoſpitis cauda ſpirali factis. Color albus apice verticis niueo. *Hoſpes* Clioni non abſimilis, mollis, teretiuſculus, retro ſenſim attenuatus in apicem ſpirali conuolutum nec euolubilem, antice ampliatus, hians, vbi inſtructus alis 2 longis membranaceis longitudinaliter ſtriatis, complanatis, antice angulum medium incurrentem, poſtice excurrentem, formantibus, margine antico terminalique ſingulae rotundato, poſtico arcuato. In interſtitio

*) Hinc inter Nautilos, teſtam polythalamiam habentes, non numerari poteſt, licet figura eius hoc ſuadeat.

alarum concauo labia 2 nigra mollia parum prominent, poſtice rotundata patentia, antice concurrentia in acumen extra alas, ibique os minutum album labiis clauſile. Pone alas inuolucrum album plicatum corporis craſſiora circumdat, ſine dubio pulmonis vſum praebens, animalculo enim viuo has plicas mouente intra teſtam bullae aereae obſeruantur. Verſus vmbilicum teſtae, ſ. ſubtus ad angulum alarum excurrentem, cirrus mollis ſubulatus albus porrigitur admodum ſenſibilis, qui et vice tentaculi, et claui ſub remigando, fungi videtur. Pone illum tubulus longior apice ampliori orbiculari, quem pro meatu excrementorum habeo. — Reliquum corporis filamenta ſubtilia nigra conferta longitudinaliter dorſo gerit in apicem ſpiralem vsque, quae inde oblique tranſcendunt magis coarctata in involucrum, et demum in tubum ani, veroſimiliter itaque inteſtina eius ſimul neruorum locum ſupplentia; abdomine vero ſolidius, flauicans, granulatum, compreſſum. Partibus candidioribus ſic fere tectis, et nigris magis conſpicuis, hoſpes intra teſtam niger transparet; ſolutus intra teſtam ſuam habitat, nullo neruo conſpicuo illi adnatus. Odor eius inſuauis.

HABITAT ad ſuperficiem maris copioſe, vere et autumno frequenter obuia.

Teſtam ſuam pro nauigio habet, alasque ſuas erectas continuo complicando optime remigat. Sub hoc actu extremitas teſtae aperta prorae, et oppoſita puppis locum obtinet, margine anfractus exterioris vt carina inſeruiente; quod ſaepius mirans delectansque adſpexi. Retrogredi tamen etiam valet. — Membrum autem ſuper ſuperficiem aquae vt velum extendere nunquam obſeruare contigit. Feſſa vel tacta remos ſuos contrahit, et intra teſtam ſe recipiens mergit in fundum, vbi breui quieſcit vel carina, vel prora, vel vertice, nunquam vero vmbilico; iterum ſe eleuat oblique ſurſum remigando, deinde ſuperficiem recta ſequens. — Extra teſtam, licet inte-

integra et in aqua, ſtatim moritur. — Plures ſimul in poculo aqua pleno aſſeruatae fluore glutinoſo ſubgranulato cinereo, quaſi excrementis, illud implent, in quo ingredi minus valent, et demum prorſus deſinere coguntur.

VSVS. Eſt eſca, balaenarum, praeſertim *balaenae Boopis* et *Myſticeti*. *Cotti Scorpii* illam conſumentes inſipidi fiunt incolis.

385. HELIX PELLVCIDA.

Helix teſta imperforata depreſſiuſcula nitida, ſubvireſcente anfractibus tribus.

Helix pellucida, Müll. prodr. 2892. Ej. Verm. 215.
Helix domeſtica, Act. Nidr. III, 435. tab. VI. fig. 15.

GROENL. *Siuterurſak*.

DESCRIPTIONEM huius exactiſſimam ap. Müll. de Verm. l. c. habemus. Vertex in meis omnibus albus, reliquum teſtae albido-vireſcens. Anfractus maximus verticaliter plures ſtrias ſubtiles ſubeminentes habet, ad ſuturam notabiliores.

HABITAT in archangelica; alibi non vidi.

386. HELIX NITIDA.

Helix nitida teſta vmbilicata ſubdepreſſa, fulvo-cornea pellucida, ſubſtriata, apertura larga.

Helix nitida, Müll. prodr. 2898. Verm. 234.
Helix Hammonis, Act. Nidr. III, 435. tab. VI. fig. 16.

Huius teſtam vacuam tantum ſub muſcis rariſſime offendi.

Velutina

387. HELIX HALIOTOIDES.

Helix testa imperforata depresso - planiuscula, striis vndatis, apertura ouali dilatata vsque ad apicem.

Helix haliotoides, Syst. nat. I, 1250. Müll. prodr. 2900.

Patella testa ouata apice subspirali obtuso, Ol. 1017, g. 1. Müll. prodr. 2873.

Nerites, Ionst. exsangu. tab. XI. fig. penultima.

Catinus lactis, Mart. Conch. I, 194-197. tab. XVI. fig. 151-154.

GROENL. *Akoperursak.*

DESCR. Long. $5\frac{1}{2}$, lat. 4, alt. $3\frac{1}{4}$ lin. Quoad testam inter Patellas *) vel Haliotoides **) medium est; vermis autem ad limaces pertinet. Sed minus rite inter Helices collocari, siue characteribus Linnaei ***), siue Mülleri ****) retentis, certe puto, et potius cum clariss. Martini l. c. nouum genus illi assignarem, nisi forsitan inter Ancylos cel. Mülleri *****) locum sibi acquirat — quod alius determinet. *Testa* minus crassa, subdiaphana, oualis, postice angustior, antice (respectu habito capitis hospitis) amplior rotundata, subtus plana ampliata, supra conuexa, apice postico declinato, spirali, laterali, dextro. — Anfractus 3, vix 4, exteriore testam fere totam occupante, reliquis minutissimis. Apertura fere totalis, desinens tamen acute ad anfractum secundum, profunde vero

*) *Patellae neritoideae* Syst. nat. n. 748 maxime affinis.

**) Imprimis imperforatas sensu Mart. Conch. I, 191.

***) Apertura eius vix coarctata dicenda; cf. Syst. nat. gen. 328.

****) Müll. prodr. pag. XXX. tentacula enim 4 vix in illa detegenda sunt.

*****) Praesertim ob tentacula eius, quae duo tantum, et quidem occulta; cf. Müll. prodr. p. XXX.

vero in apicem vsque dilatata eſt. Columella nulla, ſed labium internum ſublaterale dextrum, parum inflexum; poſtica pars cauitatis ſic fornicata euadit. Superficies interna glabra, griſeo-flauicat, labrum vero album; externa albicans, ſulcos leues (quaſi appoſitiones) diſtantes transuerſim habet, interne etiam conſpicuas: ſic denudata; ſed epidermide fulueſcenti obducta eſt, quae plicas viles longitudinales vndulatas habet cum futuris transverſis vix notabilibus. Margo aperturae integer vix notabiliter crenulatus *). — *Vermis* paruus, albus. — Caput minutum ſuperum pede fere tegitur, latius quam longum. Tentacula 2 breuia alba extra caput pedemque vix extenſilia. In latere dextro colli verruca mollis cum foramine ani. Pes oblongus poſtice acuminatus, antice truncatus. Clypeus nigricans in apicem vsque elongatus, ibique neruis ſuis adnatus. Materia ſpumoſa griſea ſ. collari, vt helices, ſe occultare poteſt, foramen vtrinque (praeſertim latere dextro) tamen relinquente, nec medio totum vermem tegente. Operculum nullum nec nativum, nec factitium, vidi.

HABITAT in fundo ſinuum maris, minus frequens.

Lente procedit ſuper lapides more patellarum. Sub inceſſu vermis extra teſtam non conſpicitur.

388. TROCHVS CINERARIVS.

Trochus teſta oblique vmbilicata ouata, anfractibus rotundatis.

Trochus cinerarius, Syſt. nat. I, 1229. Faun. Suec. 2167. Müll. prodr. 2925.
Silfre, Ol. 1013. D.
Solvkonger, Ström, I, 186, 4. β.?
GROENL. *Siuterok.*

*) Quadrat ſic maxime figura 152 Martini.

DESCR. Longitudo 5 lin., latitudo vix minor; maiores non vidi. *Testa* crassiuscula, subdiaphana, subtus conspecta subouata est, obliquata, apertura prominente; supra conuexa, subconica, vertice obtuso. Anfractus 6 teretes, summis depressiusculis. Sutura angusta. Sulci conferti longitudinaliter totam spiram percurrunt, interstitiis acuminatis sursum directis, quae ab aliis multo subtilioribus verticalibus obliquis transsecantur. Anfractus etiam ad suturam rugulosi; subtus sulci spirales magis deleti: quin imo dantur indiuidua his vix praedita. — Columella perforata cum canaliculo obliquo ante foramen. Apertura subtetragona, extus dilatata, margine columellae ob anfractum intercurrentem abrupto parumque reflexo. Color cinerascens, flauicans, albidus glaber, interne argenteo-viridis nitidissimus, fauce plerumque aeneo-viridi, labioque argenteo. — Operculum natiuum orbiculare concauum fuluescens, striis subtilibus concentricis. Exuta tunica extima ex argenteo viridis polita euadit splendidissime. Fascias nullas in omnibus conspectis offendi.

Inter has vero occurrit varietas magis acuta vel gibbosa, rudior futuris amplioribus, sulcis spiralibus maioribus obtusis, et verticalibus eminentioribus, externe minime glabra, interne vero argentea; ceteris similibus: quae affinis videtur *Turbini argyrostomo* Syst. nat. I, 1236.

HABITAT frequens in sinubus non procul a littore fundo vluoso.

389. TROCHVS DIVARICATVS.

Trochus testa subumbilicata ouata, anfractu infimo remotiore, vmbilico subconsolidato.

Trochus diuaricatus, Syst. nat. I, 1229.
Turbo neritoideus, Ol. 1015, 2, c.?

GROENL. *Siuterungoak.*

DESCR.

DESCR. Long. $5\frac{1}{2}$, lat. 3 lin. — *Testa* oblonga, subconica, spira satis obliqua, laeuis, diaphana, glabra, non nisi oculo armato subtilissime reticulata. Anfractus 6 conuexi, sursum valde decrescentes: infimus enim reliquis simul sumtis dimidio maior, ventricosus, et sutura sua versus aperturam remotior. Apertura sublunaris ampla, labro tenui marginato. Columella rimam lanceolatam habet, de plica interiore adiacente fere clausam. Color viridis 3 fasciis ferrugineis in anfractu maiore, quarum duae subtus approximatae, tertia supra remota: hae fasciae in anfractibus reliquis confluunt, vt inde ferruginei fere toti euadant. Intus polita est, concolor, fasciis in apertura transparentibus, columella tamen et suprema pars faucis albae. Operculum natiuum oblongum, planum, saturate viride. Vermem non vidi.

HABITAT in mari ad ostia fluuiorum inter fucos caprinos et similes. An Synonymon Linnaei huc reuera pertineat, non facile ex breui eius descriptione concludi potest; nomine tamen specifico bene conueniente, subsumo, illudque retinui.

390. TROCHVS STRIATELLVS. †

Trochus testa turrita imperforata, striis longitudinalibus, parallelis obliquatis.

Trochus striatellus, Syst. nat. I, 1232.
Turbo neritoideus, Ol. 1015, 2, b.?

Cochleas minutas turritas ad littora sub lapidibus copiosas vidi, tuncque pro citato habui; exemplaribus vero omnibus, quae possedi, nescio qua iniuria, amissis, nec descriptione accurata antea facta, illum hic seponere cogor.

391. TROCHVS HELICINVS*

Trochus testa vmbilicata subouata, conuexo-depressa, laeui, glabra, rubicunda.

Turbo neritoideus, Ol. 1015, 2, d.

GROENL. *Siuterurſak.*

DESCR. Long. 2 lin., lat. $2\frac{1}{4}$. *Turbini cinerario* haud abſimilis, ſed teſta magis depreſſa, ſemper minuta, tenera, pellucida, laeuis, glabra, ſtriis verticalibus vix notabilibus. Anfractus 6 conuexi, minus ventricoſi, infimus reliquis ſimul ſumtis duplo maior. Apertura fere ouata. Color rubicundus, margine labri et ſutura albidis. Variant quaedam pallidiores. Operculum ſuborbiculare albidum politum, concentrice ſtriatum. Vermis ex nigro coeruleſcit, bitentaculatus. Pedem eius ſub inceſſu cirris breuibus fimbriatum vidi.

HABITAT ad littora maris, vulgaris inter Neritas.

392. TVRBO ALBVLVS. *

Turbo teſta turrita, imperforata, glabra, anfractibus rotundatis ſtriatis, apertura orbiculari.

GROENL. *Siuterurſak.*

DESCR. Teſta minuta, vix $1\frac{1}{4}$ lin. longa, et $\frac{2}{3}$ lata, glabra pellucida, elongata, ſubcylindrica, albida, fragilis, longitudinaliter ſtriata per totam ſpiram ſulcis conſpicuis ſatis. Anfractus 5 rotundati, ventricoſi, lente decreſcentes. Apertura orbicularis integra, margine labii acuto, et fere perpendiculariter de columella exſtante. Operculum nullum.

HABITAT in locis profundis maris in ramulis cellulanorum, mihi raro obuius.

393. TVRBO PLANORBIS. *

Turbo teſta vmbilicata depreſſa, laeui, fuſca, opaca.

GROENL. vt antecedens.

DESCR.

DESCR. Diameter 1 - 1½ lin. — Teſta valde depreſſa, fuſca, rudis, laeuiuſcula; ſtriis tamen crebris verticalibus ad futuram annotinis oculo armato tantum conſpicuis, inaequalis redditur. Sutura profunda. Anfractus 4 teretiuſculi, infra vero 2 tantum conſpicui; extimus verſus aperturam a reliquis parum remotus. Vmbilicus perforatus amplus concauus. Apertura orbicularis. Operculum nullum vidi.

HABITAT frequens in ſabulo littorum limoſo ſub lapidibus marinis.

394. TRITONIVM VNDATVM.

Tritonium teſta oblonga rudi, transuerſim ſtriata, anfractibus curuato-multangulis.

Tritonium undatum, Müll. prodr. 2938.
Buccinum undatum, Syſt. nat. I, 1204. Faun. Suec. 2263.
Kukkeluur, Ström, I, 182. α.
Eggia kongr, Ol. tab. X fig. 4. (forſitan idem ac Buccinum eius vltimum pag. 1012.)

GROENL. *Siuterurſoak*. Et ſic 5 ſequentia.

DESCRIPT. Maximum viſum 17 lin. longum et 10 lin. latum erat. *Teſta* rudiuſcula, oblonga, minus craſſa. Anfractus 5-7 (in minoribus enim 5, in adultioribus et quidem plerisque 6, in maximis illisque perfectis 7, notantur,) minus ventricoſi, transuerſim ſtriati, nec tamen profunde. Hae ſtriae, in diuerſis magis minusue notabiles, maxime occurrunt in anfractu infimo, et ex illis 6-9 vel plures eminentiores, quas faſciae in faſciatis occupant. Conuexitates obliquae ſubarcuatae longitudinales verſus futuram anfractus multangulos reddunt; neque tamen hi anguli in omnibus indiuiduis aeque conſpicui, vt perilluſtris a Linné Faun. Suec. l. c. recte obſeruauit: dantur enim, in quibus anfractus infimus

his

his prorſus carere videtur, ſecundo et tertio (de apertura numerando) tantum angulatis. Apex (ſ. tres anfractus ſupremi) laeuis ſine ſtriis vel angulis mihi ſemper occurrit. Apertura magna ſublunaris, deſinens in canaliculum dextrum (teſta nempe cum apertura prona inſpecta,) breuem, latiuſculum, poſtice retuſum. Columella ſic canaliculata, in plerisque contorta, in quibusdam duplicata, canaliculo nouo alteri impoſito, quod redintegratione teſtae mutilatae factum eſt. Labrum in perfectis ſubmarginatum, ſuperne reflexum. Color ſubviolaceus, vel coeruleſcens, in paucis albidus apice plerumque minus colorato; in quibusdam etiam faſciae fuſcae abruptae 6-7 vel plures in anfractu infimo conſpiciuntur. Operculum membranaceum natiuum caudae vermis incumbens pallidum ſubouale, ſtriis concentricis notatum. Apertura minor illum non niſi interius claudere valet. *Limax* elongatus albus ſupra nigro maculatus. Tentacula 2; ſed praeter haec cirrus longus prehenſilis de altero latere corporis per canaliculum teſtae ſub inceſſu exſeritur, quo folia fucorum prehendere ſolet, ſicque ſine difficultate locum mutare poteſt. Et quidem ſuppono, omnes limaces teſtam canaliculatam habentes tali inſtructos eſſe.

HABITAT vulgaris ad littora marina inter fucos veſiculoſos.

In arido et talibus locis, vbi cirrus eius prehenſilis non applicari poteſt, minus bene incedit.

VSVS. Hoſpes editur a Groenlandis auſtralioribus inter mytilos coctus; eſtque cibus *canis lagopi* et *corui coracis* vulgaris.

395. TRITONIVM DESPECTVM.

Tritonium teſta patulo-ſubcaudata oblonga, anfractibus octo, lineis duabus eleuatis.

Trito-

Tritonium deſpectum, Müll. prodr. 2940.
Murex deſpectus, Syſt. nat. I, 1222. Faun. Suec. 2166.
Kukkeluur, Stöm. I, 182. β.
Cochlea ſpiris octo, oblonga, vtrinque producta, lineis duabus eleuatis, It. wogth. 200. tab. V. fig. 8.

HABITAT in tractibus auſtralioribus cum praecedente rarius.

396. TRITONIVM ANTIQVVM.

Tritonium teſta patulo-caudata oblonga, anfractibus octo teretibus.

Tritonium antiquum, Müll. prodr. 2939.
Murex antiquus, Syſt. nat. I, 1222. Faun. Suec. 2165.
Peturs kongur, Ol. 1011.
Turbo longus, Ionſt. exſang. tab. XI.

DESCR. *Teſtam* huius poſſideo 3 vnc. 8 lin. longam; nec tamen anfractus eius maximus 18 lin. latior, ſic ſatis elongatus. Anfractus 8 teretes, minime ventricoſi, ſed laeues, glabriuſculi, ſpiraliter ſtriati ſtriis minus eminentibus; ſtriae aliae minutae obſoletae longitudinales priores transſecant, ſed vix obſeruandae. Apertura lunaris in canalem dextrum longum patulum producitur. Color albus, intus candidior glaberrimus.

HABITAT cum praecedente, etiam raro obuium.

397. TRITONIVM GLACIALE.

Tritonium teſta ouato-oblonga, exarata, angulata, anfractu infimo ſubcarinato.

Tritonium glaciale, Müll. prodr. 2942.
Buccinum glaciale, Syſt. nat. I, 1204. Faun. Suec. 2162.

DESCR.

DESCRIPT. Huius, quatenus mihi notum, a Linnaeo solo descripti vnicam testam, hancque cauda labioque mutilatam possideo, sed Linnaeana multo excellentiorem, 2 nempe vncias longam et 15 lin. latam (partibus perditis exceptis); sed notis eius constantibus satis patet eandem esse. — *Testa* admodum crassa lapidea, laeuis, anfractus 7 habet spiraliter exaratos, et, vt *Tritonium vndatum*, curuato-multangulos; sed magis distincte et quidem in omnibus anfractibus hi anguli apparent. Praeterea carina obtusa anfractum infimum ambit, in futura secundi euanescens, infra quam testa coarctata non angulata, supra vero conica, anfractibus appressis, de infra imbricatis s. sursum se semper recipientibus, margineque supremo futuram obducente. Color pallide rubicundus interne albus, politus.

HABITAT ad littora maris.

398. TRITONIVM LAPILLVS.

Tritonium testa ouata acuta, striata, laeui, columella planiuscula.

Tritonium lapillus, Müll. prodr. 2944.
Buccinum lapillus, Syst. nat. I, 1202. Faun. Suec. 2161.
Krukker, Atl. Dan. 195.
Kukkeluur, Ström, I, 183, 7. Bom. VIII, 234.
Purpursnekken, Act. Hafn. XI.
Bobbe, Ol. 1012.
Cochlea testa crassa ouata vtrinque producta, spiris quinque sulcatis, aperturae labio interne denticulato, It. wgoth. 169.
Vtriculus striatus, *albidus*, Mart. Conch. III, 392. 428. 433. tab. CXXI, fig. 1111. 1112.

DESCR. Huius exemplaria plura possideo 11 lin.-18 longa et 7-11 lata: omnia 5 tantum anfractus habent albos,

albos, fauce et quorundam mucrone flauis. Labrum in nullis dentatum, ſed in quibusdam crenulatum, et anfractus praecipue maior plicis vndulatis longitudinalibus crebris quaſi imbricatus eſt (vt indicatur Mart. Conch. III, 429. coll. Tab. CXXII. fig. 1124. 1125). Canaliculus paucorum purpureo tinctus eſt.

HABITAT in littoribus arenoſis; in ſinu *Nerrutikſok* dicto e regione boreali coloniae Friderichshaab copioſum.

399. TRITONIVM FORNICATVM. *

Tritonium teſta patulo-caudata ouato-oblonga, anfractibus ventricoſis ſtriatis, longitudinaliter angulato-ſubfornicatis.

Hav kongur, Ol. 1012. Tab. X. fig. 1.?
Fuſus brevis, Mart. Conch. tab. CXXXVIII fig. 1295 huic non abſimilis.

DESCR. Affinis *Tritonio deſpecto;* nec tamen idem eſſe videtur. Omnium hoc maximum, 3 vnc. 3 lin. longum et 22 $\frac{1}{2}$ lin. latum. *Teſta*, licet valida, ſubdiaphana tamen, laeuiuſcula, 7 anfractus habet ventricoſos, teretes (ſuturis profundis), late ſtriatos transuerſim: ex his ſtriis 3 excellunt, vt totidem carinae obſoletae totam ſpiram in apicem vſque percurrentes. Conuexitates longitudinales curuatae angulos formant vt in *Tritonio vndato;* ſed ex his quaedam in anfractu infimo angulato-fiſſae de ſuperficie teſtae ſeſe eleuarunt fornices formantes: in reliquis anfractibus fiſſurae tantum in vna atque altera conuexitate conſpiciuntur, vnde ſuſpicor, cum aetate omnes fornicatas euadere. Praeterea ſtriae obſoletae longitudinales obliquae, ad labrum vt rugae confertae magis conſpicuae. Apertura ampla, vt in reliquis canaliculata. Canalis minus longus, effuſus, parum reflexus. Labrum vix reflexum, ſuperne incraſſatum. Color flauus, interne albus, vbi teſta glabra.

HABI-

HABITAT in mari auſtraliori, vbi hoſpes editur ab incolis.

400. TRITONIVM CLATHRATVM.

Tritonium teſta oblonga, laeui, plicis longitudinalibus ſubmembranaceis ſulcata.

Tritonium clathratum, Müll. prodr. 2941.
Murex clathratus, Syſt. nat. I, 1223.
Buccinum truncatum, Act. Nidr. IV, 369. tab. XVI f. 26.
Cochlea ſpiris vtrinque producta, ſtriis acutis imbricatis, It. wogth. 199. Tab. V. fig. 6. varietas maior.

GROENL. *Siuterungoak.* Et ſic ſequentia.

DESCR. Long. $3\frac{1}{2}$ - 7 lin.; lat. $1\frac{1}{2}$ - $3\frac{1}{2}$. *Teſta* oblonga, turrita, laeuis, tenera, ſubopaca, longitudinaliter plicata. Anfractus 6, vix 7, teretes, minus ventricoſi, obliqui, ſecundi, plicis ſubmembranaceis prominulis, verſus ſiniſtrum ſ. aperturam tendentibus, imbricati. Plicae in 3 ſuperioribus vix vllae, in infimo maxime notabiles, confertae, (14 et vltra,) ſuperne ſiniſtrorſum, inferne dextrorſum circa caudam curuatae. Labrum acutum. Apertura ſublunaris coarctata. Columella oblique in caudam excurrens. Canaliculus ſat parum longus, (praeſertim in iunioribus,) reflexus, truncatus, in quibusdam retuſus. Operculum ouatum fuſcum, aperturam non plene claudens. Mucro ſubabruptus, quaſi imperfectus, inque non paucis cariosus. Color fuſco-luteſcens; in emortuis ſ. teſtis vacuis albeſcit.

HABITAT in locis profundioribus maris.

401. TRITONIVM CRATICVLATVM.*

Tritonium teſta oblonga ſtriata, longitudinaliter angulato-plicata, labro crenulato.

Turbo

Turbo clathrus, Act. Nidr. IV, 54. tab. II, fig. 17-19.?

Murex craticulatus, Syſt. nat. I, 1224. ſpecies haec, vel ſequens, vel neutra.?

DESCR. Long. 5 lin. lat. $2\frac{1}{2}$. *Teſta* praecedenti ſimilis: ſed plicae longitudinales ſolidae, rectae, acutocrenulatae, hinc inde fiſſae ſ. duplicatae, prominentiores magisque diſtantes (8 vel 9 tantum in anfractu); praeterea ſtriae transuerſae eleuatae, quibus in ſummitate anfractus carentibus, concaua ſ. ſubcanaliculata ibi redditur. Anfractus 5. Mucro ſubumbilicatus. Apertura anguſtior. Labrum incraſſatum, fiſſura longitudinali quaſi duplicatum, et ob ſtrias tam externas, quam aperturae internas transuerſas, margine crenulatum. Cauda longior minusque flexa. Tota teſta alba interne polita.

HABITAT cum praecedente. Vnicum vidi.

402. TRITONIVM CILIATVM. *

Tritonium teſta turrita, patulo ſubcaudata, ſtriata, angulata, longitudinaliter ciliata, columella ſubplicata.

DESCR. Long. $5\frac{3}{4}$ lin. Lat. 3 lin. *Teſta Tritonio vndato* haud abſimilis, ſed magis ampla. Anfractus 5 minus conuexi, ad ſuturam vero gibboſiores. Apertura ampla. Canaliculus breuis latus, obtuſus, apice prominente, rectiuſculus. Striae transuerſae, eleuatae, notabiles. Anguli eminentes longitudinales obliqui, acuti; in anfractu infimo ſummitatem tantum occupant. Mucro laeuis, glaber. Columella plicam vnam habet, ſ. labio interno inſtructa eſt. Apertura verſus marginem leviter ſtriata, hinc margo ſubcrenulatus, Singulare autem in hoc eſt, quod epidermis teſtam veſtiens plicas minutas longitudinales habeat, illasque ciliatas pilis breuibus albis. Tota teſta albida intus glabra.

HABITAT cum praecedentibus, inter rara numerandum.

403. TRITONIVM VIRIDVLVM. *

Tritonium teſta oblonga laeui, glabra, acuminata, transuerſim minute ſtriata, longitudinaliter coſtata.

DESCR. Long. 4, lat. 3 lin. *Tritonio vndato* proxime accedit. — *Teſta* ſubdiaphana, tenera, albido-vireſcens. Anfractus 6 vel 7 minus ventricoſi. Striae minutiſſimae transuerſae; ſed coſtae longitudinales rectae in anfractu quarto quintoque ſatis conſpicuae: in reliquis vix vllae, rudimenta tamen illarum adſunt; indiuiduo vnico tantum conſpecto, incertus ſum, an etiam illi in adultioribus coſtati. Labium acutum parum effuſum. Cauda breuis, obtuſa, vix reflexa.

HABITAT cum praecedentibus.

404. NERITA LITTORALIS.

Nerita littoralis teſta laeui, vertice obtuſo, labiis edentulis.

Nerita littoralis, Syſt. nat. I, 1253. Faun. Suec. ? 2195. Müll. prodr. 2953.
Nerita, Ström, I. 185, 3. *a.* It. Gothl. 261.
Meyar-patta, Ol. 1016, 1, c.
Söefvöm-Snekke, Bom. VIII, 723.

GROENL. *Siuterurſak.*

DESCR. Long. $1\frac{1}{2}$-5 lin. lat. $1\frac{1}{5}$-4 lin. *Teſta* laeuis, glabriuſcula, (ſaepe tamen materia peregrina obducta rudis euadit,) tenera, ſubdiaphana, minutiſſimas ſtrias ſpirales, nudo oculo vix conſpicuas, habet. Pone aperturam appoſitio teſtae vna atque altera longitudinalis fractam quaſi reddit. Anfractus 4 vel 5, quorum in-

infimus conuexus, reliquis ſimul ſumtis duplo vel triplo maior, teſtam oblongo-ouatam figurat. Reliqui minuti, nec multum prominuli, in latus ſiniſtrum vergunt. Vertex obtuſus obſoletus, etiam in quibusdam (non omnibus) carioſus Apertura lunata. Labium integrum acutiuſculum, nec incraſſatum, nec flexum; ſed paries oppoſitus planatus politus. Operculum nigricans ouatum, laeue glabrum, vix ſtriatum; ſed verſus extremitatem inferiorem ſpiram ſibi impreſſam habet. Color ſatis variabilis: vidi enim nigras, nigricantes, fuſcas, vireſcentes, griſeas, cineraſcentes, rubicundas, albo marmoratas vel faſciatas. *Animal* bitentaculatum, nigro-coeruleſcens, de pede ſuo ſetas ſ. cirros emittere vidi, vt indicatur Faun. Suec. et It. Gothl, ll. cc.

HABITAT copioſe ad littora maris.

Eſt cum ſequente cibus frequens *Tringae ſtriatae* et actiniarum.

405. NERITA LITTOREA.

Nerita teſta ſubouata acuta, ſtriata, margine columnari plano.

Nerita littorea, Müll. prodr. 2954.
Turbo littoreus, Syſt. nat. 1232. Faun. Suec. 2169.
Schnecken, Cr. 132.
Buehunde, Ström, I, 181. Bom. VII, 416.
Naakongur, *Beitukongur*, Ol. 1012.
Kupunge, It. wgoth. 169. 199. tab. V. fig. 4.

GROENL. *Siuterok.*

DESCR. Long. 4 - 6½ lin.; lat. 3 - 5. Differt a praecedenti praeſertim ſtriis ſ. ſulcis ſuis ſpiralibus et vertice acuto. Teſta etiam rudior opaciorque; ſuturae anfractuum profundiores. Anfractus 5 vel 6 conici, infimo reliquos vix ½ ſuperante. Hic rotunditate terminali

aperturae quasi prolongatur. Reliqui anfractus etiam distincti satis, nec laterales. Color fusco-cinerascens, interne fuscus glaber.

HABITAT sine numero in littoribus marinis. Decessu aquae arida facta rupibus adhaerens illas fere tegit.

Obs. Occurrit inter hanc et praecedentem quasi media, staturam huius, sed fere laeuitatem et colores praecedentis habens; forsitan species hybrida de vtraque exorta? Limites vix attingo.

406. MYA TRVNCATA.

Mya testa subouata conuexa, antice truncata, cardinis dente solitario antrorsum porrecto, obtusissimo.

Mya truncata, Syst. nat. I, 1112. Faun. Suec. 2126. Müll. prodr. 2959.
Lang-ovale Muscheln, Cr. 131.
Sandskiæl, Sandmige, Ström, I, 201. α.
Den aflange Sandskjæl, Bom. V, 17, 1.
Sandmigur, Reddusskal, Smyrsling, Ol. 69. 716. 1009. tab. XI. fig. 7.
Concha lævis, altera tantum parte clausilis, It. Wgoth. 199. tab. V. fig. 3.

GROENL. *Usursak.*

DESCR. Longa $2\frac{1}{3}$ vnc., lata 19 lin. *Testa* rudis, crassa, oblongo-ouata, conuexa, postice s. extremitate clausa rotundata paulo latior, antice angustior truncata, medio latissima ob vmbones apice suo extra cardinem prominentes. Hi conniuentes versus posteriora parum flexi, acutiusculi, in medium cardinis s. dentis maioris cadunt: inde oblique versus marginem posticum testa conuexior. Striae transuersales latae, distantes, testae figuram describunt, quas in testa decorticata aliae minores intercurrunt. Ceterum testa laeuis, alba cretacea, epider-

epidermide tenui in aliis flaua, in aliis (praeſertim maioribus) fuſca vel ferruginea. Nates plerumque denudatae. Cardo extremitati hianti propior conſtat dente ſolitario alterius valuulae, magno, ſolido, obtuſiſſimo, lato, introrſum verſo, externe concauo, transuerſim ſtriato, margine antico incraſſato, poſtico reflexo. Huic in altera valuula reſpondet foſſula tribus locis, vt totidem denticulis ſpuriis, emarginata, ſc. antice, interne et poſtice: huius medietatem implet apophyſis recta fuſca cornea obtuſa, cauitati dentis maioris inſita et adnata. Apophyſis haec iterum externe canaliculata, et ad baſin dentis maioris acumen breue corneum, illi canaliculo reſpondens: (haec deſcripta de valuulis ſtatu naturali connexis intelligenda, ſicque cardo ſatis compoſitus et arcte connexus:) in pauciſſimis etiam extra dentem maiorem denticulus ſuperfluus corniformis ſolidus. Partes corneae in plerisque teſtis vacuis detritae ſunt, nec niſi in animali foeto rite obſeruari poſſunt. Hiatus teſtae terminalis magnus, interne argenteo colore nitet, reliquo interiore albo minime glabro, niſi locis, vbi vermis adnatus fuit. Vermem a ſequenti deſcribendo differre, nullus obſeruare potui.

HABITAT in fundo argilloſo ſinuum copioſe.

Sub argilla viuens non conſpicua, ſe prodit foramine, vnde proboſcidem ſuam porrigit victus quaerendi gratia.

VSVS. a) Editur cocta ab incolis. b) Teſta interdum cochlearis locum ſupplet. Praeterea c) *Trichechus roſmarus*, *canis lagopus*, *coruus corax*, *anas ſpectabilis*, in hac cibum vulgarem habent.

Sub maris deceſſu periodico colligitur.

407. MYA ARENARIA.

Mya ouata compreſſa, antice rotundata, cardinis dente antrorſum porrecto rotundato, denticuloque laterali poſtico.

Mya arenaria, Syſt. nat. I, 1112. Faun. Suec. 2127. Müll. prodr. 2960.
Sandskjæl, *Sandmige*, Ström, I, 201. β.
Den ſtore Sandskjæl, Bom. V, 17, 2.
Concha ſubarenaceo-marina, It. Wgoth. 187.

GROENL. vt antecedens.

DESCR. long. 2 vnc. 2 lin., lat. 18 lin. *Teſta* primo inſpectu vix a praecedente differre crederetur. Eſt quidem reſpectu longitudinis latior, etiam compreſſior, vmbonum regione minus conuexa; extremitate antica extus parum flexa, hinc hiatus teſtarum amplus euadit: maxima vero differentia in cardinis ſtructura quaerenda eſt, vbi valuula altera dentem maiorem habet ſolidum, apice antrorſum verſo rotundatum, externe non concauum, ſed carinatum, et pone illum, ſ. extremitati clauſae propius, denticulum breuem oblongum acutum diſſepimento humiliori cum dente maiori connexum. Valvula altera cauitatem oppoſitam habet interne tantum acute marginatam, cuius medium occupat apophyſis cornea fuſca decliuis oblique antrorſum verſa, quae pone carinam dentis maioris oppoſiti illi adnata eſt. Cardo ſ. apex flexus vmbonum praeciſe cadit inter dentem maiorem et minorem. Reliqua ſtructura teſtae vt antecedentis. Color etiam idem. *Vermis* cardini ſubiectus, oualis, albo-flavicans, carnoſus, anteriorem ventriculum ſuum habet liquore nigro plenum. Corpus hoc circumdat ſacculus tenacior totam teſtam interne veſtiens, et antice proboſcide exſertili longa inſtructus. Proboſcis haec cute rugoſa, vt prolongatione epidermidis teſtarum, obducta eſt, et ſiſſuram rubram terminalem habet. Praeterea in latere ſacculi ad marginem valuularum apertura alia oualis poſtica, indeque canalis longitudinalis exterior verſus proboſcidem producitur.

HABITAT in fundo arenoſo modo praecedentis.

VSVS etiam idem.

Ob

Ob tam leuem differentiam inter hanc et praecedentem potius vt varietates, quam distinctas species habendas censeo.

408. MYA ARCTICA.

Mya testa striata, valuulis carinis duabus spinulosis saepe obsoletis, cardine obsolete dentato.

Mya arctica, Syst. nat. I, 1113. Müll. prodr. 2962.
Solen minutus, Syst. nat. I, 1115.
Chama aculeata, Act. Nidr. IV, 368. tab. XVI, fig. 24.

GROENL. *Imenningoak.*

DESCR. Long. $1\frac{1}{2}$ - 7 lin., lat. 1 - $4\frac{2}{3}$. *Testa* oblonga fere rhomboidalis, alba, opaca, fragilis, laeviuscula, transuerse striata striis flexuosis ad figuram testae, compressiuscula, postice et ad cardinem acuta, antice obtuse rotundata, ad margines valuularum fere recta, flexura parua media excepta. Nates extremitati posticae contigui, acuminati, versus postica deflexi, minus tumentes: inde tamen oblique versus marginem anteriorem pars testae eleuatior locum habet, quae carina antrorsum serrata notata; et intra hanc cardinemque alia similis humilior. — Hae 2 carinae in quibusdam satis obsoletae rudimenta tantum reliquerunt. Cardo edentulus quidem pronunciatur: si autem probe attendatur, vtraque valuula in margine incrassato praecise sub acumine vmbonis dentem breuem conicum obtusum habet, satis conspicuum, cum adiecta foueola; ante nates etiam externe ligamentum corneum flauicans glabrum semicylindricum valuulas coniungit. Valuulae antice more congenerum parum hiant. *Vermis* flauicat regione ventriculi viridi nigricante. — Sacculus testam interne vestiens membranaceus tenerrimus, et proboscis vix extra testam exseri potest. Apertura sacculi postica suborbicularis.

HABITAT tam locis profundis, quam littoribus li-

bera inter radices algarum, mytilos aliaque corpora marina, nec illis nisi spinulis suis adhaerens.

409. MYA BYSSIFERA.*

Mya testa rudi oblonga striata, conuexa, cardine edentulo.

Oval-skjæl, Ström, I, 200, 8. α.
Concha oblonga obtusa sulcis transuersis, It. Wgoth. 198 tab. V. fig. 2.

GROENL. *Imennek.*

DESCR. Long. 3 - 17½ lin.; lat. 1½ - 8¾ — *Testa* praecedenti similis, sed rudior, magis elongata, parte antica quasi in rostrum protracta, conuexior, praesertim in regione obliqua de natibus antrorsum; nates obtusiores; extremitas antica angustior et cum postica rotundata. — Desunt tam carinae serratae, quam denticuli cardinis, ita vt ligamentum externum ante nates fuscum opacum subconicum solum fere cardinem efficiat. — Datur quidem in nonnullis aliquid denti simile, lobus sc. oblongus subangulatus cum rima ligamento propriori, in vtraque valuula: hoc autem in plerisque deleto non pro essentiali afferri meretur. Occurrit semper alba, interne glabra, externe epidermide sordida, iam grisea, iam fusca, iamque atra, obducta. Saepissime difformis euadit pressura solidorum, inter quae habitat. Interdum etiam valuulae duplicatae conspiciuntur. *Hospes* oblongus conuexus, carnosus, albus, cardini subiectus, medio conulum prominentem flauicantem longitudinaliter canaliculatum gerit: de huius apice vermis byssum more mytilorum emittere valet per aperturam sacculi posticam, qua corporibus peregrinis se affigit. — Ceterum cingitur primum labiis 2 internis teneris expansilibus, deinde sacculo, qui totam testam interne vestit, valuulas combinat, et antice prolongatur tubulis 2 longis pro lubitu contrahendis, vel per hiatum

hiatum testa in longitudinem eius exserendis, cohaerentibus quidem, sulco tamen interstitiali distinctis apicibus rugosis, perforatis, sanguineis. — Ex his tubulis margini testae propior in cauitatem sacculi fert, et pro ore habendus est; alter vero cum antica parte corporis convexus et vlterius canali cum ventriculo, in dorso corporis iacente, combinatus est, igitur pro ano assumendus. — Apertura etiam oualis postica sacculi vt in praecedentibus. Praeterea neruus magnus transuersus anticus et posticus, ad valuulas claudendas, vt in mytilis et aliis biualuibus.

HABITAT frequens in fissuris rupium marinarum inter mytilos, interdum sub sabulo, lapillis, vel radicibus fucorum, tam occultata, vt nil nisi extremitas tubulorum conspici possit. — Nec rarum est, hanc myam in lacunis cauis lapidum, vel *milleporae polymorphae* offendere, tam inclusam, vt foraminulum tantum restet orificiis tubulorum victus quaerendi gratia: sic facile lithophaga diceretur; sed potius credam talibus locis illam accreuisse, et lente materia cretacea obductam fuisse, demumque exitum non habentem in carcere suo taliter qualiter viuere.

Tacta aquam exspuit seque contrahit vt ascidiae. Si libera, bysso se affigit; sin vero inclusa, tali non vtitur.

VSVS idem ac *Myae truncatae*, testa sola excepta, quae nulli vsui.

410. CARDIVM ECHINATVM.

Cardium testa subcordata, sulcis exaratis linea ciliata, aculeis inflexis plurimis.

Cardium echinatum, Syst. nat. I, 1122. Faun. Suec. 2139. Müll. prodr. 2971. Zool. Dan. tab. XIII, XIV.

Auster - Muscheln, Cr. 131. prior.

Bekkre - skjæl, Ström, I, 200, 7. *a*.

GROENL. *Kirkſoaurſak.* Et ſic ſequens.

Huius teſtam detritam tantum vidi ad littora maris proiectam.

411. CARDIVM CILIATVM.*

Cardium teſta ſubcordata, ſulcis eleuatis ſubtriquetris ciliatis.

Poſſet eſſe *Cardium ciliare* Syſt. nat. I, 1122. ſed minime niueum, nec aculeatum eſt, vt de illo pronunciatur.

DESCR. Diameter maximus transuerſalis 19 lin., longitudinalis ſ. de natibus in marginem 1 lin. minor. — *Teſta* ſimilis *Cardio echinato*, ſubcordata, obliquata, (ſ. antice longior anguſtiorque, poſtice breuior latiorque, limbo extimo ſic oblique rotundato,) craſſa, conuexa, natibus gibboſis apice conniuentibus, obtuſis, retrorſum deflexis quaſi ſpiram inchoantibus, longitudinaliter profunde ſulcata ſulcis 32-38, quorum interſtitia eleuata, media conuexiuſcula, lateralia vero triquetra, omnia carinas ciliatas ſordidas habentia, quae tamen ad nates minus notantur. — Aculei vel aliae eminentiae locum non habent. Striae etiam minutae confertae vndulatae hos ſulcos transſecant, ad anum valuamque concurrentes maximeque conſpicuae, ſulcis ibi deficientibus. — Praeterea teſta appoſitiones quaſi habet ſtriis transuerſis 6 vel 7 indicatas, et ad extimam in nonnullis impreſſura leuis, exteriore limbo depreſſiore. — Sulci, qui interne etiam ad marginem alternatim exarati ſunt, illum crenulatum, et crenulis ſe alternatim ſuſcipientibus, arcte clauſilem faciunt. — Valua ſagittiformis impreſſa nymphis clauſis. — Ligamentum corneum fuſco-ſtauicans conuexum eiusdem figurae ante nates valvulas connectit. — Anus ouali-lanceolatus carinatus. Cardo dentes ſolidos 3 conſpicuos habet in ſingula valvula: ex his medius ſub natibus oblique reflexus acutus cum foucola vtrinque et denticulo laterali in valuula dextra

tra vix notabili, lateralis poſticus maior a medio remotus triangularis erectus cum denticulo parallelo marginali valvulae ſiniſtrae; anticus illi oppoſitus elongatus obſoletus, in valuula dextra vix vllus. Teſta interne alba glabra, externe albida, obducta epidermide tenera conferuoide cinerea vel griſea, cuius eminentiae ſunt carinae dictae ciliatae.

HABITAT in fundo maris arenoſo vel argilloſo, ſatis copioſe.

In fauce *Anatis molliſſimae* et *ſpectabilis* frequenter obuium, hinc inter praecipuos cibos harum auium numeranda.

412. VENVS ISLANDICA.

Venus teſta cordata transuerſim ſtriata rudi, nymphis hiantibus, ano nullo.

Venus Iſlandica, Syſt. nat. I, 1131. Müll. prodr. 2977. Zool. Dan. tab. XXVIII.
Auſter-Muſcheln, Cr. 131. poſterior.
Bundſkjæl, *Koeſkjæl*, Ström, I, 201, 9.
Kuſkjæl, *Skelkuſſe*, *Krokfiskur*, Ol. 69. 153. 1011. tab. XII. f. 8.

GROENL. *Ipikſaunak.*

DESCR. Diameter maximus transuerſim $31\frac{1}{2}$ lin., longitudinaliter 1 lin. minor. *Teſta* rudis, craſſa, cordata, parum obliquata, conuexo-gibboſa, antice longior, obtuſior, poſtice breuior, compreſſior magisque rotundata, margine exteriore lente rotundato, integro acuminato. Superficies interna alba cruſta cretacea veſtita, qua detrita politior, externa violaceo-albida laeuis glabriuſcula ſtriata ſtriis permultis transuerſis ad nates concurrentibus, quarum quaedam excellunt appoſitiones valuularum mentientes. — Striae etiam longitudinales in medio teſtae vix notabiles, in natibus vero ad anum et imprimis

primis ad vuluam ſatis conſpicuae. Ante nates ligamentum corneum fuſcum lanceolatum conuexum valuulas combinat: ante quod valuulae valde hiant. Hoc loco teſta craſſior, et vt oſtrea edulis ſaepe lamellata. Cardinis dentes ſingulae valuulae tres alternatim in foueolam oppoſitam incidentes, quorum medius pone nates breuis obtuſe angulatus, laterales remoti elongati vix inter ſe differentes. *Vermis* mollis cardini ſubiectus emittit laminam longam carnoſam falciformem ſ. geniculo flexam, baſi teretiorem albam, extra genu fuluam compreſſiorem carinato-ſerratam apice acuto deſinentem, quam pedem dicunt. Corpus ipſum ſ. partem mediam molliorem circumdant labia 2 minora, pallide flaua, transuerſim rugoſa. Haec vero et omnia interiora includunt labia 2 maiora alba, margine fuluo ſuperficiem teſtae veſtientia, ad hiatum teſtae ſ. loco nympharum connata, vbi aperturae 2 ouales rugoſo-cirratae, quarum antica in cauitatem teſtae ducit, poſtica vero illaque minor per canalem cum parte poſteriore corporis combinata ibique exitum alium perforatum habet. Ante hoc foramen corporis aliud datur in ventriculum dorſalem ferens; illuc etiam ducit canalis alius foramine geniculi pedis inceptus. Ventriculus 2 cameris conuexis excrementa cineraſcentia transparentia continet. Neruus validus antice poſticeque transuerſim valuulas combinat, quo illas vermis arcte claudere poteſt. Ad baſin pedis adhuc papilla lacera conſpicitur.

HABITAT in fundo ſinuum argillofo, haud infrequens.

De vſu eius minus conſtat.

413. VENVS MINVTA.*

Venus teſta ſubouata, transuerſim ſtriata, ſubpellucida, nymphis clauſis.

GROENL. *Ipikſaunarak.*

DESCR.

DESCR. Diameter maximus transuerſus 1-2 lin. longitudinalis $\frac{3}{4}$ - 1$\frac{1}{2}$. *Teſta* praecedenti ſimilis primo inſpectu pro pullo eius haberetur: ſed magis oblonga et fere ouata, vndique arcte clauſa, ſtrias transuerſales conſpicuas habet, non autem longitudinales; admodum tenera, fragilis, et fere pellucida, glabra, externe fuſco-violacea limbo albicante, interne albedine tenera illita. Cardo ob paruitatem minus diſtinctus nudo oculo: ſi vero lenticula inſpicitur, denticulus medius conicus detegitur cum notis lateralium.

HABITAT in vluis foliaceis marinis, et quidem plicis foliorum, frequens.

414. VENVS FRAGILIS. *

Venus teſta ſubouata, glabra, transuerſim minuta ſtriata, margine acutiſſimo, antice ſubangulata, nymphis hiantibus.

Sogſkjæl, Ol. 1009. tab. XI. fig. 10. vel *Kuldaſkel* 1011.?

Affinis videtur *Veneri penſyluanicae* Syſt. nat. I, 1134.

GROENL. *Imennek.*

DESCR. Diameter maximus transuerſalis 2$\frac{1}{2}$ - 8 lin. longitudinalis 2 - 6$\frac{1}{2}$. *Teſta* transuerſim inſpecta figuram habet oualem, natum prominentiam ſi excipias, eſtque alba, laeuis, glabra, tenera, ſubmembranacea, ſtriis transverſis minutiſſimis crebris, conuexiuſcula, antice compreſſior in extremitatem anguſtiorem producta, attamen poſtica parte, quae rotundata, breuior (e contrario praecedentium). Ante nates in marginem anticum excurrit ſulcus leuis, angulum obſoletum in teſta formans. — Vmbones minus tumentes. Nates conniuentes acuti. Ligamentum corneum lanceolatum ſuluum glaberrimum, ante quod teſta hiat rimula. Ceterum margo circumcir-

ca

ca acutiſſimus. Cardinis dens ſolitarius intus tendens fiſſus in valuula ſiniſtra praeciſe ſub apice natum; in dextra vero duo ſimiles minores, intra quos primus cadit. — Dentes laterales nulli. Interne teſta alba, vbi notae politae nerui antici poſticique vermis. Variat iam margine, iam tota, cruſta ferruginea obducta, ſine dubio a loco moratorio aſſumta.

HABITAT in locis argilloſis ſinuum maris.

415. ARCA MINVTA. *

Arca teſta compreſſiuſcula, extremitate remotiore attenuata, oppoſita rotundata, transuerſim ſtriata, margine integro.

Arca minuta, Müll. prodr. 2985.

GROENL. *Imenningoak.*

DESCR. Diameter transuerſim 4 lin.; long. 2 ½ lin. *Teſta* myis non diſſimilis, oblonga, conuexo-compreſſa, laeuis, transuerſim ſtriata; albo-flauicans, interne alba glabra, extremitate altera rotundata breuiore, altera producta in roſtrum attenuatum oblique truncatum, ſicque angulos 2 formans; deque inferiore atque ſuperiore itidem in nates currit carina arcuata minus eminens. Nates albae non ſtriatae, acutae, conniuentes, verſus extremitatem productiorem (quam anticam dico,) parum flexae; ante has dorſum teſtae figuram planam, lanceolatam ſine ſtriis, ſibi impreſſam habet. Cardinis dentes numeroſi tam ante quam pone nates; vtriusque valuulae 10 numerani conico-acutos alternatim inſertos. Margo exterior, ſ. cardini oppoſitus, oblonge rotundatus integer. — Valuulae arcte clauſae.

HABITAT in locis profundis maris, rariſſime obuia.

Duo tantum indiuidua in ingluuie anatis molliſſimae detexi: hinc animal non vidi.

416. PECTEN

416. PECTEN ISLANDICVS.

Pecten testa subborbiculari aurita, subaequiualvi, radiis plano-conuexis sulcatis numerosis, alternis minoribus integris, interne crocea.

Pecten islandicus, Müll. prodr. 2990.
Horpudiskur v. *Harpudiskr*, Ol. 153. 665. 1010. tab. X. fig. 5.
Harfen-Muscheln, Cr. 131.
Oreskiæl, Ström, I, 199 β. Bom. IV, 248.
Concha Pecten dicta, striis numerosissimis, It. Wgoth. 199. tab. V. fig. 7.

GROENL. *Kirksoaursak.*

DESCR. Long. 35 lin., lat. 32½. — *Testa* crassa, rudis, subborbicularis, vel potius cordata dicenda, ad cardinem enim acuta margine exteriore semicirculari, conuexa, subaequiualuis, valuula superiore magis conuexa, aurita, subaequilatera: licet enim valuularum margines arcte claudantur, auricula tamen maior valuulae inferioris antice aperturam triangularem relinquit, quae superiore minor, inque hac apertura margo valuulae intus rugoso-subdentatus conspicitur. Striae numerosae longitudinales de cardine in marginem se dispergunt, elevati vt radii totidem, plano-conuexi, transuersim rugulosi, alterni maiores eminentiores sulco longitudinali, imprimis versus marginem, exarati, alterni minuti, humiliores, simplices. Horum numerus incertus, in diuersis enim 50-70 et vltra numeraui. Cardo interne praecise sub apice natum constat callo triangulari nigricante, fossulis ouatis oppositis valuulae vtriusque adnato, sicque valuulas arcte iungente. Ad cardines lobi auriformes quatuor plano-incumbentes, lateraliter exstant: sc. duo in singula valuula, quorum dexter maior subtriangularis ora obtusiuscula, sinister minor triangularis; omnes, vt testa, radiati, sed radiis non fissis, differtque dexter

infe-

inferus, quod antice aream transuerſim rugoſam, non radiatam, habeat. Striae etiam interne ad marginem teſtae conſpicuae: hinc ille crenulatus. Color externe albicat circulis rubris; hi circuli vero teſtaceis paraſiticis (puta ſerpulas, balanos, celleporas,) in plerisque obducti, in aliis concurrentes, vt teſta tota fere rubra conſpiciatur: hinc nota inconſtans videtur, minime in nomine ſpecifico admittenda; interne glaber, croceus, praeſertim ad marginem, diſco in quibusdam albo. Superficies interna plerumque inaequalis tuberculis lapideis. — *Hoſpes* croceus, oblongus depreſſiuſculus, carnoſus, verſus cardinem teſtae iacet, duo brachia dorſalia rubra emittens, quibus iunctus eſt labiis 4 ſe circumdantibus; ſubtus vero inſtructus eſt pede oblongo ſolidiore albo e regione aperturae triangularis teſtae. Pes hic apice cauernoſus, medio ſulcatus canaliculo ducente in corpus ipſum, vbi foramine in inteſtina dorſalia tranſeunte prolongatur. De foramine hoc proſtat papilla membranacea, quae byſſum forſitan emittere poteſt. — Ante pedem apertura amplior lamellis mollibus cincta; et in extremitate poſtica aliam minutam habere videtur. Labia 2 interiora parua, margine cirrata, antice coeunt in plicas aperturae maioris. Labia exteriora maiora ſolidiora, quaſi cruſtaceo mixta, teſtae ſuperficiem internam veſtiunt, nec tamen illi annexa, retrahi enim dilatarique pro lubitu poſſunt, nec marginibus ſuis connata, niſi poſtice ſupra ſinu acuto, et infra rotundato. Margo niger inciſſatus, ſiue branchiae nigrae duplicatae, intus plicatae, extus crenulatae, in dorſo ſpecula multa viridia nitida, quaſi totidem margaritas ſibi inſitas, tactu autem euaneſcentia, gerunt. Neruo valido antico, dorſali et pluribus minutis ad cardinem valuulas arcte claudere poteſt.

HABITAT in fundo lapideo ſinuum, raro obuius.

VSVS. Editur quidem ab incolis, ſed raro. Difficulter etiam coquitur: cum teſta enim viuus vaſi coquinario immiſſus vi elaſtica exſilit.

Obſ.

Obſ. Inter collectanea mea groenlandica occurrit etiam valuula Pectinis minoris, praecedenti ſimilis, quae 15 tantum lineas longa, aurita, alba, externe circulis interruptis rubicundis notata, tam interne quam externe ſulcata, radiis eleuatis conuexis laeuibus, diſtantioribus, interſtitiis ſ. ſulcis ipſis ſcabris, apertura ad aurem 6-dentata; forſitan concha Faun. Suec. 2327 inter ſepoſita memorata? Valuula oppoſita autem deficiente hic ſeponere cogor.

417. MYTILVS EDVLIS.

Mytilus teſta laeuiuſcula violacea, valuulis antice ſubcarinatis, poſtice retuſis, natibus acuminatis.

Mytilus edulis, Syſt. nat. I, 1157. Faun. Suec. 2156. Müll. prodr. 3013. Brünn. Spol. mar. adr. pag. 108.
Muſling, Eg. 51. Gl. 133. And. 175. Bom. V, 469.
Muſcheln, Cr. 131.
Kragefkjæl, Ström, I, 198. Pont. II, 265.
Kræklingur, Ol. 70. 1010.
Concha teſta oblonga laeui ſubviolacea, It. Wgoth. 170.
Concha mytilus dicta, It. oel. 43.

GROENL. *Uilok*, *Killiortout*.

Hic omnibus notus occurrit ad littora maris, iam in fiſſuris rupium, iam in fundo argilloſo maior. ſtupenda multitudine. Vidi $3\frac{1}{2}$ vnc. longos. Variat niger, teſtaceus, virideſcens, viridi nigroque marmoratus, decorticatus autem ſemper coeruleo-violaceus. — *Teſta* interne ſaepe tuberculata cruſta lapidea; nec raro margaritae immaturae albae in illa occurrunt, quin imo in ventriculo ipſo vermis. Ibi etiam ſemel margaritam azuream,

cuius diam. $2\frac{1}{2}$ lin., infra planam, ſupra conuexo-gibbam offendi.

Licet ſaepiſſime illum attendi, nunquam victum eius obſeruare potui. Animalcula quidem illi appropinquare vidi, ſemper autem intacta: hinc aqua ſola, animalculis infuſoriis ſub fluxu refluxuque maris magis minusque foeta, illum viuere ſuſpicor. Fixus partem latiorem erigit, carinatam extus, obtuſiorem rupi, vertens. Byſſo ſuo aureo non tantum corporibus mortuis, ſed etiam viuis teſtaceis et praecipue ſimilibus ſuis ſe affigit, ſociabilis. Si diuellatur, pedem ſuum emittendo, prolongando, remotiora complectendo momento iterum contrahendo, reliquum poſt ſe trahit, beneque ſatis mireque incedit.

Viuiparus eſt: verno enim tempore pullos minutiſſimos vix capitulo acus maiores, matri ſimillimos, in cavitate teſtae ad cardinem quieſcentes ſaepe offendi.

VSVS. a) Hoſpes editur ab incolis coctus. b) Oculis lippis laborantes etiam paucos, vt remedium, crudos comumunt. c) Teſta vt inſtrumentum raſorium adhibetur. d) Eſt praeterea cibus vulgatiſſimus *canis domeſtici*, *lagopi*, *corui coracis*, *anatis ſpectabilis molliſſimae*que, nec non *Anarrhichae lupi*.

418. MYTILVS DISCORS.

Mytilus teſta ouali cornea ſubdiaphana, antice longitudinaliter, poſtice transuerſaliter ſtriata.

Mytilus diſcors, Syſt. nat. I, 1159. Müll. prodr. 30. 4.

Eine ganz kleine blaue in die Länge und Queere gereifte Muſchel, Cr. 132.

GROENL. *Bibibiarſuk*. Et ſic ſequens.

DESCR. Long. $2\frac{1}{2}$-22 lin; lat. $1\frac{2}{3}$-$13\frac{1}{2}$. *Teſta* [illegible] ſubdiaphana, (maxima tamen opaca magisque calcarea,

carea,) interne externeque glabra oualis, extremitatibus rotundatis, poſtica paulo anguſtiore, lateribus fere rectis, conuexa, ventricoſiuſcula, ſtriata ſtriis oualibus ſecundum figuram teſtae, appoſitiones paſſim formantibus. — De natibus ducitur linea ſubcarinata obliqua antrorſum ad marginem exteriorem: ante quam area magis ventricoſa, notata ſtriis minutis (iuniorum magis, maiorum vix, conſpicuis), longitudinalibus, ſ. eandem ac linea dicta tendentiam habentibus. Poſtice etiam in parte pone nates ſtriae transuerſae vndulatae notabiliores, et in omnibus obuiae. Nates obtuſiuſculae parum reflexae, poſticae, ita tamen, vt parua pars teſtae poſt illas promineat. Cardo cartilagineus ante, non poſt, nates; ante quem margo teſtae interne crenulatus ſ. ſubdentatus: ſic etiam margo poſticus, vbi ſtriae transuerſae locum habent. Color viridis dominatur; in plerisque tamen diſcus vel fuſceſcens vel curuis lineis, fuſcis mixtus, in maximis niger, marginem ſolum viridem relinquit. Interne albicat viridi tinctura. Maximi ſi decorticantur, albi cretacei conſpiciuntur. *Vermis* ſimilis mytilo eduli; ſed pedem album, labia fulua, branchias et aperturam anticam brunneas, dorſumque fuſcum habet.

HABITAT in ſcopulis maris byſſo ſe affigens.

VSVS. Editur cum praecedente raro ab incolis; eſt autem eſca vulgaris *anatis molliſſimae*, *ſpectabilis*, *hyemalisque*.

419. MYTILVS FABA. *

Mytilus teſta ouali rufa ſtriata, margine crenulato.

Mytilus Faba, Müll. prodr. 3015.

DESCR. *Teſta* ſtatura praecedentis, ſed paulo ventricoſior, craſſior, licet ſubdiaphana, laeuis, glaberrima, praeſertim interne, vbi nitorem margaritaceum habet.

Striae ouales in hac magis obſoletae, et appoſitiones teſtae diſtantes ſolae fere conſpiciuntur; ſed alias ſtrias confertiſſimas habet vt radios de natibus in peripheriam totius teſtae currentes; quae marginem omnem (ſola parte ligamenti cartilaginei excepta,) crenulatum faciunt. Color rufus; decorticatae albus. Vermem non vidi.

HABITAT in ſcopulis maris byſſo aeneo ſe affigens.

Eſca eſt *anatis hiemalis* et *hiſtrionicae*.

420. CHITON MARMOREVS. *

Chiton teſta octoualui ſubcarinata punctata ſtriata, corpore ochreo.

Chiton ruber, Syſt. nat. I, 1107. Müll. prodr. 3018?

Chiton punctatus, Act. Nidr. III, 434. tab. VI. f. 14. Faun. Suec. 2119. Bom. I, 524.? *)

Krebsartig Inſect wie eine Raupe geſtaltet, Cr. 131.

Thriſtrendingur, Ol. 1008.

GROENL. *Terkeingak*. Et ſic ſequentes.

DESCR. Long. $5\frac{1}{2}$ - $18\frac{1}{2}$ lin., lat. $2\frac{2}{3}$ - $6\frac{1}{2}$ lin. *Teſta* craſſa oblongo-oualis, glabra, punctis confertis eminentibus vix ſcabra, antice paulo latior, conuexiuſcula ſubcarinata, carina tamen ante extremitates deſinente, compoſita ex 8 valuulis retrorſum imbricatis, (ita vt poſtica ſemper anticae ſubiecta ſit lobis 2 acuminatis lateralibus,) margine antico rotundatis, poſtico ſubſinuatis, carinae apice tamen medio prominente ſtriis minutis marginis anticae figuram deſcribentibus ſtriatis. Valuula poſtrema tamen a reliquis differt, quod tam poſtice quam antice rotundata ſit, et ſtrias totum circuitum deſcribentes habeat.

*) His enim locis *Chiton punctatus* quidem nominatur; *Chiton* autem *ruber* deſcribitur.

beat. Totam teſtam cingit limbus humilior, in dentes obtuſos 32 diuiſus, exque his 10 in valuula prima, totidem in vltima, et 1 vtrinque in reliquis, numerantur. Pro fiſſura ſingula limbi carinula leuis dorſalis obliqua in ſinum poſticum valuulae, centrum autem vltimae, percurrit: ſic in valuula prima et vltima 9, et in reliquis 2 tales conſpiciuntur; obſeruandum tamen, quod primae et vltimae vix notabiles ſint, reliquae vero optime. His dentibus valuulae pallio membranaceo vermis circumcirca exſtanti inſertae ſunt, nec alio modo connexae. Color ex rufo, albo et virideſcente marmoratus, carina dorſi margine poſtico lateralique valuularum plerumque candidioribus. Interne teſta polita pulchre coccinea, limbo albo - virideſcente. *Vermis* ochreus *), oblongus, antice rotundatus, poſtice attenuatus, more limacum pedem craſſum habet, et capite inſtructus eſt ſemiorbiculari, poſtice nempe truncato, angulis tamen lateralibus productis in tentacula 2 ſpuria (alia enim non vidi, licet ſaepiſſime viuos contemplatus ſim). Os ſubtus rugoſum, cruſtaceum, denticulis internis. Super caput ſubſtantia carnoſa ſubrubra, per quam canalis de orificio in inteſtina ducitur, ſeriebus 2 ciliarum ſ. branchiis nigris, aliis 2 minoribus albis interiectis, inſtructus. Inteſtina deinde nigra contortuplicata ſequuntur vsque in anum, qui ſupra caudam tuberculo perforato ſe prodit, prolongata. Lamellae etiam pingues croceae vel ochreae, ſine dubio hepaticae, pone inteſtina iacent. — Superne in dorſo nerui plures in peripheriam teſtae ducti valuulas cum ver-

*) Rubrum nunquam vidi: hinc dubito, an re vera ſit *Chiton ruber* auctorum: ſi enim *corpore rubro* vermis, non teſta, intelligatur, ſane alius eſſe debet. Nec perticebo, quod in oſtreis noruegicis huic ſimilem corpore rubro viderim, nec tamen eundem: obſtat enim praeter alia margo pallii ciliatus, quod in groenlandico non ita; forſitan igitur hic potius quam ille pro Chitone rubro habendus.

me coniungunt Cingitur alias vermis labio ſupero, ſ. pallio molli plicabili ad latera demittendo, quoties ſe vult affigere more patellarum, et extra illud vt limbus extimus locum habet pallium membranaceum dictum, cui dentes valuularum inferti ſunt, faſciatum faſciis latis rufis et virideſcentibus transuerſis.

HABITAT in lapidibus marinis, a littore remotis, frequens.

Incedit lente in humido, non in arido. Quieſcens ſe arcte lapidi affigit planatus limbo ampliato. Teſta tam compoſita ſe facile incuruare, dorſo incumbens etiam vertere poteſt.

Saepe occurrit in ingluuie *anatis molliſſimae ſpectabilisque.*

421. CHITON ALBVS.

Chiton teſta octoualui laeui, dorſata, corpore albo. *)

Chiton albus, Syſt. nat. I, 1107. Müll. prodr. 3019. Act. Nidr. IV, 54. O.

DESCR. Long. $4\frac{1}{2}$ lin., lat. $2\frac{1}{2}$. *Teſta* oblonga, laeuis, glabriuſcula, antice poſticeque rotundata, eiusdem fere latitudinis, depreſſa, dorſo acuminato. Nudo oculo ſtriae non facile conſpiciuntur; lenticula autem ſi inſpiciatur, hae cum punctulis et carinulis apparent, vt in antecedente. Valuulae octo, quarum prima a reliquis differt, quod poſtice emarginata ſit ſ. medio ſinuata, illae autem magis transuerſae. Structura ceterum eadem ac praecedentis. *Vermis* etiam illi ſimilis, et vna cum teſta pallioque albus.

HABITAT

*) Quod huius valuula prima poſtice emarginata ſit, non pro nota characteriſtica aſſumi poteſt: conuenit enim praecedenti ſequentique aequo iure.

HABITAT cum praecedente rarior, habetque mores eius.

422. CHITON CINEREVS.

Chiton teſta octoualui laeui, carinata, corpore rubicundo limbo ſubciliato.

Chiton cinereus, Syſt. nat. I, 1107. Müll. prodr. 3020.

DESCR. Long. 2 lin., lat. $1\frac{1}{3}$ lin. *Teſta* ouata antice anguſtior, laeuis, depreſſa. In dorſo ſulci 2 longitudinales leues carinam intermediam eleuatam efficiunt. — Praeterea ad marginem teſtae eminentia leuis figuram eius circumcirca deſcribit. Valuulae 8 vt in praecedente formatae; ſtriae etiam minutae et carinulae obliquae ſecundum dentes marginis locum quidem habent, vix tamen nudo oculo conſpicuae. *Vermis* praecedentibus ſimilis; hoc tamen ſingulare habet, quod margo pallii membranacei ſubtiliter ciliatus ſit. Color tam vermis quam teſtae in viuis rubicundus vix cineraſcens, in mortuis ſ. arefactis autem fere cinereus. Tale exemplar credo igitur perilluſtri Linnaeo ab indagatore Kolnigio communicatum eſſe, ceteris ſatis conuenientibus.

HABITAT inter radices vluarum, rariſſime obuius.

423. LEPAS BALANVS.

Lepas teſta conica ſulcata, fixa, operculis acuminatis.

Lepas balanus, Syſt. nat. I, 1107. Faun. Suec. 2122. Müll. prodr. 3022.

Lepas teſta conica ſulcata operculo acuminato, It. Wgoth. 170.

Biergruur, Ström, I, 160, *α*. Bom. I, 305.

Hrudurkal, Ol. 1009, c. (poſterior.)

GROENL. *Katungiak.* Et ſic ſequens.

DESCR. Occurrit 14 lin. longus, diametro baſeos $14\frac{1}{2}$, verticis 8 lin. *Teſta* haec erecta albida conſtat valvulis 6, inaequaliter ſulcatis, ſurſum acuminatis, diſtantibus, baſi connexis, interne celluloſis, cum appendiculis interſtitialibus humilioribus deorſum acuminatis, laevibus, vix conſpicue ſtriatis transuerſim, quibus valuulae inter ſe iunctae ſunt. Valuula poſtica latior, dein antica, 2 laterales poſticae, et denique 2 laterales anticae, quae omnium anguſtiſſimae. — Opercula 4, 2 poſticis oblique depreſſis, transuerſim ſulcatis, 2 anticis falcatis, compreſſis vix ſtriatis, acumine retrouerſo terminatis. Baſis calcarea, integra, arcte adnata, plerumque concaua, et vndulatim ſtriata. Sub operculo teſta interne amplior.

HABITAT in lapidibus marinis ſub termino aeſtus maris, ſequenti rarior.

424. LEPAS BALANOIDES.

Lepas teſta conica truncata, fixa, operculis obtuſis.

Lepas balanoides, Syſt. nat. I, 1108. Faun. Suec. 2123. Müll. prodr. 3023.
See-eichel, Cr. 132. et contin. 311. **
Bjergruur, Ström, I, 160, β.
Hrudurkall, Ol. 1009, c. (prior.)
Balanus paa Muſlinger, And. 190. *

DESCR. Valde variat magnitudine et ſtatura: iam enim occurrit in ſiſſuris rupium amplioribus vt conus oblique truncatus, latitudine baſeos longitudinem ſ. altitudinem parum ſuperante; iam depreſſo-conuexa, in locis aequalibus, latitudine multo excellentiore; iamque ſubcylindrica, elongata, in locis anguſtis, altitudine ſaepe triplo maiore, nec tamen praecedentis magnitudine illam

illam vidi. — *Testa* praecedenti similis, sed albior, laevior, iam sulcata sulcis obtusis, iam vix striata; valuulae etiam operculaque semper obtusa et basis membranacea. *Animal* granulatum flauicat, et, vt praecedens non multum a sequenti describendo differt, licet nunquam proliferum mihi obuenerit.

HABITAT sine numero in rupibus marinis, mytilis et aliis corporibus testaceis, intra limites fluxus refluxusque maris.

Sub aestu maris quiescit clausa; sub fluxu autem brachiis suis ciliatis exsertis continuo complectens animalcula obuia capere videtur. Saepe mytilos edules tam arcte obducunt hae lepades, vt vix aperiantur.

425. LEPAS BALAENARIS.

Lepas testa subconica, lobis 6 eleuatis, rugosis, quadripartitis; operculo membranaceo bidentato.

Lepas balaenaris, Müll. prodr. 3024.
Balanus paa Hvalfisk, And. 190. Bom. I, 307.
Hvalluus, Bom. III, 615. (prior.)
Hrudurkall, Ol. 1009. b.

GROENL. *Keporkab-Katungiarsoa.*

DESCR. Altitudo 15 lin. diameter baseos maximus 19 et verticis 14 lin. *Testa* glabra alba, crassa, fere cylindrica, sursum tamen lentissime angustata, superne truncato-rotundata, obtusissima, circuitu oblongiusculo. Constat valuulis 6 fere aequalibus, (anticis tamen paulo minoribus,) similibus, arcte iunctis, quae externe indicantur lobis totidem eleuatis, basi latioribus, sursum angustioribus versus aperturam testae flexis, transversim rugoso-granulatis, et sulcis 3 longitudinalibus quadripartitis. Interstitia loborum, quibus iunguntur, humiliora, laeuia, tranuersim minute striata, oppositam habent figuram. — Apertura supera fere oualis tegitur

membrana luteſcente laxa, operculis 2 teſtaceis poſteris obtuſis, quaſi dentibus, et rima antica eminente inſtructa. Interne conſpecta teſta diaphragmate medio perforato in 2 cameras concauas diuiſa eſt, quarum ſupera laevis, integra, notas tantum valuularum habens, ſcyphum refert, infera autem oſtendit cellulas 18 (3 pro ſingulo lobo externo,) compreſſas, ſurſum anguſtatas, parietibus duplicatis, et ſingula tertia cellula minore terminata. Ceterum ſubſtantia teſtae lamelloſa, lobis ex lamellis longitudinalibus, illorumque interſtitiis ex transuerſis, innumeris confectis. *Animal* ſub membrana operculari vivens, e regione dentium illi iunctum eſt, vbi ſacculus reliquo amplior humore glutinoſo fuſco impletus; inde producitur collum inteſtinale triplo longius, 12 paribus brachiorum (6 vtrinque) inſtructum, extimis longioribus magisque contiguis, et pari ſingulo communem radicem ſubcruſtaceam habente. Brachia haec omnia ſurſum intusque curuantur, compreſſiuſcula, ſubulata latere interiore ciliata. Collum terminatur lingula longa tentaculari, quae ad baſin ſubtus aperturam totum collum permeantem habet, pro ano aſſumendam. Ad baſin colli apertura maior ſupera, quae os, denticulis 4 lateralibus cruſtaceis ſerratis totidemque terminalibus mollioribus praeditum. Parietes internos teſtae (etiam cellularum) veſtit ſubſtantia mollis fuſca, et nerui laterales membranam opercularem comunicant cum membranula alia foramen diaphragmatis medii obducente. Cauitatem autem inferiorem implet cutis balaenae, cui inſidet, attracta illique arcte iuncta.

Singulare hoc etiam habet Lepas deſcripta, quod in maioribus de oris cellularum inteſtinula longa, membranacea, medulla alba, et ſacculo oblongo bifido terminata, progerminare conſpiciantur. Lobi terminales ſacculi huius perforati ſunt; ceterum ſacculus animal integrum continet, membrana bidentata, apertura, brachiis, reliquisque omnibus, animali maiori teſtae ſimile.

Nul-

Nullus dubito, esse prolem maioris per cellulas interiores penetrantem, demumque forsitan maturiore aetate testam induturam. — Alius illa pro tritonibus Syst. nat. I, 1092 agnoseret, descriptione satis quadrante. Talis saltem ramificatio conspectum satis mirandum praebet.

HABITAT in Balaena Boope, etiam in iuniore, maxime in sulcis pectoris et pinnis pectoralibus. *)

Est candore suo nota piscatorum, quam sequntur Boopem perfodiendo. Nec minus inseruit pisci: verme enim sub vmbra cymbae appropinquantis lanceaeque se momento retrahente, hoc in cute sua experiens pertere-facta se submergit saepeque euadit.

426. PHOLAS TEREDO.

Pholas tubulo fragilissimo, cardinis dente acuto.

Pholas teredo, Müll. prodr. 3034.
Teredo navalis, Syst. nat. I, 1267. Faun. Suec. 2087.
Jaegte-Orm, Ström, I, 176.
Trae-orm, Skib-orm, Pael-orm, Bom. VIII, 208.
Tremadkr, Ol. 611.

GROENL. *Kerksub-kuma*.

HABITAT in lignis de mari groenlandico in littora proiectis, illaque destruit.

427. ISIS HIPPVRIS.

Isis stirpe corallina, articulis striatis, geniculis attenuatis.

Isis

*) Hoc expertum habeo, licet Gl. 133 autor, Crantzio contradicere cupiens, illud omni experientiae groenlandicae obstare proclamet, et potius omnes lepades balaenares in musceis asseruatas aliunde, quam de balaenis acceptas assumat. Loquitur autem de *Balaena Mysticeto*.

Iſis hippuris, Syſt. nat. I, 1287. Faun. Suec. 2220. Müll. prodr. 3035. Act. Nidr. IV, 70. tab. IV fig. 7. 8.

Marmenils Smide, Ol. 447.

GROENL. *Sarpangaurſæt.*

DESCR. 2 vel 3 vnc. altiorem non vidi, nec linea craſſiorem. *Stirps* ramoſa, articulata, dichotoma, corallina, alba vel flauicans, rarius rubicunda. Articuli teretes, deorſum attenuati, geniculis mollioribus coarctatis; alios iam ſolitarios, iam duplices, apici ſuo annexos habent, ſuntque longitudinaliter ſtriati et perforati poris oblongis, transuerſis, alternis, quorum margo parum eminet. Si genicula diſrumpantur, plerumque impreſſionem ſtellae 6-radiatae relinquunt; ſi vero articulus ipſe frangatur, ex cellulis circa 12 internis centrum ſolidum cingentibus conſtare conſpicitur. Articuli terminales ramorum apice ſuo nullam ſtellam oſtendunt; ſunt vero ibi vt in reliqua ſuperficie perforati.

HABITAT in locis profundis maris fixa; nec raro inde ad littora proiicitur.

Saepius *fiſtulanam ramoſam*, *ſertulariam repentem* aliasque ſertularias ſibi annexas habet.

428. TVBIPORA SERPENS.

Tubipora tubulis cylindricis erectis breuiſſimis diſtantibus axillaribus, baſi repente dichotoma divaricata.

Tubipora ſerpens, Syſt. nat. I, 1271.

DESCR. Huius varietatis maioris rudera ſemel tantum vidi ſub lapide marino. — Baſis poroſa calcaria cum tubulis raris ſine ordine ſparſis, et quidem mutilatis, reliqua tantum erat.

Minor varietas ſaepius occurrit in plantis et teſtaceis marinis. Coral-

Corallum repens teretiuſculum, (ſaepe tamen diſforme explanatum varieque anaſtomazatum, praeſertim illud, quod in teſtaceis occurrit,) dichotomum ramulis diuergentibus, pagina inferiore corpori peregrino adnata laeui papyracea ſ. ſquamoſa, minime ſtriata, ſuperiore tubulis ſolitariis obſita. Tubuli hi breues, erecti, graciles, ſe inuicem, quatenus conſpicui ſunt, minime tangunt, ne quidem baſi, quae integra, nec ſtriata; ſi autem corallium frangatur, interne omnes connexi conſpiciuntur illud poroſum efficientes. Longitudo totius maſſae 3 lineas, et tubuli $\frac{1}{2}$ lin., vix ſuperat. Latitudo minus variat. Color albus, interdum flauicans.

429. TVBIPORA FASCICVLARIS.

Tubipora tubis filiformibus faſciculatis, lateribus paſſim anaſtomozantibus.

Tubipora faſcicularis, Syſt. nat. I, 1271.

DESCR. Vnicum minutum exemplar offendi ſuper ſerpulam contortuplicatam. Tubuli anaſtomozationum ſolitarii, faſciculorum autem baſi connati. Reliqua vt Syſt. nat. l. c. hinc illam eſſe nullus dubito. Color albicat.

430. TVBIPORA PENICILLATA. *

Tubipora corallio cauleſcente, cacumine incraſſato, ex tubulis verſus baſin connexis formato.

DESCR. Corallium minutum, album erectum, teres, cauleſcens, baſi vix penna paſſerina craſſiore, verſus cacumen incraſſatum, penicillum refert: totum enim caulem percurrunt tubuli ſurſum tendentes baſin verſus connati, apicem vero diſtantes, ita vt caulis ſtriatus et radiatus euadat; hi tubuli verſus cacumen multiplicantur in faſciculos plures minus diſtantes, hinc illud incraſſatum. Longitudo 3 lin., et latitudo cacuminis 1 $\frac{1}{2}$ lin. Praecedenti affinis.

HABITAT in teſtaceis marinis radicata.

431. TVBIPORA FLABELLARIS. *

Tubipora corallio depreſſo flabelliformi adnato, tubulis paralleis connatis radiato.

Tubiporæ catenulari Syſt. nat. 1270. proxime accedit, nec tamen eadem eſſe poteſt, quod ex deſcriptione patebit.

DESCR. Corallium cineraſcens minutum depreſſum ſegmentum circuli refert, poſtice piſtillo breuiſſimo prolongatum, vnde in peripheriam ducuntur radii tubulis eminentibus ſimplici ordine connatis formati; peripheria ipſa pluribus tubulis faſciculatis conſtat. Pagina inferior corallii laeuis, ſtriis radiata. Latitudo ſ. chorda $1\frac{1}{2}$ lin. et longitudo de piſtillo in peripheriam 1 lin. vix ſuperat.

HABITAT frequens in folio vluae maximae, cui pagina ſua infera arcte adnata eſt.

432. MADREPORA VERRVCARIA.

Madrepora ſimplex, ſtella orbiculari, planiuſcula, ſeſſili, diſco cylindris floſculoſo, limbo radiato.

Madrepora verrucaria, Syſt. nat. I, 1272.

GROENL. *Katungiak.*

DESCR. Diam. 2 lin. — Variat albus, vel flauicans. Tubuli diſci per radios plerumque diſpoſiti, verſus limbum vero magis aggregati, ſubcompreſſi, apice acuminati in aculeos 2 vel 3 diuiſi ſuperficiem echinatam reddunt. In aliis interſtitia radiorum integra, in aliis, et quidem maioribus, poroſa, quaſi reticulata. Reliqua vid. Syſt. nat. l. c.

HABITAT in plantis marinis et cellulanis variis, quibus planitie ſua inferiore adhaeret, frequens ſatis.

Varie-

Varietas flauicans in vluis praeſertim obuia, in quarum foliis impreſſiones orbiculares relinquit. Si ramulis tenellis affixa ſit, aut circum illos conuoluta, cylindrum ſ. annulum oblongum format, aut duae oppoſitae annexae ramulum inter ſe ſeruant.

433. MADREPORA DAMICORNIS.

Madrepora ramoſa compoſita verrucoſa, poris ſparſis confertis immerſis, margine ſolo crenatis.

Madrepora damicornis, Syſt. nat. I, 1279. Müll. prodr. 3038.
Millepora, Ström, I, 142, β. Pont. I, 258, 6.

GROENL. *Auſiæn-Udluee.* Et ſic plura corallia.

HABITAT in locis profundis maris.

Ramulos mutilatos in ingluuie anatis molliſſimae tantum offendi.

434. MADREPORA PARASITICA. *

Madrepora compoſita plana ſolida adnata, ſtellulis minutis confertis impreſſis centro prominulo.

GROENL. *Katungiak.*

DESCR. Affinis milleporae polymorphae, etiam polymopha, ſolida, calcarea, (ſubſtantiae tamen lapideae propius accedens,) rubicunda (extra aquam vero ſenſim albeſcens): differt tamen, quod ſemper tenuis planata, nec tuberculata, vt cortex lapideus teſtacea obducens. In diſco etiam impreſſiones orbiculares vix nudo oculo conſpicuae, centro prominulo et limbo integro (in eroſis exemplaribus vero centro perforato et limbo eminente,) confertae, nec tamen confluentes, deteguntur.

Quaedam minus perfectae ſtellulas viſibiles non habent. Iam ouata, iam oblonga, iamque foliacea occurrit. HABI-

HABITAT in teſtis marinis variis; in patellis, balanis, myis, mytilisque illam offendi, etiam in lapidibus.

435. MILLEPORA TRVNCATA.

Millepora cauleſcens dichotoma erecta ramis truncatis.

Millepora truncata, Syſt. nat. I, 1283. Müll. prodr. 3043. Act. Hafn. X, 258. tab g. fig. 10.
Millepora, Ström, I, 142. δ.

DESCRIPT. Huius ramulum inter alia maris proiecta, in littore ſemel offendi. — Teres erat, glaber et albicans, paſſim annulis anguſtioribus, quaſi articulata articulis inaequalibus. Apex obtuſus obſolete ſtellatus. Pori numeroſi vbique ſparſi figuram calcei equini ſibi impreſſam habere videntur; et interſtitia pororum punctis minutis contiguis punctata. Craſſities lineae, et longitudo 9 lin. —

436. MILLEPORA LICHENOIDES.

Millepora cauleſcens decumbens bifarie dichotoma, ramis dentaculatis binis poroſis ſcabris.

Millepora lichenoides, Syſt. nat. I, 1283. Müll. prodr. 3046.
Coral, Pont. I, 258. No. 7. 8. tab. 14. fig. D. E.

DESCR. Corallium album, 6 lin. longum et $\frac{1}{2}$ lin. craſſum ad baſin, interne poroſum ob tubulos externos totum corallium permeantes. Radix planata. Stirps decumbens ſubtus laeuis, ſtriis minutis longitudinalibus papyraceam ſe oſtendit; ſupra vero multis poris mucronatis ſ. tubulis breuibus recuruatis ſcabra. Tubuli hi connati, per ſeries tranuerſas laterales diſtantes, 4 vel 5 ſingula ſerie, diuiſi, baſi ſua latera corallii percurrunt illa

illa ſtriata efficientes, et ſupra meditatem nudam glabram relinquunt. — Reliqua vid. Syſt. nat. l. c.

HABITAT in lapidibus et plantis marinis, haud infrequens, ſed ſemper minuta.

437. MILLEPORA RETICVLATA.

Millepora membranacea, ramis anaſtomozantibus depreſſis linearibus, hinc poris prominentibus aſperis.

Millepora reticulata, Syſt. nat. I, 1284.

DESCRIPTIO Linnaei conuenit, cui addere lubet, quod pagina inferior nitida, ſtriis radiata; ſuperior porosa poris magnis ſatis, quorum interſtitia alterna conuexa, alterna acuminata: hinc ſuperficies ſcabra. Color albus.

HABITAT ad radices vluarum maiorum fixa. Rara. Celleporis affinis.

438. MILLEPORA POLYMORPHA.

Millepora cruſtacea polymorpha ſolida, poris nullis.

Millepora polymorpha, Syſt. nat. I, 1285. Müll. prodr. 3048.
Biergruur, *Söekul*, Ström, I, 161, 2.
Kalkruur ſ. *Apora*, Act. Nidr. IV, 161 tab. XV. f. 1-3.
Auſiæt-Vllue, Gl. 70.

GROENL. *Katungiak*, *Auſiæn-Udluee*. Et ſic ſequentes.

Frequens rupes marinas veſtit. Sub tuberculis ſuis lacunas habet, quas ſaepe ſcrutatus ſum, nec tamen veros incolas detegere potui: pleraeque enim vacuae erant, alias occupauerant Nereidum minutae ſpecies et Mya byſſifera, omnes exitum habentes.

439. CELLEPORA SPONGITES.

Cellepora lamellis simplicibus vndulato-turbinatis, cumulatis, cellulis seriatis; osculo marginato.

Cellepora Spongites, Syst. nat. I, 1286.

Variat rubra et alba. Dum cellulae alternae per series striis signatas digestae, conuexiusculae, osculum declinatum et marginatum habent, aperturas calamorum organi musici quodammodo referunt.

OCCVRRIT radicibus vluarum maximarum adnata, in consortio milleporae reticulatae, cui affinis.

440. CELLEPORA VERRVCOSA.

Cellepora cellulis subrotundo-glomeratis, ouatis, ore subtridentato.

Cellepora verrucosa, Syst. nat. I, 1286.

DESCRIPT. Cellulae minutae vix $\frac{1}{3}$ lin. longae prominulae, vrceolatae, compressiusculae per series spirales glomeratae alternae. Oscula in mediis media, eminentiora, in marginalibus terminalia, lynceo inspecta denticulos 3 minutos ostendunt. Superficies punctis minutissimis porosa, et in nonnullis porus maior (rarius 2) osculo adiunctus apparet; qui naturalis, an violatione aliqua factus sit, minus patet.

HABITAT in testaceis marinis. Super serpulas semel tantum stratum minutum inueni.

441. CELLEPORA CILIATA.

Cellepora cellulis conuexis, ore multi-dentato.

Cellepora ciliata, Syst. nat. I, 1286.

DESCR-

DESCR. Stratum planum membranaceum cineraſcenti-album. Cellulae $1\frac{1}{2}$ lin. longae, conuexiuſculae, oblongae, approximatae ſubalternae ordinibus rectis. Os patulum oblongum, margine ciliato dentibus longioribus 5 ciliis 7, 8 vel 9; nec numerum conſtantem reperi.

HABITAT in fuco caprino, ouino et ſimilibus, arcte adnata. Raro obuia.

442. CELLEPORA HYALINA.

Cellepora cellulis ſubgloboſis diaphanis, oré obliquo ſimplici.

Cellepora hyalina, Syſt. nat. I, 1286.

DESCR. Stratum album diaphanum, verrucoſum, polymorphum, iam ſuborbiculare, iam cylindricum, iam conuexum, iamque planum, reſpectu corporum, quibus adnatum eſt. Cellulae confertae bimorphae, quae enim diſcum occupant cumulatae, ſubgloboſae orificio obliquo, medio, laterali, vel etiam terminali infero fere condito, variant; margini autem propiores ſubcylindricae, iacentes, ore anguſtato terminali limbum quaſi radiatum faciunt, infimis dimidiatis tantum paginam inferiorem ſtrati formantibus. Oſcula ſimplicia, ſine dentibus, vixque marginata.

HABITAT frequens in plantis, teſtaceis, et cellulanis marinis, quae illa incruſtantur.

443. CELLEPORA NITIDA.*

Cellepora cellulis ſubcylindricis, pellucidis, annulatis, ore ſimplici terminali.

DESCR. Praecedenti ſimilis, ſed ſtratum paruum planum, album, nitidiſſimum, pellucidum. Cellulae diſci minus aggregatae, et omnes ſubcylindricae; praeterea ſtriis annularibus 4 vel pluribus dignoſcuntur, quibus

cellula ſingula totidem appoſitionibus quaſi aucta eſt, exterioribus ſemper minoribus. Oſculum terminale, decliue, margine inferiore ſcilicet prominente.

HABITAT in vlua delicatula et aliis algis minoribus marinis.

444. CELLEPORA ANNVLATA. *

Cellepora cellulis oualibus ventricoſis, punctato-annulatis, oſculo ringente ſubquadridentato.

An *Eſchara annularis*, Pall. Zooph. 13. vt ſynonymon dubium *Celleporae verrucoſae* a Linnaeo Syſt. nat. citata?

DESCR. Cellulae ſeparatae $\frac{1}{2}$ lin. longae, $\frac{1}{3}$ latae, iam ſolitariae, iam aggregatae (nec tamen connatae), ouales, ventricoſae, depreſſiuſculae, glabrae, rubentes, ſtriis circiter 5 annularibus poroſis ſupra angulo acuto antrorſum verſo terminatis, hinc obſolete dorſatae. Osculum terminale marginatum, ringens, acumine medio ſupra infraque prominet, et denticulis 2 longioribus inferis erectiuſculis inſtructum, hinc quaſi quadridentatum. Pulcherrima et perfectiſſima haec omnium viſarum.

HABITAT in fucis et vluis minoribus, lepadibus et lapidibus marinis haud infrequens.

445. FLVSTRA FOLIACEA.

Fluſtra foliacea ramoſa, laciniis cuneiformibus rotundatis.

Fluſtra foliacea, Syſt. nat. I, 1300. Müll. prodr. 3051. Faun. Suec. 2231.

GROENL. *Sarpangaurſæt.*

DESCR. $1\frac{1}{2}$ vnc. longiorem non vidi. — Eſt eburnea, radicata, foliacea, foliis compreſſis latiuſculis more

re ſuci ouini in plures lacinias cuneiformes obtuſas diuiſis. Folia haec conflata ſunt cellulis alternis longitudinaliter ſeriatim connatis, quarum interſtitia porosa. Cellulae hae ſubellipticae, pagina altera conuexo - planae, continuae apparent; altera vero imbricatae concauae, marginibus vtrinque tridentatis, antice operculo conuexo fornicatae, et interſtitiis ſuis denticulo ſubulato deciduo inſtructae. Pagina haec ſaepius flauicat. Variat rubens.

HABITAT in locis profundis maris, haud infrequens.

446. FLVSTRA MEMBRANACEA.

Fluſtra plano - foliacea indiuiſa adnata, hinc cellulis quadrangulis oblongis.

Fluſtra membranacea, Syſt. nat. I, 1301. Müll. prodr. 3054.

GROENL. *Katungiak.* Et ſic ſequentes.

DESCRIPT. Membrana cinerea vel albicans, tenuiſſima, conflata cellulis quincuncialibus, oblongis, fere ſexangulis, conuexiuſculis. Oſcula quadrangula, oblonga, marginata, bidentata, planata, vix aperta ſ. ſub partem conuexam penetrantia, niſi forſitan rima anguſta.

Lapidibus et teſtaceis marinis arcte adnata occurrit, raro.

Quae in lapidibus, cellulas valde planatas habet.

447. FLVSTRA LINEATA.

Fluſtra plano-foliacea adnata, hinc cellulis oualibus ciliatis.

Fluſtra lineata, Syſt. nat. I, 1301. Müll. prodr. 3055.

Millepora Eſchara, Faun. Suec. 2217.

DESCRIPTIO Syſt. nat. data conuenit, ſed ſpatium inter ſeries non ſemper latitudinem cellulae habet. Impreſſura oſculi amplitudinem fere totius cellulae habet, et ciliae 8 vel 10 ab vtroque latere conniuentes aperturam fere claudunt. Color praecedentis.

HABITAT cum praecedente, frequentior, etiam in cellulanis et plantis marinis obuia, tunc plerumque minor eminentior magisque alba.

448. FLVSTRA HISPIDA. *

Fluſtra plana coriacea adnata, hinc cellulis coarctatis diſtantibus ciliatis.

DESCRIPT. Membrana tenuiſſima coriacea bibula, fulua, in qua cellulae ſ. eminentiae cellulas aemulantes, ſubalternae, a ſe inuicem ſatis remotae, oblongae, anguſtae, margine altero ciliis 4-6 longis mollibus armatae: hinc tota ſuperficies hiſpida apparet.

Veſtit fucos nodoſos, illis arctiſſime adnata, nec facile, ſi arida, ab illis ſoluitur ob fragilitatem ſuam; madefacta autem tenacior euadit et ſine laeſione diuelli poteſt. — Frequens ſatis.

449. TVBVLARIA PENICILLVS.

Tubularia criſtata, cirris pectinatis, pauoniis, tubulo curuato, laeui.

Tubularia penicillus, Müll prodr. 3063.
Sabella penicillus, Syſt. nat. I, 1269.
Penicillus melitenſis, Mart. Conch. I, 15. 25. 75. tab. IV. f. 32.
Nierenförmige Amphitrite, Müll. v. Würm. 194. tab. 16. Martini Naturlex. II, 483. tab. LV. f. 3-5.
Söe-penſel, Bom. III, 505.

GROENL.

GROENL. *Iglulualik.* Et sic sequens.

DESCRIPTIO data Müll. v. Würm. l. c. licet in multis conveniens, in multis dum minus tuta,*) accuratiorem secundum permulta indiuidua viua formatam dare superfluum non erit.

Long. 2 vnc., lat. 2 lin. mihi occurrit. Corpus antice crassius retrorsum attenuatur, teretiusculum, sulcis transuersis in annulos circiter 56 diuisum, praeter caput caudamque. De annulo singulo vtrinque papilla minuta locum habet, quae in 20 anticis setis 2 albidis, in reliquis vnica, satis tamen visibili, sursum vergentibus armata est, et versus abdomen prolongatur eminentia angusta curuata nigra subrigida: (qua nota Amphitritis affinis videtur;) sulcus leuis longitudinalis medius supra infraque. Cauda subconica, inarmata, cylindro terminali minuto quasi prolongata, vbi anus. Color corporis pallide rubicundus, intestinis lacteis transparentibus, sed sordibus adhuc foetis griseis. In capite primum obseruantur conuexitates 2 corpori proximae quasi inflatae, albidae, supra contiguae, infra distantiores, vbi in interstitio illarum lobus triangularis locum habet. De basi interiori harum conuexitatum prominet vtrinque flabellum cirrorum pectinatorum, pennis auium haud absimilium, satis longorum, serie unica connatorum in basi s. cingulo communi rigidiusculo, inferne dehiscenti. Ceterum cirri per paria arctius supra basin connata, vt plumulae duplicatae, dispositi sunt, et rachin habent basi subrigidam, exterius mollem, vtrinque ciliatam ciliis non exacte lateralibus, sed versus paginam inferiorem approxima-

*) Ex. gr. quoad situm cirrorum, numerum pedum setoforum, et organa oris, vt alia taceam. Fatetur etiam cl. auctor scripti p. 190. se omnia secundum verba Koenigii afferre, neque ipsum vermem vidisse. Quin imo postea, ni fallor, ab ipso melius a natura informato audiui, dicta non omnino quadrare.

ximatis et antrorsum obliquatis. In flabello singulo, fere tertiam partem longitudinis corporis aequantae, 12 tales cirros numeraui, supra longiores, infra sensim breviores, et praeter illos 4 minutos infimos. Variant colore, aliis rachin totam albam et cilia rubicunda habentibus, aliis per zonas albas, rubicundas vel sanguineas, griseasque pulchre variegatis; suntque flabella haec semper porrecta, (nunquam saltem in figuram reniformem retrouersa mihi sese offerebant,) et sic orificium cingunt, includuntque; plerumque extremitatibus cirri distant, rarius inter se flexi. Inter flabella et conuexitates posticas vtrinque iacet acumen curuum rigidum rubrum vel fuscum apicibus suis, imprimis inferiore, erectum; et inter haec 2 alia concoloria minuta recta infra os antrorsum vergunt. Os anticum suborbiculare, paruum, sanguineum, margine albido, sine dentibus vel proboscide, quatenus obseruare poteram. — *Tubulus*, qui hunc vermem continet, illo fere triplo longior, sed non multo latior, retro sensim angustior, parumque flexus, constat membrana tenui pallida flauicante, tegumento argillaceo griseo obducta.

HABITAT in locis profundis maris, inter radices vluarum maiorum et sub lapidibus.

Continuo, capite suo de tubulo porrecto, cirros suos huc illucque mouet, vix autem tacta se intra tubulum recipit. Prorsus exire quidem potest, tunc vero vix regredi valet, nec extra tubulum prodire potest. Vermis admodum viuidus: per frusta enim plura diuisus viuebat, quin imo flabella diuulsa motum suum vibrantem breui continuabant.

450. TVBVLARIA FABRICIA. *

Tubularia stellata, cirris pinnatis, 6 radiis os cingentibus.

Tubu-

Tubularia Fabricia, Müll. prodr. 3066. *)

DESCR. Eſt minuta vix 6 lin. longior, nec $\frac{2}{3}$ lin. latior. *Vermis* admodum mollis, teres, medio craſſior, extremitatibus attenuatis, poſtica tamen magis exquiſite: transuerſim ſulcatus in annulos circiter 12, praeter caput caudamque, et totidem ſetis vtrinque ſubdorſalibus nitentibus intra papillas minutas retractilibus inſtructus. Cauda inarmata acuminata. Caput pone cirros nudum, vtrinque conuexum, vt in antecedente. Os anticum, cuius partes ob paruitatem vix obſeruandae; illud autem cingunt cirri 6 pinnati, quos in ſtellam 6-radiatam horizontalem expandere ſolet. Cirrus ſingulus vt plumulam ſeſe oſtendit, rachi tenerrima vtrinque arcte ciliata. Ceterum hi cirri in 2 cohortes diuiſi ſunt, ita vt 3 vtrinque baſin communem habeant. Color corporis ſordide viridis, cauda excepta, quae pallida; cirri albi. — *Tubulus*, quem inhabitat, erectus, vermi triplo longior, ex particulis terrenis argillaceisue conferuisque marinis confectus, variat colore, griſeus, viridis, vel albus.

HABITAT cum Nereide ſeticorni in littoribus marinis, etiam in fiſſuris rupium marinarum.

Sub fluxu maris cirros ſuos ſupra tubulum expanſos ſemper habet, quibus ſine dubio eſcam quaerit. Aqua leniter mota momento citius ſe retrahit et manum prehenſuram eludit, dum tubulus vacuus ſequitur hoſpite in fundo limoſo relicto. Extra tubulum ingredi non valet.

451. FISTVLANA RAMOSA.

Fiſtulana culmis ramoſis, geniculis contortis.

Fiſtulana ramoſa, Müll. prodr. 3067.

*) Vbi cl. autor (minime ipſe ego) nomine meo illam ſignauit. — Abſit igitur gloriationis vanae ſuſpicio.

Tubularia ramosa, Syst. nat. I, 1302. Faun. Suec. 2229.

Myrten- oder Tannen-förmiges Gewächs, Cr. 136.

GROENL. *Sarpangaursæt.* Et sic sequens.

DESCR. Longitudine 5 vnciarum occurrit, sed crassities stipitis ad basin vix 1 lin. et ramuli vix filum sericeum aequat. Stirps radicata, subfruticosa, fibrosa ex fistulis tenerrimis connatis quasi formata, alba, glabra, ramosissima. Ramulos efformant tubuli, subcylindrici, $\frac{1}{3}$ lin. longi, longitudinaliter striati, latere altero impressionem oblongam habentes, serie simplici concatenati geniculis contortis, demum dichotomos.

HABITAT in locis profundis maris, satis frequens.

452. FISTVLANA MVSCOIDES.

Fistulana culmis subdichotomis totis annulosorugosis.

Fistulana muscoides, Müll. prodr. 3068.

Tubularia Muscoides, Syst. nat. I, 1302. Faun. Suec. 2230.

DESCRIPTIO Faun. Suec. l. c. conuenit.

HABITAT in *fucis nodosis* et *lepade balanoide*, frequens satis, parasitica repensque. In *sertularia rugosa* et aliis congeneribus, nec non *Flustra foliacea* etiam obuia, sed candidior, simplicior longiorque.

453. SERTVLARIA ABIETINA.

Sertularia denticulis suboppositis tubulosis, ouariis oualibus, ramis pinnato-alternis.

Sertularia abietina, Syst. nat. I, 1307. Faun. Suec. 2241. Müll. prodr. 3072.

Kroka-Mare, Ol. 446.

GROENL. *Sarpangaursæt.*

DESCR. Indiuidua visa minuta, vix semiuncia longiora, glaberrima, membranacea alba, pulcherrima.

Stirps

Stirps radicata tenera in multos ramulos curuos alternos expanſos ſe diuidit. Ramuli ex tubulis paruis longitudinaliter connatis conflati; ſic ſtriati, hisque tubulis apice ſuo prominentibus, pinnati quaſi euadunt. Tubuli, ſ. denticuli tubuloſi, ſuboppoſiti, laeues, non dentati, apice perforati. Paſſim paginae incuruae ramulorum adnata ſunt ouaria ſeſſilia obouata, alba, granulata, iam integra, iam extremitate quaſi abſciſſa infundibuliformia, calices muſcorum referentia.

HABITAT minus frequens in fuco pectinato, cuius foliis innata eſt.

454. SERTVLARIA RVGOSA.

Sertularia denticulis alternis ouariis rugoſiſſimis, ramis vagis.

Sertularia rugoſa, Syſt. nat. I, 1308.

DESCR. 22 lin. longam tantum vidi. — *Stirps* radicata, membranacea fuſca erecta, nodoſo-annulata. Ramuli alterni diſtantes dichotomi extremitatibus albicant. Denticuli breues, tubuloſi, adnati, alterni, patentes, margine ſubtridentati dentibus minutis, tam in ſtipite, quam ramulis, de quibus hi conflati ſunt. Ouaria 1 lin. longa, fuſca, ouata, ſulcis annularibus profundis rugoſa, ſummitate vmbilicata, nec perforata, ſeſſilia axillaria.

HABITAT in teſtis deſtructis ad littora, raro.

455. SERTVLARIA HALECINA.

Sertularia denticulis alternis obſoletis, calicibus biarticulatis, ouariis oualibus, caulibus coadunatis.

Sertularia halecina, Syſt. nat. I, 1308. Faun. Suec. 2242. Müll. prodr. 3073.

DESCR. Vix vncia longiorem vidi. — *Stirps* membranacea, fibroſa, radicata, cauleſcens, compreſſiuſcula, ſubdichotoma. Ramuli obtuſi, hinc conuexiores, ſulco

ſulco longitudinali in duas partes parallelas diuiſi, et ſtriis transuerſis obliquis quaſi articulati, articulo ſingulo denticulo laterali prominente prolongato, denticulis articulisque alternis, illinc concauiores, vbi 2 ſeries cellularum alternarum conuexarum, ſqamulis inferis quaſi imbricatarum, vt hiatus obliquus formetur. Color albicat. Si deſtruatur, ex pluribus ſetis connatis quaſi contexta conſpicitur, hisque paſſim prominentibus, ſpinam dorſi halecis optime refert.

HABITAT cum *Fluſtra foliacea*, minus frequens.

456. SERTVLARIA THVIA.

Sertularia denticulis diſtichis adpreſſis, ouariis obouatis marginatis, ſtirpe dichotoma diſticha.

Sertularia Thuja, Syſt. nat. I, 1308.

GROENL. *Nyaurſæt*. Et ſic ſequens.

DESCR. Longitudo 16 lineas, et latitudo caulis $\frac{1}{2}$ lin., vix ſuperant. — *Stirps* radicata (ramentis tenellis ſimpilcibus cauis), gracilis, compreſſa, dichotoma. Ramuli ſuboppoſiti, vt ſtipes, conſtant articulis minutis ellipticis concatenatis, quibus vtrinque denticulus tubuloſus, curuo-conicus, apice ſubbifido, adpreſſus eſt ex oppoſito alterius. Ouaria oualia, vix petiolata, ſummitate ſua retuſa concaua margine eleuato, centro vix prominulo, lateribus compreſſis ramulorum raro ſparſa. Subſtantia ſubmembranacea mollior, quaſi vegetabilis. Color ex albido fulueſcit, interdum purpuraſcens.

HABITAT copioſe in *Fuco nodoſo*, cuius ramulos radicales ſaepe tegit, aggregata.

457. SERTVLARIA VOLVBILIS.

Sertularia denticulis abſoletis, ouariis campanulatis alternis, pedunculis longiſſimis contortis ſolitariis.

Sertularia volubilis, Syſt. nat. I, 1311.

DESCR.

DESCR. Stirps tenerrima vix seta equina crassior, per ramos vagos, numerosos, alternos, varie inter se flexos in longitudinem stupendam scandens. Ouaria alterna campanulata, pedunculis longissimis contortis, (h. e. ramulis ipsis basi sua contortis) insidentia. Denticuli vix vlli: quod enim pro denticulis haberes, mutilationem ramuli tantum indicare videtur. Color ex griseo purpurascens, ouaria tamen interdum albicant.

HABITAT in fucis et vluis, ad radices, caules marginesque foliorum frequens, licheni filamentoso similis. Nec raro folio vluarum maximarum reticulatim adnata occurrit.

458. SERTVLARIA FASTIGIATA.

Sertularia denticulis alternis acutis, ramis dichotomis erectis fastigiatis.

Sertularia fastigiata, Syst. nat. I, 1314. Faun. Suec. 2254.

DESCR. *Sertulariae Thujae* affinis: sed ramuli lineares, flexuosi erecti, fastigiati; denticuli alterni, acuti; et stirps rigidior, versus radicem nuda, $3\frac{1}{2}$ vnc. longa. Color purpureus, ramulorum tamen flauicat.

HABITAT in locis profundis super lapides et radices vluarum maximarum, minus frequens.

459. SERTVLARIA REPTANS.

Sertularia denticulis alternis bidentibus, ramis dichotomis reptantibus.

Sertularia reptans, Syst. nat. I, 1315.

DESCR. Raro $1\frac{1}{2}$ vnc. longitudinem superat. Membranacea, albo-flauicans, glabra, repens, subscandens, ramosissima. Rami compressiusculi, dichotomi, inter se contortuplicati, curuati, subuerticillati, pagina altera conuexiore sulco longitudinali medio, semper extus versa, altera vero concaua cellifera semper intus versa, geniculis

niculis anguſtatis in articulos plures diuiſi. Articuli hi iam cuneiformes 3 plerumque cellulas continentes, iam longiores. Cellulae alternae, ſeriebus 2 longitudinaliter ordinatae, globoſae cum orificio oblongo inferiore, vtrinque in ramo prominent denticulis biſetis, raro triſetis, quae ſetae iam longiores, iam breuiores illam plumoſam reddunt. — Filamenta alia ſetacea, de quibus ſyſt. nat. l. c. etiam offendi numeroſa, peregrina autem eſſe puto, paſſim enim ramulis ſine ordine fixa ſunt, illosque mire connectunt, alba, pellucida, ſimpliciſſima, caua, extremitate marginata, perforata, vix incraſſata, flexilia, plura baſi connexa: anne igitur *Tubularia Splanchnea* Linnaei ſyſt. nat. I, 1303?

Inter illa ſunt alia commixta, quae etiam inter *ſertulariae faſtigiatae* ramos infimos obuia, vix pilo humano craſſiora, fuſca, flexuoſa repentia arcte adnata, et ouaria cylindrica craſſiora tubuloſa petiolo breui paſſim emittentia: haec facile pro *ſertularia ſyringa* ſyſt. nat. I, 1311. haberem ab antea memoratis ſine dubio diuerſa.

HABITAT in locis profundis ſuper teſtas deſtructas, fucos aliaque corpora marina, frequens ſatis.

460. SERTVLARIA CILIATA.

Sertularia denticulis alternis ciliatis infundibuliformibus, ramis dichotomis erectis.

Sertularia ciliata, Syſt. nat. I, 1316.?

GROENL. *Nyaurſæt.*

DESCR. Stirps tenerrima ſaepe 3 vnc. alta, glabra, dichotoma, ramis erectis diſtantibus. Tam ſtipes, quam ramuli geniculis rugoſis ſ. contortis in plures articulos aequales ſimilesque diuiduntur. — De ſummitate ſinguli alternatim prominet denticulus ſ. tubulus infundibuliformis patens, margine ciliato ſ. breuiter dentato. Color albido-griſeus, rarius rubens.

HABITAT in fundo argillaceo alti maris; raro igitur obuia.

461. SER-

461. SERTVLARIA PARASITICA.

Sertularia denticulis verticillantibus turbinatis ciliatis parasiticis.

Sertularia parasitica, Syst. nat. I, 1315.?

DESCRIPTIO data l. c. conuenit, nisi quod color in visis fuluescat, et setae erectae longiores bifurcatae vel trifurcatae sint.

HABITAT in sertularia rugosa, cuius ramulos prorsus tegit. Semel tantum illam offendi.

462. ALCYONIVM DIGITATVM.

Alcyonium acaule oblongum coriaceum rugosum.

Alcyonium digitatum, Syst. nat. I, 1294. Faun. Suec. 2226. Müll. prodr. 3078.

Plante dyr, Ström, I, 147, 6.?

DESCR. Substantia coriacea alba, plana plerumque oblonga, adnata, glabriuscula, quasi spuma obducta, inaequalis eminentiis digitatis sparsis. Asteriscí numerosi obscuriores minuti impressi.

HABITAT in testis marinis, haud infrequens.

463. ALCYONIVM RVBRVM.

Alcyonium crustaceum, molle, miniatum, punctis sparsis saturatioribus.

Alcyonium rubrum, Müll. prodr. 3081. Faun. Suec. 2227.

Hoc, vt tuberculum hemisphaericum rubicundum, poris sanguineis sparsis, semel offendi dorso *Cancri squillae* adnatum. Squilla nihilominus viuida erat, onus tuum satis magnum patienter gerens.

464. ALCYONIVM GELATINOSVM.

Alcyonium cinerascente - hyalinum polymorphum.

Alcyo-

Alcyonium gelatinoſum, Syſt. nat. I, 1295. Faun. Suec. 2228. Müll. prodr. 3082.

DESCR. Corpus gelatinoſum adnatum explanatum, polymorphum mihi occurrit; interdum, nec ſemper, eminentiae teretes conſpiciuntur.

HABITAT in caulibus vluarum maximarum, praeſertim ad radices, frequens ſatis.

464. ALCYONIVM CYDONIVM.

Alcyonium ſubrotundum ſpongioſum, flavum laeue.

Alcyonium Cydonium, Syſt. nat. I, 1295.

DESCR. Corpus flauum, poroſum, bibulum, foetens, rupibus marinis teſtaceisque adnatum, non niſi refluxu maris maiori acceſſibile.

In poris eius *Nereidem prismaticam* et *bifrontem* indagaui.

466. SPONGIA CILIATA.*

Spongia tubuloſa, ſimplex, conico-flexuoſa, ſurſum attenuata in apicem ciliatum.

DESCR. Long. 8 lin. et lat. baſeos 3 lin. — Corpus bibulum, album, ſericeum, flexuoſe erectum, teres, baſi integra rotundata latiore, ſurſum ſenſim anguſtius apice vix 1 lin. lato; interne cauum, laeue, orificio ſupero compreſſo margine ciliis maioribus erectis ciliato; externe tomentoſum. Variat ſimplex, vel gemella, duabus talibus baſi connatis.

HABITAT in vluis maioribus aliisque productis marinis, quibus baſi ſua fixa eſt.

467. SPONGIA COMPRESSA.*

Spongia ſimplex, compreſſo-conica interne rima longitudinali fiſſa.

DESCR.

Fig. 5. Lumbricus cirratus. (Sp. 266.)

Lit. *A.* Integer, pronus.
B. Cirris piuatus, ſupinus.
C. Articuli tres a latere conſpecti.
a. Frons. *b.* Oculi. *c.* Os. *d.* Articuli duo collares. *e.* Cincinni. *f.* Anus. *g.* Cirri corporis. *h.* Aculei ſuperiores; *i.* inferiores. *k.* Sulcus abdominalis.

Fig. 6. Partes Nereidis viridis. (Sp. 279.)

Lit. *A.* Caput.
a. Frons. *b.* Oculi. *c.* Proboſcis. *d.* Tentacula: 1. ſuperius; 2. anterius; 3. poſterius; 4. inferius, *e.* Cirri frontales.
B. Pes valde auctus.
a. Papilla maior. *b.* Lamella. *c.* Papilla minor bifida. *d.* Setae rami ſuperioris. *e.* Ramus inferior inarmatus.

Fig. 7. Aphrodita cirrata. (Sp. 290.)

Lit. *A.* Integra, prona.
B. Caput.
C. Pes valde auctus.
D. Articuli ſeptem corporis ſquamis ſuis priuati, vt papillae videantur.
a. Tentacula maiora; *b.* minora. *c.* Cirrus frontalis. *d.* Cirri laterales. *e.* Oculi. *f.* Squamae. *g.* Cirri corporis; *h.* caudales. *i.* Os. *k.* Papillae dorſi maiores; *l.* minores. *m.* Setae pedum prominulae. *n.* Truncus pedis. *o.* Ramus eius ſuperior, cum *p.* faſciculis ſetarum et *q.* ſeta maiore. *r.* Ramus inferior, cum *s.* faſciculis ſetarum et *t.* ſeta maiore. u^1. Cirrus pedis inferior. u^2. Idem ad os, prolongatus. *v.* Papilla minuta huic adiacens. *x.* Cirrus abdominalis.

Fig. 8.

Fig. 8. Hirudo Hippogloſſi. (Sp. 302.)

Lit. *A.* Prona.

B. Supina.

a. Lamella antica; *b.* poſtica. *c.* Appendicula caudalis. *d.* Os. *e.* Eminentiae lineares ſerratae. *f.* Verrucae ventris anticae; *g.* poſticae.

Fig. 9. Mammaria globulus. (Sp. 315.)

Lit. *A.* Contracta.

B. Expanſa.

a. Corpus. *b.* Orificium clauſum. *c.* Membrana eius ſcyphiformis expanſa.

Fig. 10. Doris fuſca. (Sp. 335.)

Lit. *A.* Prona.

B. Supina.

a. Lamella. *b.* Macula dorſalis fuſca. *c.* Vermis. *d.* Caput. *e.* Anus.

Fig. 11. Actinia inteſtinalis. (Sp. 342.)

Lit. *A.* Extenſa, orificio declinato.

B. Itidem, erecta.

C. Contracta.

a. Pars infera; *b.* ſupera. *c.* Annulus profundior. *d.* Cirri. *e.* Os. *f.* Pars fundi, cui adnata eſt.

Fig. 12. Tubularia Fabricia. (Sp. 450.)

Lit. *A.* Intra tubulum ſuum, vt conſpici ſolet erecta, cirris expanſis.

B. Vermis extra tubulum ſub lenticula conſpectus.

a. Pars fundi inhabitati. *b.* Tubulus. *c.* Cirri expanſi. *d.* Os. *e.* Caput. *f.* Cauda. *g.* Aculei corporis. *h.* Cirri antrorſum conuoluti, vt conſpici ſolent, verme in planum proiecto.

DESCR. Long. 1 vnc., lat. 4 lin. — Corpus heluolum, valde compreſſum, conicum, (ſ. ellipticum, extremitatibus anguſtato-rotundatis, ſuperiore tamen anguſtiore), erectum, ſubtiliſſime reticulatum, ex tomentis minutis quaſi contextum; externe laeue, ſericeum; interne fiſſura anguſtiſſima longitudinali in duas lamellas diuiditur, quae fiſſura rima ſupera vix notabili indicatur: reticulatio ſuperficiei internae magis conſpicua poris ſubouatis. Eſt admodum fragilis, vix enim tacta in puluerem tomentaceum abit.

HABITAT cum antecedente in locis profundis, minus frequens.

468. SPONGIA POCILLVM.

Spongia cylindrica pedicellata, vertice pertuſo.

Spongia pocillum, Müll. prodr. 3091.

Huc, ni fallor, pertinet ſpongia minuta, ($1\frac{1}{3}$ lin. non longior, et fere eiusdem latitudinis ad baſin,) ſemel mihi obuia, quae ſubconica, teres, baſi ampliori, apice pertuſo, pocillum referens, albida, ſubtiliter foraminulata, *Sertulariae reptanti* inſidens.

Obſ. Praeter memoratas rudimenta Spongiae cruciatim ramoſae ſcandentis albae, compreſſae, tomentoſae, ſaepe inter ramulos fucorum minorum offendi, ſed exemplaribus ſemper mutilatis hic ſepono, forſitan alias *ſpongia cruciata* Müll. prodr. 3093?

Remota etiam DEVM enunciant.

EXPLICATIO FIGVRARVM.

Fig. 1. Cancer oculatus. (Sp. 222.)

Lit. *A.* Magnitudine naturali a latere conſpectus.

B. Magnitudine aucta a dorſo conſpectus.

a. Thorax. *b.* Roſtrum. *c.* Oculus. *d.* Antennae ſuperiores biſetae. *e.* Antennae foliaceae. *f.* Antennae inferiores. *g.* Pedes ambulatorii; *h.* natatorii. *i.* Pars caudae deflexa; *k.* recta. *l.* Foliola caudae ciliatae maiora; *m.* minora.

Fig. 2. Cancer bipes. (Sp. 223.)

Lit. *a.* Thorax. *b.* Roſtrum. *c.* Oculus. *d.* Antennae. *e.* Pedes ambulatorii; *f.* ſpurii; *g.* natatorii. *h.* Caudae ſegmenta. *i.* Styli caudales. *k.* Inteſtinulum.

Fig. 3. Gordius cinctus. (Sp. 245.)

Lit. *A.* Magnitudine naturali.

B. Valde auctus, pronus.

C. Itidem, ſupinus.

a. Extremitas antica; *b.* poſtica. *c.* Cingulum abdominale.

Fig. 4. Lumbricus minutus. (Sp. 265.)

Lit. *A.* Magnitudo naturalis.

B. Articuli quidam valde aucti, ſupini, vt aculei conſpiciantur.

a. Extremitas antica; *b.* poſtica. *c.* Cingulum eleuatum. *d.* Aculei.

Fig. 5.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3



Fig. 4.



Fig. 5.



Fig. 6



Fig. 7.



Fig. 8.



Fig. 10.



Fig. 11.



Fig. 9.



Fig. 12

HAND BOUND BY
TALIN BOOKBINDERY
CAPE COD